


FIDES SCUTUM
M. Bruen.







(Ven



[redacted]


HERMANNI VENEMA INSTITUTIONES HISTORIAE ECCLESIAE VETERIS TESTAMENTI.

SEU


PATRIARCHALIS ET ISRAELITICAE


TOMUS I.

AB ORBE CONDITO AD TEMPLI SALO-
MONIS INITIUM.



LUGDUNI BATAVORUM,
Apud SAMUELEM et JOHANNEM LUCHTMANS,
LEOVARDIÆ,
Apud GERARDUM TRESLING.
MDCCLXXVII.





LECTORI BENEVOLO

S. P. D.

H. VENEMA.

OFfero tibi, B. L., priorem tomum, ab orbe condito ad Templi Salomonis initium, quem brevi alter, uſque ad ultimum Reip. Judaicae finem, ſequetur, non tam Vet. Teſt., ſeu potius Eccleſiae Patriarchalis et Iſraeliticae,

hiſtoriae, methodo, proprie dictâ hiſtorica concinnatae, quam ejus Inſtitutionum, quae juventuti Academicae a me factae ſunt, ſed plus dimidio, quoad vitam et fata Patriarcharum, Moſis, Joſuae, Judicum et Regum, et populi Iſraelis ſub iis, in gratiam tuam auctae. Quibus, per varias periodos, *cum* ea, quae memoravi, ſummatim tradita, et multis obſervationibus, ad intellectum hiſtoriae ſacrae pertinentibus, illuſtrata, exhibeo; *tum* chronologiam paulo accuratius tracto, *tum* populorum vicinorum, quibuſcum genti Iſraeliticae res fuit, notitiam trado, *tum* denique aeras et epochas celebriores, in ſingulas periodos incidentes, recenſeo. Qua ratione hiſtoriam Eccleſiae, per multa luſtra, ad exemplum et ductum CL. Vitringa P., viri ſummi, et ſumme venerandi Doctoris mei, cui hujus ſcientiae et guſtum, et pro-

fectum

sectum, lubens et gratus acceptum fero, in hac Academia Frisiaca docui, non sine aliquo adplausu et fructu. Reperies autem mea cogitata, rationibus, quas hujus scientiae natura requirit, superstructa, sive cum aliis habeam communia, sive mihi priva, sive ab aliis quocunque modo suppeditata, sive ex me orta, absque ut in autoribus recentioribus citandis sim copiosus, nonnullos citasse, ubi necessarium duxi, contentus, non quod eos spreverim, aut eorum meritis aliquid detractum velim, sed ne tibi molestiam creem, nimis prolixus sim, aut in re, aliunde facile ab harum rerum curioso petenda, tempus teram; ne dicam, paucos a me fuisse consultos, aut excerptos, nonnullos etiam non, nisi his scriptis, ad manus meas pervenisse; meque ab aliis describendis, aut refutandis esse alieniorem. Praeter rationes alias, quas tua nihil

refert scire, me ad has institutiones, licet eo fini non conscriptas, aut eo destinatas, cum publico communicandas, movit, non quod eruditus orbis iis indigeat, aut inde multum sit lucraturus, tanti mea facere non soleo, sed ut auditorum non tantum, verum aliorum, qui mihi aliquid tribuunt, desideriis, et petitionibus, satisfacerem, simul praevenirem earum editioni post meum obitum ex defectuosis manuscriptis, aut studiosorum excerptis. Quale quid et aliis accidisse viris novi, et mecum multi saepe doluerunt, et me exspectandum habere, saepe audivi, nec sine ratione metuo. Accessit, quod e re Academiae nostrae esse duxerim, ut, qua ratione haec tam nobilis et utilis scientia, cum Script. S. et prophetiarum vero intellectu, et viarum Providentiae Divinae circa Ecclesiam, notitia arctissime connexa, fuerit in ea, toto hoc seculo,

culo, initio a Cl. Vitringa facto, pertractata, publice conſtet. Hoc ſi opus noſtrum perluſtrare dignatus fueris oculo, judicium tuum non reformido, modo, quod peto, te aequum praebeas, et in erroribus, qui facile potuerunt irrepſiſſe, condonandis, etiam emendandis, facilem, nec, quis primus dixerit, aut quid alii habeant ſimile, curioſius requiras, ſed ad rem ipſam, ejuſque demonſtrationem, adtendas; quippe quam unice in oculis habui, parum curans, num me, aut alium, ejus autorem habeas. Veritas mihi tantum cordi eſt, nec auctoritatibus, ſed argumentis eam adſtructam velim. Uſus ubique ſum meo judicio, nec majorem mihi, ut opinor, ſumſi libertatem, quam meam perſonam aut aetatem decet. De quo tu quoque ipſe judices.

Errores, ſi quos offenderis, ſive typographicos, ſive in ſignandis Script. S., aut alio-

rum ſcriptorum, locis, uti facile fieri potuit, cum dudum antea ſcriptis meis fidere debuerim, quos tamen non adeo multos, aut difficiles fore correctu, cenſuerim, Tu, pro aequitate tua, excuſes, et emendes. Ita Vale, et conatibus meis, ſi pote, fave.

Dabam Franequerae XVI. Novembr. A 1777.



HISTORIA ECCLESIASTICA.



PROLEGOMENA.

§. I. Cum historia, uti recte definitur, sit, *narratio rerum memorabilium in Mundo vel Ecclesia gestarum, ex fide dignis monumentis hausta, et certis temporum characterismis adstricta*, adeoque temporum, quibus res contigerunt, et principiorum, quibus narratio innititur, ratio praecipue sit habenda, nonnulla in genere, ad eorum notitiam tradendam praefanda sunt in prolegomenis, antequam ipsam adgrediar historiam. *Tempus* non in genere hic sumitur pro successiva alicujus rei duratione, sed in specie pro mensura successivae durationis ab aequabili maximorum coeli corporum motu, unde tempus pendet astronomicum, ambitu vero suo complectitur Dies, hebdomadas, menses, annos, cyclos, periodos, et aeras

ac epochas. De quibus *ordine*, quantum instituto nostro ad imperitiorum instructionem sufficit, agendum est, sed paucis, cum Beveregii Institutiones Chronologicae in omnium sunt, vel esse debeant, manibus.

§. II. *Dies*, Systema horarum, de quibus mox, duplex est, naturalis et astronomicus seu civilis. *Naturalis* est tempus lucis naturalis, etiam *artificialis*, quia est laboris tempus, adpellatus, ab ortu solis ad occasum ejus, a mane ad vesperam: uti Gen. I. et alibi occurrit. Sunt quidem, qui contendunt, Judaeos diem in quatuor partes, seu totidem *trihoria*, distinxisse, et singula adpellasse *horas*, ita ut primum trihorium a *sexta* ad *nonam* dictum sit *prima* hora, secundum a nona ad duodecimam *tertia* hora, tertium a duodecima ad tertiam *sexta*, et quartum a tertia ad sextam *nona*: ex qua hypothesi explicant Marc. XV: 25. et cum Joh. XIX. conciliant; sed licet Judaei in duodecim partes aequales, horas dictas, de quo mox, diviserint, uti est Joh. XI: 9. eos diem in quatuor partes aequales, quae singulae efficiunt tres horas, distribuisse, non constat, nec illud ex Neh. IX: 3. ubi *quarta* pars diei memoratur, colligi potest, minus, singulas adpellatas fuisse primam, tertiam, sextam et nonam horam; nec hinc concilianda sunt loca Joh. et Marci, de quo postea suo loco. Ab hoc die distinguitur nox, cujus praeambulo est *vespera*, quae duplex fuit apud Israëlitas, prior ab inclinatione solis versus occasum, seu hora nostra tertia, posterior ab occasu solis: unde phrasis orta est, *inter duas vesperas*. Ceterum noctem antiquitus jam in tres vigilias, אשמורה, vel משמרה Gr. φυλακαι, diviserunt, quarum prima ab occasu solis, toto trihorio, dicta est vespera caput *vigiliarum* Cant. II. 19. secunda inde ad medionoctium, tertia usque ad horam tertiam, dicta *vigilia matutina* Ex. XIV: 24. nec non ἀλεκτοροφωνία, quod tunc primum audiatur *galli* cantus. Quarta denique tempore Romanorum adcessit a tertia ad diluculum, seu tempus matutinum.

§. III. Dies *astronomicus* est spatium 24. horarum, quo sol ab

ab uno puncto pergendo ab oriente ad occidentem, ὡς τὰ προηγούμενα antecedentia signa, ab ariete ad piscem etc. ad idem redit; (loquimur populariter, et secundum systema Ptolemaei; quo terra pro centro habetur, licet Copernicanum, quo sol centrum tenet, et terra inter planetas locum habet, sit verius, et nunc generalius receptum: sed quod nobis nunc perinde est.) Hic dies varia habet pro diversa populorum consuetudine initia, vel a meridie, vel media nocte, vel vespera, a qua Judaei recentiores quidem numerant, a vespera ad vesperam diem mensurantes, sed non antiquissimi, qui a mane ad mane id fecerunt, sicut ab initio mundi, et postea diu. Cum vero Gen. I. dicitur, *fuit vespera, fuit mane*, vespera praecedentis diei naturalis est intelligenda, qui transit in noctem, et finitur mane, unde novus incipit dies. Comparatur autem Deus cum operario, qui noctu quiescit, et mane novum incipit opus. Sed tempore Mosis contigit hac parte aliqua variatio in usu Ecclesiastico, sive festorum respectu. Pascha enim vespera incepit, adeoque nox initium fuit festi, quod ad alia transiit festa: ita ut in illis dies a nocte fuerint numerati, manente vetere consuetudine in rebus civilibus. Cum enim primam illam noctem paschatis multa miraculosa celebrassent facta, ut eorum memoria maneret superstes, a nocte initium sumserunt festa. Unde etiam ortum videtur, ut, qui ter per diem orare solebant, illud, initio a vespera sumto, fecerint, vesperi, mane et meridie, Ps. LV: 18. et Dan. VI: 11. Ceterum a mane diem quoque inceperunt Arabes, AEgyptii, Chaldaei et Persae. Vid. hic Vignolius Chron. s. t. I.

§. IV. Horae autem, quarum summa dies est, ut de iis *quid* moneam, sunt pro duplici illo dierum genere, vel ἰσημεριναὶ aequinoctiales, viginti quatuor diei astronomici partes, aequatorem in 24 partes aequales distribuentes, vel καιρικαὶ et populares, duodecim diei naturalis partes, majores minoresve pro solis adcessu vel recessu: quae quando inceperint, non adeo liquidum est: sed illud ex Herodot. l. II. manifestum est, veteres diem jam in 12 partes distinxisse, adeoque longe ante

 tempora

[redacted]

tempora Alexandri M; secus ac nonnullis fuit visum. Praeterea ex solario Achazi regis Judae, 2 Reg. XX. clare elucescit, jam tunc diem fuisse in aliquas partes distributum; videntur autem ibi מעלות gradus fuisse semihorae. Tempore autem Christi receptissimi fuisse usus, diem in 12 horas distinguendi, ex Joh. XI: 9. nemini non notum est. Quando vero illae partes coeperint *horae* ὧραι adpellari, hic locus non est inquirendi, nec de varia vocis significatione, pro *tempore* in genere, etiam *anno* et *die*, agendi. Ceterum hora continet scrupula 60 quae Chaldaeis adpellantur חלקים *particulae;* est autem scrupulum vel *diurnum*, 60*ma* pars diei, vel *horarium*, 60*ma* pars horae. Quod monuisse suffecerit.

§. V. Hebdomas est cyclus *septem* dierum, et antiquissimi usus apud orientales, ex traditione de creatione sex diebus absoluta, ita ut septimo Deus quieverit, nec non ex diversis lunae faciebus, quae σχηματισμοὶ adpellantur, singulis septem diebus variantibus, ita ut Luna post 7 dies adimpletos primum fiat διχότομος *dimidiata*, et 5*to* die πανσέληνος *plena*, rursus 23*tio* διχότομος. Utique vestigium Septimanae sese jam tempore Noachi prodit Gen. VIII. et Jacobi, cui Rachel fuit promissa post impletam Leae septimanam; quot dies festivitati nuptiali apud Phaenicios et Palestinos fuerunt dati Jud. XIV. Attamen licet pluribus gentilibus in usu fuerit cyclus septem dierum a septem planetis, ita ut *Soli* fuerit primus dies adsignatus, Lunae secundus, quia nostro respectu est Soli dignitate et usu proxima etc., cyclo tamen hoc non fuerunt antiquitus calendaria Graecorum aut Romanorum distincta, aut vox *Septimana* eo sensu usitata. Ante Theodosii tempora septimanarum observatio non obtinuit in Romano Inperio, nec calendaria in eos distincta sunt ante Dionysii Exigui aetatem, Sec. VI.

§. VI. Ad Mensem, systema dierum, antequam pergam, verbo dicam de Judaeorum Thecuphis; quo nomine revolutio, seu conversio Solis insignitur, eximie quidem et primitus momentum, in quo annus solaris praecise desinebat, et novus inchoabatur mense Tisri, deinde revolutio quadrantis anni, quae est

est *verna*, *aestiva*, *autumnalis* et *hyberna*: unde vel pro tota quadrante sumitur, vel ultimo momento, quo Sol perficit et novum ingreditur quadrantem: quod fit in aequinoctio autumnali Tisri, seu Septembr., solstitio hyberno Thebet seu Decembr., aequinoctio verno Nisan, seu Martii, et solstitio aestivo Tammutz, seu Junii. Quae momenta fuerunt a Judaeis studiose observata, praecipue ob Thekupham Nisan, seu aequinoctium vernum, unde judicabatur de plenilunio paschali. *Mensium* autem ratio antiquissimam suam originem debet circumvolutionibus Lunae, unde etiam nomine ירח *Lunae* veniunt apud Hebraeos, et Gr. μῆνα ab Hebr. מני derivari potest, unde Lat. mensis a Macrob. repetitur, sed a *mensis spatiis* a Cicerone. Attamen circumvolutionem Lunae antiquissimi numero rotundo 30 dierum definiverunt, adeoque menses 30 dierum in usu habuerunt, quales in libro Genes. occurrunt, et passim in verbo Prophetico, in specie Apocal. Joh.; et τριακονθήμεροι *tricinarii* adpellantur; cum autem nec Solis nec Lunae motui exacte responderent, in fine anni nonnulli dies adjiciebantur, dicti inde ἐπαγόμεναι. Vocabantur autem illi menses *civiles*, seu artificiales, duodenas anni aequales partes constituentes, et arte quadam ad solis et lunae cursum concinnandi.

§. VII. Sed menses, *astronomici* dicti, in Solares distinguuntur et Lunares. *Solaris* est spatium, quo Sol duodecimam Zodiaci partem, seu unum signum, transit, ab occidente in orientem movendo εἰς τὰ ἑπόμενα ab Ariete ad Taurum etc. sed motu vel *aequali*, quando est intervallum dierum 30 et horarum 11, vel *inaequali*, quia diutius in uno quam altero signo Zodiaci haeret propter ejus anomaliam, hic scilicet dies 29 cum aliquot horis, ibi 31 cum nonnullis horis. *Lunares* vero a Lunae motu sunt 1 *Periodici*, quatenus Luna suam periodum tum absolvit, spatium comprehendentes, quo ad idem Zodiaci punctum, a quo digressa erat, redit, quod spatium est dierum 27. hor. 7. et scrup. 43. 2. *Synodici*, qui spatium definiunt, quo Luna in conjunctionem cum Sole redit: quippe Sol aliquantum processerat, cum Luna ad idem reversa erat punctum. Est illud spa-

 tium

tium 29. dierum, hor. 12. et ſcrup. 44. adeo ut differentia eorum menſium ſit dier. 2. hor. 5. et ſcrup. 1. Denique 3. menſium ratio eſt a φάσει *adparitione* Lunae Hebr et Orient. in uſu: unde pro adparitionis diverſitate eſt uno die aut triduo citius vel tardius Menſis initium: eſt vero dierum fere 26. Ceterum tempus, quo Lunae facies occultatur, *interlunium* dici ſolet.

§. VIII. Tranſeamus ad *Annum*, ſeu Syſtema menſium, in Lunarem et Solarem diſtingui ſolitum. *Lunaris* eſt ſpatium duodecim lunationum, ſeu conjunctionum Lunae cum Sole, ſed in communem vel mere Lunarem, et intercalarem dividitur. *Prior* efficit 12 menſes Synodicos, ſeu dies 354. hor. 8. et ſcrup. 48. *Poſterior* vero, Gr. ἐμβολιμαῖος dictus, eſt ſyſtema 13. lunationum, ſeu dierum ordinario 384. cujus ratio inde eſt petenda, quod Veteres annum Lunarem cum Solari hoc modo conciliaverint. Sacra enim Lunae adſtringentes, nec Solarem annum negligere volentes, hos annos ſecum compararunt, unde anni mixti vel Lunae-ſolares ſunt orti. Anno autem Lunari major eſt Solaris 11 dies; quare, ſecundo aut tertio quovis anno recurrente, unius anni facta eſt intercalatio; licet vario modo a populis fuerit inſtituta. Anni Lunares, iique a φάσει *adparitione* Lunae, fuerunt Israëlitis a tempore Moſis in uſu. Initium vero anni ſemper in Vere menſis Niſan fuit, nec tantum tempore Moſis incepit, ut ex Exod. XII: 2. male putatur, quippe qui vers: vertendus eſt, non *erit*, ſed *eſt hic menſis vobis initium menſium:* fuit quoque hic menſis initium anni apud AEgyptios tempore exitus Israëlitarum. Ceterum cum menſes eſſent 30 dierum, et annus 360, adeoque initium anni in eandem ſemper tempeſtatem incidere non potuerit aut eundem menſem, Moſes formam anni in talem redegit ordinem, ut idem ſemper manſerit anni initium; cujus rei neceſſitas a feſtis annuis oriebatur, quia Paſcha in primi menſis plenam Lunam ſemper incurrere debebat, quare annos introduxit Lunares intercalares 13 lunationum. Sed notandum, praeter hunc annum ordinarium, qui a Vere incipit, alium fuiſſe uſitatum *ruſticum*, vel Georgicum, qui a ſatione, adeoque autumno, initium

initium sumsit, et desinit in messe: quorum annorum ratio in annis Sabbaticis et Jubilaeis fuit habita, qui in anni proprii medium incidunt, et ab anni praecedentis medio incipiunt. De quibus omnibus recte disseruit A. Vignolius l. c.

§. IX. Annus Solaris, ex spatio constans quo sol, toto Zodiaci circulo lustrato, ad idem redit punctum, eo nomine magis quam Lunaris dignus, cum ex uno tantum oriatur circuitu, lunaris vero ex pluribus; duplex quoque est, astronomicus, seu tropicus, et Julianus. *Prior* est, quo sol eodem redit, quo inceperat. Quod spatium, etsi secundum Mathematicos praecise definiri nequeat, cum motus modo sit celerior modo tardior, medio observato motu, comprehendit dies 365. hor. 5 scrup. 49. *Posterior*, sic a Julio Caesare adpellatus, qui calendario Romano, culpa sacerdotum corrupto, opem per Sosigenem, insignem Mathematicum, tulit, a. U. C. 798. Per. Jul. 4668. qui est 46 ante aer. Vulg. Christ., continet dies 365. hor. 6. adeoque 11. scrupulis est major priore. Quae *sex* horae cum quarto quoquo anno faciant *unum* diem, iste tunc inseritur, adeo ut *quartus* annus sit intercalaris, constans 366 diebus: qui etiam *bissextilis* vocatur, quod *Sextus* Kal. Mart., 24*tus* Februar., bis numeretur, inserebatur enim post *Terminalia* seu Februar. 23*tium*, septimum Kal. Mart. Sed *undecim* illa scrupula notabilem, tractu temporis, fecerunt in re astronomica mutationem, cum spatio 130. annorum *unum* constituant diem; adeo ut, si aequinoctium ponatur in 20 Mart. cadere, post 130 ann. incidat in 19 Mart. Quae ratio est quare Gregor. XIII. Papa annum verum restituerit, unde differentia est inter stylum Veterem et Novum orta: cui in initio quidem multi recusarunt adsurgere, Papae autoritatem spernentes; sed postea, cum differentia jam esset 11 dierum, communior factus est stylus Gregorianus.

§. X. Succedant annorum systemata, seu Cycli, Lunae scilicet, Solis et Indictionum, de quibus pauca sunt, ad aliqualem eorum intellectum dandum, dicenda. Cyclus *Lunaris* est periodus annorum Julianorum 19.; qua vertente, mediantibus embolismis mens. ad certos cycli annos, Sol et Luna in eodem coeli

 puncto

punċto veniunt in conjunċtionem, unde originem traxit cyclus *decem novennalis* Gr. ἐννεαδεκαετηρίς. Cyclus itaque ex eo natus eſt, quod cum annus Solaris ſit 11 D. major Lunari, eos annos ſecum compoſuerint, eoque fini anno ſecundo vel tertio inſeruerint unum menſem anno Lunari, qui inde diċtus eſt intercalaris, ita ut in hoc cyclo 12 anni ſint 12 menſium, et 7 menſium 13. Obſervatum vero eſt, ſpatio 19 annorum Lunam in eodem coeli punċto cum Sole venire in conjunċtionem, et cum 12 anni non emboliſmales efficiant Lunationes 144, anni vero intercalares 7 faciant Lunationes 91, una vero ſumtas Lunationes 235. inter quos 228 ſunt ordinariae, et 7 emboliſmales, paria cum annis 19 Julianis facere, ut ſchema margini adpoſtitum monſtrat. Nec tamen Luna 19 annis vertentibus Julianis praeciſe in eodem punċto redit in conjunċtionem cum Sole, ſed hor. 1. 27. 32" ſeſquihorio fere antevertit priſtinam epocham. Sunt quoque anni 19 Lunares cum 7 menſ. Intercalaribus minores annis 19 Julianis, hor. 1. 27: 32." adpellatur id προήγησις *lunaris*. Quod diſcrimen, diu non animadverſum, turbavit aliquatenus calculos Pleni- et Novi-luniorum: anno utique 1582. quo faſti a Gregorio ſunt correċti, anteceſſio Lunaris deprehenſa eſt *quatridui* circiter a Nicaena-Synodo uſque, in annis 1257. quae ſunt enneadecaterides paulo plus 66. Ceterum autor cycli traditur Meto, aſtrologus Athenienſis, filius Pauſaniae, ann. 1*mo* Olymp. 87. Per. Jul. 4282. una cum Euċtemone Athenienſ. Sed emendator ejus Calippus poſtea fuit. De quo plura nihil adtinet dicere.

Num. aur.	Epaċt.
1	0
2	11
3	22
4	3
5	14
6	25
7	6
8	17
9	28
10	9
11	20
12	1
13	12
14	23
15	4
16	15
17	26
18	7
19	18

§. XI. Utilius fuerit de inſigni cycli uſu paucis expoſuiſſe. Quo fini ante notandum eſt, 1. *numerum aureum* adpellari ipſiſſimum cyclum Lunae, ſeu decemnovennalem, quia anni ab 1

ad

ad 19 in calendar. et fastis *auro* notabantur; ut jam observavit Scaliger in can. Isagog. 2. *Epactas* esse excessus dierum, quibus annus Solaris superat Lunarem, quique in fine anni, aequationis ergo, adjiciuntur, unde ἐπακταὶ ἡμέραι *dies adjectitii*, adpendices anni Lunaris, dicuntur, qui annum secundum vel tertium faciunt intercalarem, seu 13 mensium. 3. *Terminum paschalem* esse 14*tam* Lunam, sic ab antiquitate Christiana vocatam, quae vel in aequinoctium vernum seu Mart. 21 ut Nicaenis temporibus, vel proxime sequens usque ad 18 April incidit. Nomen *termini* paschalis hi dies acceperunt, quod proxime sequens Dominica sit *dies Paschatis*. Usus, his cognitis, cycli sunt sequentes 1. Elapso hoc cyclo novilunia et plenilunia ad eundem redeunt terminum, ut ex modo dictis patet 2. Ejus ope facile reperiuntur *termini paschales*, et sic ipsa paschata, intercedentibus *epactis*. Inveniuntur autem *epactae* hoc modo: dato numero aureo, subducatur huic *unum*, reliquum multiplicetur per 11; quod inde evenit dividatur per 30; et habentur epactae. *Terminus* vero paschalis hoc modo eruitur. Numero aureo a. 1718. posito 9, ex superiore tabula epactae erunt 28, adde 1 et summam detrahe de 30, habes diem novae Lunae Mensis Mart. adde 15 ut dies plenae lunae istius mensis cognoscatur, qui est terminus paschalis, si post 20*mum* Mart. veniat, alias add. 30, et detrahe 31 pro mense Mart. ut terminus paschalis mens. April eruatur, ex gr. Epacta 28

Epacta	28	
	1	
	29	
	30	
mart. nov. luna	1	
	15	
plena	16	
	30	
	46	
	31	
	15	termin pasch. April.

Denique 3. inveniuntur etiam facile beneficio epactarum *novilunia*; demendo epactam a 30, ex. gr. 30

28 Novilunium

eſt dies 2*dus* April. 2

4. Numerus tandem ipſe aureus hac ratione ſeſe prodit, dato anno aer. Vulg. Chriſt.: ſit ann. 1718, et addatur unitas (Chriſtus enim, ſecundum calculum Dionyſianum, natus eſt ſub finem cycli *primi*, incipitque aer. Vulg. cyclo 2*do*) dividatur reſiduum per 19, et reliquum erit numerus aureus.

1718
1
1719 Numerus aureus eſt.
19⟨9 9

§. XII. Cyclus *Solis*, ad quem pergo, eſt ſyſtema 28 ann. Julianorum; cujus ope quotannis intelligitur littera dominicalis, quae diem ſolis, ſeu dominicum, ſignat, et per conſequens reliquae definiuntur hebdomadis feriae: quo cyclo exacto, redeunt omnes Litterae in orbem. Littera *dominicalis*, ut clariorem dem cycli notitiam, eſt una majuſcula e ſeptem prioribus alphabeti litteris, A, B, C, D, E, F, G, diem dominicum ſeu feriam primam in cyclo hebdomadali per totum annum, in Calendario oſtendens. Quae litterae quotannis mutantur ordine retrogrado, ut ſi hoc anno ſit littera G, ſequenti ſit F., et ſic in ceteris. Sed annus *biſſextilis*, quippe dierum 366, habet duas litteras dominicales, continet enim hebdomadas 52 et duos dies, cum annus communis tantum *unum* habeat ſupra 52 Septimanas. Denique feriae hebdomadis reliquae ordinariae notantur reliquis minuſculis litteris alphabeti ſex, ordine directo; adeo ut ſi littera dominicalis ſit g, littera feriae ſecundae, ſeu Lunae, erit a, feriae tertiae b, et ſic in reliquis. Cyclus itaque eſt circulus 28 annorum Julianorum, quo exacto litterae dominicales eodem recurrunt ordine; ex. gr. Littera Dominicalis eſt ann. 1718. B, poſt annos 28 ſeu anno 1746. iterum erit B. Debet autem cyclus ſuam originem annis intercalaribus,

bus, qui in annis Julianis ſunt *quarti* quique, Sex enim horae, quae ſupra dies 365 in anno Juliano ſunt, faciunt quatuor annis unum diem, qui tunc inſeritur, quando annus inde dictus biſſextilis habet 366 dies; unde hic cyclus natus eſt: Cum annus communis habeat 52 Septim. et unum diem, hinc eſt ut eadem feria annus finiatur qua incepit, et annus ſequens initium accipiat feria ſequente; adeo ut inde cyclus tantum naſceretur 7 annorum, ſi enim littera dominicalis hoc anno ſit A, ſecundo erit G, tertio F, quarto E, quinto D, ſexto C, ſeptimo B, quando revertitur A. Ita ergo ſingulae per orbem litterae anni caput obtinerent, et viciſſim diem dominicum notarent. Sed turbant anni biſſextiles, qui, ut dixi, dies *duos* habent ſupra hebdom. 52, adeoque ſibi *duas* vindicant litteras dominicales, binis enim litteris feriarum ordo promovetur. Jam vero littera Dominicalis quotannis ſpatio 28 annorum variat in Calendario, ſicut et litterae minores, quae ferias ſingulas ſignant, ſed ſpatio illo 28 ann. exacto recurrunt omnes. Cujus rei haec eſt ratio; quod 7 tantum ſunt feriae in hebdomade; ubi itaque unius feriae tranſcenſio *ſeptics* accidit, ferias omnes et litteras iis adpoſitas in orbem redire neceſſe eſt: cum enim in quatuor annis ſemel unius feriae praeteritio accidat ob diem biſſextilem, multiplicatis 7 per 4, exſurgunt 28. Ceterum haec annorum revolutio dicitur cyclus Solis, ſive quod ad annum Solarem ſpectet, ſive quod ejus beneficio dies Solis, ſeu dominicus, cognoſcatur.

	Anni Cycli	Litterae Dominic.	
	1	D	C
	2	B	
	3	A	
	4	G	
	5	F	E
	6	D	
	7	C	
	8	B	
	9	A	G
	10	F	
	11	E	
	12	D	
	13	C	B
	14	A	
	15	G	
	16	F	
	17	E	D
	18	C	
1718	19	B	
	20	A	
	21	G	F
	22	E	
	23	D	
	24	C	
	25	B	A
	26	G	
	27	F	
	28	E	

§. XIII.

§. XIII. Uſus cycli ſunt praecipue ſequentes, 1 Praeterquam quod hinc conſtet ſitne annus biſſextilis, nec ne? et quotus a biſſextili; cognoſcitur ex hoc cyclo, in qualem feriam feſta ſtata et inmobilia incidant: ex. gr. quoad paſcha: cognito termino paſchali cum littera dominicali anni dati, per ſe ſequitur cognitio diei paſchatis; quippe qui eſt dies dominicus inmediate ſequens poſt terminum paſchalem ſeu lunam 14*tam.* 2 Dato in hiſtoria aut faſtis die menſis, una cum anno cycli, feria ſeptimanae definiri poteſt: ſi ſcilicet ad diem menſis deſignatum, detracta unitate, adjicias feriam ejus menſis initialem, et collectae ſummae auferas ſeptenarios, numerus reſiduus indicabit feriam; ex. gr. Chriſtus traditur natus 25 Dec. cyclo Solis 9; detracta unitate reſtant 24, addatur feria initialis menſis ſcilicet 4, eſt 28, detrahantur Septenarii, qui inſunt, tres, ſuperſunt 7: cadit itaque 25 Dec. tunc in feriam ſeptimam ſeu Sabbatum. Denique 3 eſt temporum certus character, dum expreſſo cyclo Solis, facile definitur annus, et comparantur epochae: quem uſum habet in Periodo Juliana etc. De modo inveniendi cyclum ſolis, et litteram dominicalem uno abſolvam verbo, ne nimis diu hiſce inmorer. Cyclus haud difficulter reperitur, ſi Chriſti, qui natus cenſetur exeunte cyclo ſolis 9*no*, annis 9 addas et ſummam per 28 dividas; quo facto numerus reſiduus erit cyclus ſolis: ex. g. ann. 1718, quo haec ſcripſi, adde 9, erunt 1727, divide per 28, numerus ſuperſtes erit 19, qui eſt cyclus Solis. Littera vero *Dominicalis* facilis eſt repertu: Cyclo enim Solis reperto, ſponte ſua ſeſe prodit littera dominicalis, ex ſupra data tabula, ex. gr. cycl. ſol. 1718 eſt 19 cui reſpondet littera B, quae itaque eſt ejus anni littera Dominicalis.

§. XIV. Cyclus *Indictionum* denique eſt ſyſtema annorum Julianorum 15, et memoratur triplex, 1 Caeſarea vel Conſtantiniana indictio, a Conſt. M. inſtituta ann. 7 Inperii, aer. v. 312, qui annus eſt cladis Maxentii. Cauſa vero inſtituti recenſetur varia. Vid. in primis Ez. Spanhem. Num. Diſſ. IX. 2. Conſtantinopolitana vel Graeca, quae a Kal. Sept. incipit, et nume-

numerari caepit ab anno Justiniani. 3 Pontificia vel Romana, quae a Kal. Jan. incipit: retraxerunt enim Pontifices a Sept. ad Kal. Jan. ut cum anni Juliani principio concurrerent. Computari solet indictio *prima*, *secunda*, *tertia* etc. pro indictionis anno *primo*, *secundo*, *tertio* etc. Modus inveniendi non est in difficili. Annis Christ. add. 3, tunc enim Christus secundum aer. Vulg. censetur natus, adscendendo a primo Const. M., summa dividatur per 15, residuum signat annum Indictionis; si nil supersit annus est 15: secundum hos vulgatos versiculos.

Si per quindenos Domini diviseris annos
His tribus adjunctis Indictio certa patebit
Si nihil excedit quindena Indictio erit.

Ceterum Indictio videtur nomen ab *indictis* per singulos annos tributis accepisse et vectigalibus; unde ipsa tributa adpellantur *Indictiones*.

§. XV. Duae ex hisce cyclis ortae sunt *periodi*, altera Victoriana seu Dionysiana, altera Juliana. Prior, qua inter Latinos primus est usus Victorianus Aquitanicus, autor canonis paschalis sub Hilario Papa, dein Dionysius Exiguus, sec VI, unde nomen traxit, liceat vere sit antiquior, ab Orientalibus nata, de quo vid. Pagi de Periodo Graeco-Rom., est annorum 532 ex cyclis Solis 28, et Lunae 19 in se multiplicatis, quatenus iidem anni cycli Solis et Lunae non concurrunt, nisi post ann. 532. Sume cyclum Lunae 1, quando Christus censetur natus, adde continuo 19, donec supra numerum 532 venias, deme tunc 532, habes cyclum Lunae I. sic et cycl. sol. 9, cui Christi nativitas adligatur, accipe et continuo adde 28. donec aliquem offendas numerum, qui ex continua additione 19 exortus est, cycl. Dionys erit 457, quando cycl. Sol. est 9 et Lun. 1: quae duorum cyclorum capita non concurrunt rursus, nisi exactis annis 532. Annus autem periodi, dato ann. cycl. Sol. et Lun., hoc modo invenitur. Cyclus Sol. datus multiplicetur per 57. Lunae per 476, summa ex duobus contracta dividatur per 532 residuum erit ann. Periodi.

§. XVI. Posterior *Juliana* dicta, quod ex annis mere Julianis constet, quorum initium semper est a Kal. Januar., est systema ann. 7980, compositum ex tribus cyclis, Solis, Lunae et Indiction., quo spatio exacta redit συζυγία, seu conjunctio trium illorum cyclorum. ex. gr. in toto hoc annorum ambitu non contingit ut cycl. Solis sit 9, Lun. 1 Indict. 3, nisi anno Periodi Jul. 1713, quo Christus censetur natus. Exsurgit itaque periodus ex tribus illis cyclis, in se *ductis*, unde oritur numerus 7980. Porrigit vero sese ultra Mundum Conditum per aliquot centenos ann., quorum definitio pendet ab hypothesi de spatio inter M. C. et aer. Vulg. nati Christi, quae adligata est ann. P. Jul. 1713 Antevertit M. C Secundum Scaliger. 761, Petavium 731, Usserium 710. De quo suo loco: ex nostra hypothesi anni 4099 fluxerunt a M. C. ad aer. Vulg. unde facile patet, quo anno Periodi Jul. mundus sit conditus. Inventor Periodi communiter habetur Cel. Scaliger, unde Scaligerana Periodus recte adpellaretur. Sed Usserius in Praef. Annal. laudem illam tribuit Roberto Lotharingo, Hereford. in Britannia Episc. circa ann. 1079; sed sine solido fundamento, ut recte advertit Pagi de Periodo Gr. Rom. Usus autem periodi in re Chronologica est insignis, quem Pagi l. c. luculenter exponit, quare Chronologi ea etiam passim usi sunt et commendarunt, ipse quoque Petavius, licet Scaligeri perpetuus fere adversarius; quare vero Sethus Calviscus, Scaligeri alias admirator, eam non adhibuerit, incertum est. Interea, ut iste usus carpatur, adsumendum est, Mundum ex sententia Scaligeri esse conditum, a. P. J. 764 in Octobr., vel Kal. Jan. 765, cycl. Sol. 8 Lun. 4 Ind. 14: qui cycli illi tantum conveniunt anno: si ergo quaeratur, quo anno acciderit diluvium, annis 764 addendi sunt 1656 adeoque ann. P. J. 2422. Praeterea tenendum, aer. Vulg. Christ. connexam esse cum a. P. J. 4714 cycl. Sol. 10, Lun. 2. Ind. 4. qui cycli non conveniunt nisi a. 4714. Possunt itaque omnes epochae aliae ad illum annum referri. Incipit autem aera Olympiaca a. P. J. 3938, et Romae conditae ex putatione Varroniana, a. P. J. 3961, et aer. Nabonass. a. P. J. 3967.

J. 3967. Sic in ceteris. Invenitur autem annus P. J., datis cycl. Solis et Lunae, hoc modo. Anno Periodi Victorianae ante definito, cujus modo memini, subtrahe annum Indict. datum, summam divide per 15, residuum multiplica per bis 532 seu 1064, producto adde annum Period. Dionys. definitum, habebis Per. Jul. Sumatur cycl. Solis 9 Lun. 1 et Ind. 3 et, ut supra vidimus, cycl. Solis 9 ac Lun. 1 convenire in ann. Period. Victor 457; et ita, secundum dicta pergatur.

457
3
45(4
15 < 30
4
1064
4256
457
4713 Period. Jul.

Dato vero anno Per. Jul. anni cyclorum illorum, hac ratione facilius inveniuntur. Annus datus Per. Jul. dividatur per 28, habetur cycl. solis, per 19 cycl. Lun., et per 15 Indictio. Quibus inmorari non licet.

§. XVII. Praeter has periodos duae quidem aliae memorantur, una antiqua, altera recentissima, sed unde parum utilitatis redundat; quare verbo suffecerit tetigisse. Prior apud AEgyptios obtinuit, et *canicularis* cyclus adpellatur, estque annorum 1460, vel 1461, quo temporis spatio anni AEgyptii et Juliani ad eundem redeunt diem. Annus AEgypt. est dierum 365, sed Julianus est singulis quatuor annis uno die longior, cum sit bissextilis. Post annos vero 1460 revertitur annus AEgypt. ad idem cum Juliano initium. Incipit cyclus iste canicularis a. Per. Jul. 3389. De quo vid. Vignolius chron. f. I. III. §. 1. *Posterior* est periodus Graeco-Romana, ex aera Dionysiana cum Antiochena M. C. quae apud Orientales obtinuit, praeter Alexandrinam et Constantinopolitanam, comparata, cujus autor et commendator est vir doctus Pagi, in Diss. de ea. Sunt autem tres illae aerae mundanae a mundo condito ductae, et aer. vulg. Christ. innectitur aerae Antiochenae 5493, aerae Alexandr. 5501, aerae Constantin. 5509. Utilitas autem hujus periodi unice fere sita est in eo, quod omnes aerae in ea locum inveniant, quod de periodo Juliana dici nequit, cum aerae orientales longiores sint ante Chris-

 tum

tum natum: quippe qui natus eſt ann. P. Jul. 4713 ſed aerae Antiochen. 5493. Incipit periodus Jul. anno Periodi Gr. Rom. 781. Sed rectius conſultum fuiſſet lectoribus, ſi recepta Periodus Juliana maneat, quippe quibus per diverſas Chronologorum periodos creatur moleſtia haud exigua.

§. XVIII. Nihil reſtat, quam ut de Eclipſibus aliquid moneam, cum uſum habeant in Chronologia. Si enim hiſtoria eclipſin aliquam cum omnibus circumſtantiis memoraverit, tempus certius per tabulas aſtronomicas definiri poteſt, cum eclipſes perfecte ſimiles reſpectu diei, momenti et aliarum circumſtantiarum, raro redeant. Eſt vero eclipſis vel Solis, populariter loquendo, vel Lunae defectus, *Solis* autem in novilunio, quando Luna eſt inter ſolem et terram media, adeoque lumen Solis intercipit, ne terra illuſtretur. *Luna* vero deliquium patitur quatenus lumen habet mutuatitium a ſole, quod intercipitur per terram, quando inter Solem et Lunam eſt media, quod non niſi in Pleniluniis contingit, nec tamen ſemper et in omnibus Pleniluniis, ſicut nec ſol in omnibus noviluniis deficit, quia Luna non decurrit per eclipticam, quae eſt via ſolis, ſed vagatur, modo per eam decurrendo, modo ab ea aberrando. Secat autem eam viam Luna a duabus partibus, quae dicuntur *nodi* eclipticae, in capite et cauda draconis: quod ſi Luna ſoli in illis *nodis* occurrat, fit eclipſis.

§. XIX. Denique cum *aerarum* et *epocharum* frequens ſit in hiſtoria certis temporibus adliganda uſus et magna utilitas, nonnulla de iis in genere praemittenda ſunt. Specialia enim ſuis locis in progreſſu ſunt memoranda. Intelliguntur autem illis nominibus characteres fixi et ſtabiles, quorum capita certis annis adfixa ex conſenſu hominum, ac graviſſimorum autorum fide, principium ſunt ſupputationis annorum ſive ad antecedentia adſcendendo, ſive ad conſequentia deſcendendo. Voces *aerae* et *epochae*, quarum *illa* videtur origine Arab., in Hiſpania primum uſitata, utique primus ea cenſetur uſus Idatius Episcopus Hiſpanus ſec. V. in brevi Chronico, cum illo Euſebii edito, *haec* vero Graeca ἐποχὴ *epocha* eſt, et terminum

num denotat, voces, inquam, illae licet saepe confundantur, diversae vere sunt significationis: *aera* enim est forma et modus numerandi annos, sed *epocha* denotat terminum, a quo incipit numeratio, sic *aera* Christi est forma, qua utuntur Christiani, *epocha* vero illius aerae est 1 Jan. Per. Jul. 1714. Solent autem supputationes ab illustrioribus desumi casibus, et possunt esse multiplices. Distinguuntur celebriores in *Ecclesiasticas* et *Mundanas*: quarum illae sunt, conditi mundi, diluvii, exitus Abrahami ex Chaldaea, et Israelitarum ex AEgypto, Templi Salomonis conditi, Judaeorum liberationis ab exilio, denique nati Christi, servatoris mundi: hae vero, ex. gr. Romae conditae, Olympiadum, Nabonassarea, Seleucidarum, Hegirae, seu fugae Muhammedis etc. De quibus omnibus secundum ductum historiae differam in sequentibus.

§. XX. Praeter tempora, de quibus egi, cum ad prolegomena quoque *principiorum*, ex quibus scientia historica hauritur et quibus innititur, notitia pertineat, de illis aliquid est monendum. Sunt autem, nec alia esse possunt, *annales*, et *historiae* virorum fide dignorum. Inter annales et historias distinxerunt Veteres, ex. gr. Tacitus, ita ut *annales* contineant rerum ante autoris tempora gestarum narrationem, *historia* vero ejus tempore gestarum. Viri autem, qui monumenta illa condiderunt, et fide digni esse debent, si ex illis scientia historica tuto sit petenda, cum sint vel ab erroribus inmunes, vel iis obnoxii, illis secure, his cautius, fides adstringitur. Prioris generis sunt autores librorum sacrorum et canonicorum V. et N. T., quibus gaudet Ecclesia Iraelitica et Christiana. Quorum notitia aliunde petenda est, et alibi tradi solet: sed *posteriorem* ad classem pertinent omnes alii, sive profani, ut adpellantur, sive Ecclesiastici, de quibus, quantum ad nostrum facit scopum in seq. suis locis agitur. Qui omnes cum fallibiles sint, magis minusve fide digni, pro ut de *facultate* et *voluntate* vera scribendi constat; illae qualitates ante debent aliquatenus esse cognitae, quam fidem nostram adstringamus; vitanda enim sunt duo extrema, nimiae credulitatis, quae omnia, ac incredulitatis, quae

 nihil

nihil adſumit, et Pyrrhoniſmus eſt hiſtoricus, ſi quis ab errore ſibi cavere velit. De *facultate* vera ſcribendi ut aliquatenus conſtet, 1. *tempus* cognoſcendum eſt, quo hiſtoricus vixit, cum res ſui temporis, vel ab eo non nimis remotas, maxime ſi ipſe interfuerit, et teſtis ſit auritus ac oculatus, melius praeſumatur ſcire poſſe. 2. monumentorum, ex quibus narrationem hauſit, et ad quae provocat hiſtoricus, ratio habenda eſt, ut de certitudine eorum rectius judicetur. 3. Peritia et prudentia, ac diligentia hiſtorici in veritate indaganda, omnino quoque in cenſum venit, ut facile cernitur. Sed praeter facultatem vera cognoſcendi, hiſtoricus *voluntate* talia ſcribendi praeditus omnino eſſe debet, ſi fidem ſit mereturus. Quae laudabilis et neceſſaria qualitas ex variis ſeſe prodit indiciis ex. gr. ex pietate non fucata ac probitate hiſtorici, ex animo ab omni partium ſtudio libero, ex cauſis, quae ipſum inpulerant ad ſcribendum, ex judicio proprio, quod narrationi inmiſcet, ex ſtylo, narrandique modo, puro et ſimplici, a nimia arte remoto. etc.

§. XXI. Hiſce praelibatis ipſam hiſtoriam Eccleſiaſticam adgreſſurus, de *ordine*, quem obſervabo, verbo monebo. Cum mundi ſeu orbis noſtri, initium ex annalibus Moſaicis notum ſit, Eccleſia quoque aliqualis jam ab initio per omnia tempora locum habuerit, ab ipſo Orbe Condito hiſtoria noſtra recte ducitur; ſed cum Eccleſia longe aliam praetulerit faciem ante ſervatorem mundi Jeſum Chriſtum, ac poſt eum manifeſtatum, hiſtoria recte in duas maximas diſpeſcitur periodos; *unam* ad Chriſtum uſque, quae eſt periodus Eccleſiae Patriarchalis ac Iſraeliticae, ſub promiſſione et lege, ſeu, ut adpellari ſolet, *Veteris Teſtamenti*, quem titulum, licet minus exactum, quia vulgatus eſt, ſecutus ſum; *alteram* a Chriſto uſque ad haec tempora, quae eſt Eccleſiae Chriſtianae a ſervitute legis liberatae et ſpiritualis. *Prior* periodus, cum plus quam quatuor annorum millia complexa, et variis notabilioribus caſibus, qui epocham aliquam conſtituere poſſunt, ſeu initium alicujus aerae, interſtincta ſit, perſpicuitatis et ordinis ergo, recte in minores diſpeſcitur

periodos

periodos, easque, ex opinione nostra, *Septem;* quae sunt sequentes.

Prima ab Orbe condito usque ad diluvium Noachicum.

Secunda a terra restituta, finito diluvio, ad exitum Abrahami, Patriarcharum principis, ex Chaldaea in terram Canaanaeam promissam.

Tertia inde usque ad exitum Israelitarum ex AEgypto.

Quarta est Israelitarum inde liberatorum in terra Canaanaea, usque ad jacta Templi Salomonici fundamenta.

Quinta inde sese usque ad illud, una cum regno Judae, destructum, per Chaldaeos porrigit.

Sexta inde usque ad principatum Hassamonaeorum, libertatis a Syro-Macedonibus vindicum.

Septima inde usque ad natum Messiam, Jesum Christum.





HISTORIA ECCLESIASTICA VETERIS TESTAMENTI.



PERIODUS PRIMA.

A MUNDO CONDITO AD DILUVIUM ANN. 1656.

§. I. HIstoria periodi summatim continet Creationem Orbis nostri terraquei, et Coeli ad eum relati, solo Dei potentissimo jussu, quo *dixit et factum est*, sex peractam diebus, primorum hominum, Adami et Evae, copulationem ad procreandam sobolem, et in hortum amoenissimum, omnibusque ad vitam jucundam rebus abundantissimum, Paradisum

dissum dictum, introductionem, eorum deinceps brevi secutum lapsum, et ab obedientia Dei defectionem, per interdicti ejus voluntariam violationem, indeque ortum mortis reatum, sed simul benevoli beneplaciti Dei de lapsis per semen mulieris, caput serpentis, seu dominium peccati ac reatus, contrituri, cum laesione tantum calcanei seminis seu morte temporali, mox resarcienda, promulgationem: deinde duas inde natas sectas, in quas genus humanum divisum est, occasione necis Abelis a Caino fratre, ex odio et invidia factae, alteram Sethitarum, a Setho, Abeli suffecto, denominatam, in qua linea patriarchalis propagaretur, alteram Cainitarum, filiorum Adami, opposite ad Sethitas, filios Dei, dictorum: quae divisio cum 120 annos durasset, adeoque filii Dei cum filiabus Adami copulati essent, corruptio generis humani tantum abest, ut, sicut debebat, inminuta, ut major ac universalis fuerit facta, eo usque ut a justo mundi judice non amplius ferenda sit. Quando Deus diluvio, totam terram, tunc saltem inhabitatam, inundante, genus humanum et animantium terrestrium, exceptis octo hominibus, Noacho et familia, ac animantibus exiguo numero, in Arca conservatis, terribili, sed justo, delevit judicio.

§. II. In cujus periodi tractatione ipsa historia hic illic nonnullis observatis ante est illustranda, quam ad Geographiam et Chronologiam tractandam accedam. Quo fini de libro Genes., ex quo hujus et duarum sequentium periodorum historia petenda est, in genere, respectu autoris, paucis disseruisse non abs re fuerit. Moses, de quo postea suo loco, licet librum composuerit, uti vulgata et bene fundata fert hypothesis, quam hic adsumere licet, eum tamen nec ex inmediata revelatione, licet sub auspiciis et ductu spiritus S., nec ex traditione orali, sed ex monumentis patriarchalibus, ac schedulis, exaratis a viris sanctis antiquioris aevi, ac in familia patriarchali conservatis, composuit, ita ut eas schedulas sive integras, sive contractas, retinuerit subinde, sed et illustrationis ergo nonnulla ex vocibus, phrasibus et ritibus, sui temporis

admiscuerit. Hypothesin ipsam de schedulis patriarchalibus, a Mose adhibitis, feliciter jam jecit Cl. Vitringa Obs. S. I: 4. sed uberius longe demonstravit ac illustravit, schedulis quoque distincte monstratis, etsi non semper aeque feliciter, eruditus medicus *Astruc*, autor libri Gallice scripti, sine nomine autoris, cui titulus: *conjectures sur les memoires originaux du livre de la Genese*. Quare in ea adfirmanda moras non traham, notasse contentus, ex ipsa forma compositionis libri haud obscure elucescere, eum ex ejusmodi schedis esse confectum, cum frequenter memorentur תולדות *recensiones*, et in iis jam narrata repetantur, sed additis et detractis nonnullis, ex. gr. Gen. II: 4. V: 1 VI: 8 XXXVI: 1 XXXVII: 1

§. III. Nec tamen ita sese antiquioribus illis schedulis adstrinxit Moses, ut nihil addiderit aut mutaverit, usus enim est aliqua libertate, et ex vocibus ac ritibus sui temporis nonnulla inseruit illustrationis ergo, ut rectius intelligerentur narrata, seseque ad captum populi sui temporis adcommodavit. Quo pertinet, quod 1. res metaphoris involverit, suo tempore usitatis, uti in historia tentationis Gen. III. Nomina quoque 2. locorum veterum non tantum interpretatus fuerit, ut Gen. XIV: 7, 8. XXIII: 19. quod manum adhuc recentiorem redolet, XXVIII: 19. Sed veterum quoque nominum loco usus sui temporis: uti Gen. III: 22. in voce *Cherubini* pro angelo, XXVIII: 23. in voce קדשה pro scorto et prostibulo publico, Priapo vel Veneri *sacro* Deut. XXIII: 17, 18. Pertinet quoque huc nomen יהוה *Jehova*, antea non notum, aut usitatum, Ex. III. et VI. Adhibuit quoque 3. subinde formulas loquendi sui aevi, uti Gen. XXXIV: 7. in phrasi *rem turpem patrare in Israele*, postea, cum Israel in remp. redactus est, demum usitata, Deut. XXII: 21. Jud. XIX: 23, 24.

§. IV. Historia periodi, quae ad c. VI: 9. ubi narratio diluvii incipit, sese extendit, conplectitur, ut ductum narrationis sequar, et hic illic illustrem, 1. creationem coeli et terrae sex diebus absolutam, et in *quiete* septimo die, a Deo propterea benedicto

benedicto et sanctificato, finitam: c. I. II. 3. Quae historia, quam hujus non est loci exponere, propter ingentes, quos praebet usus, cum a Mose ex peculiari schedula fuerit praemissa, eorum aliquos verbo exhibebo. a. *Primus*, qui mox in oculos incurrit, est, universum hoc habuisse initium, esseque liberum Dei sapientissimi, potentissimi, ac optimi productum, quod verum est cultus Dei fundamentum. b. *Secundus* habet, Creatorem illum esse Jehovam, Deum Israelis, qui in hujus rei signum quoque instituit Sabbathum. c. Astra longe alium habere finem ac cultum religiosum, ut diem inter et noctem distinguant, et lucem adferant, Sol de die, et Luna de nocte, propterea quoque *luminis magni* epitheto insignita, praeterea signa temporum et tempestatum sint. d. Animalia quoque tantum abesse ut cultus objecta sint, ut homini sint subjecta, et in ejus usum cedant. e. Denique *quintus*, et maximi momenti, est, scopum hominis creati esse sanctificationem Dei in homine *recto* et *beato*: sicut cum ex *imagine* Dei, ad quam creatus est in illa rectitudine, et supra animalia, ipsi subjecta, praestantia, qua utraque *Deo* similis est, sita, tum ex *quiete* Dei, absoluta creatione et ad ejus exemplum, homini quoque praescripta, in ipso statu primaevo, ita ut singulis Sabbathis quiescat, colligi potest. *Quies* vero Dei non est nuda ab opere creationis cessatio, sed cum acquiescentia et adprobatione conjuncta. Quo phrasis, *opus Dei fuisse bonum*, ducit, ut et benedictio diei septimae, quae Deo tribuitur, manifesto indicio acquiescentiae Dei in opere perfecto. Sed cum additur Gen. II. 3. Deum *sanctificasse illum Diem*, non simpliciter significatur, Deum eo cessasse ab operando, eaque ratione eum *sanctificasse*, quatenus pro *sacro* habuit, quo sensu Israelitae dicuntur Sabbatum *sanctificare* opposite ad *polluere*, quod operando fit, Matth. XII. sed praeterea eum, a reliquis diebus separatum, pro *sacro* habendum voluisse, in perpetuum creationis et felicis status hominis signum ac monumentum, adeoque ab homine sancte et laete, cum cessatione ab opere solito, transfigendum. De quo certius adhuc constaret, si verbum לעשות ad *faciendum*,

vel *faciendo*, c. II: 3. construere liceret cum ויקדש et *sanctificavit eum*, ut sensus sit, Deum illum diem ad faciendum, seu eum observandum ab homine, sanctificasse; quod jam observavit P. Picherellus adnot. in Cosmop. inter opuscula ejus optimae frugis, et lectu dignissima. Nec tamen id adoptare ausim, licet verbum *facere* ita sumatur Deut. V: 45, quia cum *creare* proxime cohaeret, et pro *perficere*, consummare, ultima inposita manu, subinde sumitur verbum עשה *facere*, uti ex. gr. Jes. XLIII: 7. Sensus ergo est, Deum cessasse ab *omni opere*, quod Deus *creavit faciendo*, seu consummando, ad finem itaque et perfectionem usque.

§. V. 2. Sequitur in historia narratio providentiae Dei, physicae et moralis, erga primum hominem, respectu loci et status, inprimis oeconomici, quae prima pars est novae schedulae, quae sese a vers. 4*to* cap. II. porrigit ad vers. 8. cap. VI. sed ita, ut nova schedula ei fuerit cap. V. inserta, de quo mox. Est autem novae schedulae indicium, partim in titulo praemisso, c. II: 4. *hae sunt generationes coeli et terrae* h. e. historia originum coeli et terrae, eorumque constitutionis primae; partim in nonnullarum creationis partium repetitione, quam idem non fecisset autor, et ulteriore illustratione. Complectitur autem haec prima pericopa cap. II: 4—praeter creationem coeli et terrae ac hominis repetitam, *providentiae* Divinae enarrationem, qua physicae qua moralis, in eo sitae, quod homini domicilium dederit in Paradiso, eumque munierit interdicto, ne statu suo felici excidat, praetera ipsi, ad reliquorum animantium exemplum, suppeditaverit medium propagandi seminis in muliere, ex una costarum ejus nata. Ad quam pericopam illustrandam nonnulla dabo observata. 1. Primum est, primam ejus partem eo tantum tendere, ut media culturae terrae, a Deo procurata, traderentur vers. 4--7. quae duo memorantur, exhalatio terrae et formatio hominis, qui hic, tanquam terrae colendae destinatus, consideratur. Quo considerata oculo haec pars faciliorem nanciscitur intellectum, quem hac versione exhibebo: *quum ea crearentur, et quo tem-*

pore

pore Deus feciſſet coelum et terram (ſeu conſummaſſet opus creationis; quod hic eſt facere, additum verbo *creare*, ut modo habuimus) *nec ullum agri virgultum eſſet in terra*, *nec ulla agri herba germinaret*, *quia nec pluerat Jehova Deus in terram*, *nec homo erat*, *qui terram excoleret: tunc vapor adſcendit e terra*, *ejuſque totam ſuperficiem irrigavit*, *et formavit Jehova Deus hominem* etc. Quorum ſenſus, qui ſecundum datam verſionem, textui unice congruam, ſeſe facile offert, huc redit. Terra fundata, et herbis ac arboribus ſemina ſua continentibus veſtita, coelo quoque cum Sole, luna et ſtellis, eo pertinentibus formato, (quae omnia primis quatuor diebus facta ſunt,) cum adhuc media colendae terrae deficerent, quibus tamen Providentiae divinae opus erat, Deus, eo ſcopo, tum vapores e terra curavit oriri, tum hominem, anima rationali praeditum, creavit e terra, ad eam colendam. Ad quam paraphraſin intelligendam nihil, poſt verſionem noſtram, requiritur, quam ut notetur, duo prima verſ. 5. membra de fruticibus et herbis per cultum agri, e terra culta germinantibus, agere, quo ipſa vox שדה ager, vi originis, *irriguus*, et verbum צמח *propullulare*, *germinare*, ducit. Docet itaque pericopa, hoc ſenſu ſumta, 1. quid creatio diſtet a providentia, cum haec utatur mediis, 2. terram et coelum, ad eam ſcilicet relatum, ideo etiam producta eſſe, ut frugum et alimentorum ſit copia, 3. hominis in terra opus et negotium fore, terram excolere.

§. VI. 2. Secundum obſervatum circa ſecundam partem, qua traditur, quam qualemve terrae partem Deus primo homini inhabitandam et excolendam tradidit, v. 8--15., verſatur, habetque, paradiſum non fuiſſe *creatum*, multo minus tertio die, ut vulgo putatur, quo terra eſt fundata et fructificata, ſed opus eſſe Providentiae, quod, abſoluta creatione, factum eſt in uſum primi hominis in ſtatu rectitudinis; nec ut ibi otioſus degeret, ſed hortum *coleret* et *cuſtodiret*, ut eſt v. 15. Fundatum eſt obſervatum, cum in eo, quod Deus non *creaſſe*, ſed *plantaſſe*, et e terra germinare feciſſe dicatur, tum, quod hominis creationi ſubjiciatur, qui narrationis ordo neutiquam

migrandum est: et ex v. 15. quoque confirmatur. Cum vero de *situ* paradisi mox acturus sim, de duabus arboribus in medio horti, *vitae* et *scientiae boni ac mali*, nihil habeam peculiare, nec conjecturis indulgere lubeat, ad *tertiam* pericopae partem. 3. pergo, quae providentiae *moralis* specimen, in omni fructu horti concedendo, excepto *arboris* scientiae boni et mali, comprehendit vers. 16, 17. Ubi illud tantum, quod a scopo non est alienum, observo, providentiam hanc eo spectasse, ut homo per promissa et minas in statu felici, in quo versabatur, modo rationali, et salva libertate arbitrii, confirmaretur, et ita tandem summa ac aeterna felicitate bearetur. Utique *arbor vitae*, cujus fructu gauderet, sicut vitae conservandae et laetificandae per fructum suum erat medium causale, ut cum aliis opinor, ita vitae perpetuae ac beatae signum ac sigillum recte censetur fuisse. Quod utrumque ex nomine *arboris vitae* recte colligitur, et inde, ne alia nunc memorem, confirmatur, quod per lapsum morti obnoxio via ad hanc arborem ipsi fuerit praeclusa: c. III: 22. Interdictum vero, quo ipsi fructus arboris *scientiae boni* et *mali* fuit vetitus, genuino suo conspectu habendum est, ut mihi videtur, pro *signo* legis internae amoris Dei et proximi animo hominis inscriptae; ad quam observandam ipse, ad imaginem Dei creatus, aptus erat et inclinatus, simul signum probatorium, quo observato constaret, eum legis internae esse studiosum, et violato, ei renunciasse: interdictum quippe aptum erat homini continuo inculcare, ipsum non esse sui juris, sed Deo, tanquam creatori suo subjectum, Deum insuper supra omnia esse amandum, et in ipsius communione, non vero bonis terrestribus, summum bonum situm esse, adeoque concupiscentiae, seu desideriis, licet per se licitis, renunciandum esse, si amor, et obedientia Deo praestanda illud exigat. Sed signi probatorii conspectum habuit, cum interna lege arcte connexum, adeo ut internae legis observatae vel violatae signum fuerit interdicti observatio vel transgressio. *Interminatio* vero miseriarum hujus vitae et mortis, quatenus ad interdictum, tanquam tale

signum

signum, spectat, significabat, eum, qui legis internae praestitae hoc signo dato, sine ullo incommodo suo aut detrimento in statu felicitatis perseveraturus non tantum, sed et perficiendus sit, et summum ejus nacturus gradum, hoc interdicto violato, non nisi per multas miserias et mortem ad ultimum suum finem venturum, sive infelicem et miserum, legi internae violatae congruum, sive felicem, si Deus peccata remiserit, et pristinum statum, quo excidit homo, instauraverit, sicut se facturum esse mox post lapsum declaravit Gen. III: 15. Sicut itaque *interdictum* fuit internae legis externum signum probatorium, ita *interminatio*, eo respectu, quid complectitur, quod transgressionis ejus signum est. Quae omnia alibi latius sum executus, hic tetigisse suffecerit.

§. VII. Deus itaque, ut concludam, cujus scopus in homine libertate praedito creando ac gubernando fuit, omnia ipsi media et rationes moventes praebere necessarias, ut Dei favorem per obedientiam retineret, et sibi ab inobedientia caveret, sicut per arborem *vitae* ipsi ostendit, quid boni a Deo habeat exspectandum per obedientiam ipsi praestitam, ita per arborem *scientiae* ipsi vetitam, sub poena mortis, declaravit, quid mali inobedientia adferret, simul serio hac ratione monere hominem voluit, ut sibi ab omni inobedientia sedulo caveret. Praeterea, cum homo *libertatis* dono esset a Deo prae animantibus ornatus, quo recte uti et abuti possit, quod interdictum et lex pro hypothesi habet, primus quoque homo rectus quidem et integer esset, attamen nondum in rectitudine confirmatus, Deus ipsi hac ratione succurrere voluit, cum ut ad se adtenderet ac prudenter ageret, tum hujus arboris et interdicti contemplatione prudentiam exerceat, ac augeret. Quo manifeste nomen arboris *scientiae boni et mali* tendit. Phrasis enim, *bonum et malum scire*, stylo Script., perfectiorem scientiam, qua quis boni et mali naturam perspectam habet, denotat, et prudentiam, qua sibi a malo cavere, et bonum eligere novit, sicut ex. gr. Deut. I: 39. 2 Sam. XIV: 17. Hebr. V: 14. *Arbori* autem hoc nomen datum est, re-

late, non ad naturam ejus, sed ad *interdictum*, quatenus ejus virtute fuit medium causale, quo homo prudentiam discere, et ad eam exercendam ac perficiendam excitari potuit; praeterea apta erat arbor, explorandae hominis prudentiae, num ea gaudeat, an careat. Docebat utique vi interdicti haec arbor magni momenti veritates, Deum ex. gr. esse supremum hominis Dominum, summum bonum, hominem vero esse liberum, qui bene vel male uti potest libertate sua, felicitatem denique vel infelicitatem ab obedientia praestita, vel neglecta, pendere, etc. quae veritates, bene perspectae, et admissae, prudentem faciunt ac demonstrant hominem.

§. VIII. Circa *quartam* pericopae partem, vers. 18—24. duobus defungar observatis. Quorum *prius* est, adductionem animantum ad Adamum et inpositionem nominis, eo tantum spectasse, ut de necessitate adjutorii, ad sui propagationem a Deo dandi, ex eo convinceretur, quod tale quid inter reliqua animata invenerit, nec tamen simile quid, quod sibi ad eum finem conveniat, de quo scopo ex vers. 18 et 20. facile, ni fallor, constat. Etsi enim nominum inpositio signum praecellentiae et dominii praetulerit, eo tamen, quod vulgo putatur, praecipue et directe non autumaverim collineasse, sed ut Adam videret, num aliquod לעזר quod sibi ad propagationem conveniret, reperiat inter animantia, illudque nomine insignito declararet, ut ea ratione de necessitate adjutorii ejusmodi, et bonitate Dei in eo concedendo, convinceretur, cum in omnibus aliis animatis tale quid offendatur, et ad propagationem sit necessarium. Qui scopus ex tota sermonis serie sponte sua sese adtendenti offert. Communis quidem fert opinio nominis inpositionem, ab Adamo factam, in eo fuisse sitam, quod singulis animantium speciebus propria, et naturae eorum congrua, dederit nomina, quin eadem, quae in lingua Hebraea superesse putantur: sed quae haud una premitur difficultate. Praeterquam quod longe probabilius, et naturae rei convenientius sit, nomina illa sensim, postquam per experientiam de indole et usu animantium constitit, quae eo maxime respicere solent, fuisse

fuiſſe orta; percipi plane nequit, Adamum, tam brevi tempore, talem tantamque animantium habuiſſe notitiam, niſi ex revelatione, cujus nullum non tantum exſtat indicium, ſed contrarium potius, cum animantia ad eum legantur adducta, ut adpareret, quo nomine ea adpellaret ipſe Adam, ſtatuatur hauſiſſe. Praeterea quid ejusmodi nominum inpoſitio ad ſcopum modo memoratum faciat, plane non intelligitur. Quid itaque? nomen, quod Adam animantibus inpoſuit, forte nihil aliud fuit ac quo ea, tanquam a natura hominis diverſa, adeoque ad hominis adjutorium inepta, fuerunt definita, quod generale nomen eſt נפש חיה *ψυχὴ ζῶσα anima viva*, quo inſigniri ſolent, uti Gen. I: 24. jam erant, cum Adam praeterea anima rationali, imagine Dei ornata, gauderet. Licet et ipſe illud cum iis commune habuerit, adeo ut etiam eo nomine veniat verſ. 7. in eo tamen iis longe erat ſuperior, et ab iis diverſus, quod *ſpiritum vitarum in ipſum ſufflaverit* Deus, ut ibid. traditur; animantia vero nihil aliud habuerint, nec alio nomine inſignita fuerint. Quo ultimum membrum verſ. 19. forte referri poterit, ita vertendum; *et omne, quo vocavit illud, animatum vivum, hoc nomen ejus erat* h. e. nomen, quo inſignivit animantia, nihil aliud erat ac generale illud *animati vivi.* Qua admiſſa hypotheſi, tota pericopa ei convenienter reddi hac ratione poterit: *et congregavit Jehova Deus de terra omne vivum agri - - - et adduxit ad Adamum, ut videret quo modo*, ſeu quo nomine, *vocaret illud, et omne*, ſcilicet nomen, *quo vocavit illud Adam, erat animatum vivum, hoc nomen ejus. Cum vocaſſet Adam nominibus - - - Adamo* (h. e. *ſibi*) *non invenit auxilium* לנגדו *ſecundum anterioritatem ſuam;* ſeu ſibi ad propagationem aptum. In quibus ſi non acquieſcatur, ſtatui poteſt, nomina, ab Adamo inpoſita, *ſexus* tantum diverſitatem deſignaſſe, ita ut ſingulis animantibus ſua dederit adjutoria propria.

§. IX. Cum Adamo neceſſitas adjutorii eſſet ob oculos poſita, ipſeque de inpoſſibilitate tale quid inter animantia inveniendi, experimento facto, eſſet convictus, Deus ſua potentia

ejus producere poſſe talem cum Deo ſimilitudinem, nec ullum eſſe metum mortis inde oriturae, ſicut interminatio habebat, etc.

§. XI. Ceterum cum de modo tentationis, lapſus hominum vero conſpectu et gravitate, noxiis denique ejus effectis, aliisque huc pertinentibus rebus, uti promiſſo de poteſtate Satanae, ſeu peccati et mortis, per ſemen mulieris abolenda, hic non ſit locus diſſerendi, duobus contentus ero obſervatis: uno circa tentatorem, altero de tempore lapſus. Tentatorem fuiſſe Satanam, licet ex ipſa hiſtoria tentationis, clariſque ſcript. ſ. locis, uti Joh. VIII: 2. Cor. XI. Apoc. XII. et aliis manifeſtum et communiter receptum ſit, quare eo epitheto inſigniatur, non idem ſentiunt Theologi, dum alii, quae vulgatior eſt ſententia, ſerpentem animalem a Satana volunt inſeſſum, et tanquam inſtrumentum et organum adhibitum, alii metaphorice propter ſimulitudinem, reſpectu aſtutiae et malitiae, poteſtatiſque lethalem inferendi plagam, eo nomine, convenienter ſtylo Orient. et Script. ſ., adpellatum, nec ſub larva ſerpentis, verum inſtar angeli lucis cum Eva egiſſe, contendunt, ſicut 2 Cor. XI: 3. et 14. ſecum collatis indicari videtur. Quam ſententiam, poſt Amyraldum demonſtravit Vitringa P. ad Ap. XII, fuſius et certius Vitringa F. in Diſſ. a me editis; ubi in notis etiam aliquos veterum ejusdem opinionis adduxi. Videtur vero et mihi haec hypotheſis verior et facilior longe, cum a multis difficultatibus, quibus altera premitur, ſit libera, et in conſequente parte narrationis c. III, 14, 15. ſolus Satanas ſub nomine ſerpentis, ſeu ad animalem nuda adluſione, ſit intelligendus; ne alias memorem rationes, a Cl. Vitringa F. fuſius deductas.

§. XII. Protoplaſtos, Adamum et Evam, eodem die ſexto, quo creatus eſt Adam Gen. I, fuiſſe tentatos et lapſos, nonnullorum veterum fuit opinio, et eſt quoque aliquorum recentiorum, in eo fundata praecipue, quod tempore tentationis nondum comederint de fructibus Paradiſi; quod colligitur ex interrogatione Satanae c. III: 1. vel potius adſerto ejus, *quan-*

to

to magis quia dixit Deus, non comedetis de omni, vel ulla, arbore hujus horti: cui locus non foret, ſi jam ante comediſſent. 2. ex reſponſo Evae in ſut. v. 2, 3. *de fructu arborum comedemus*; ſed *non de arbore in medio horti.* 3. ex v. 22. *ne manu inmiſſa comedat homo*, inquit Deus, *etiam de arbore vitae.* Quae argumenta, ſi alicujus ſint ponderis, nihil aliud probant, quam *primo* die formatae Evae, et morae ejus in Paradiſo, contigiſſe lapſum: Evam vero *ſexto* die fuiſſe creatam mihi non videtur adeo exploratum, quam vulgo putatur. Mentio quidem fit *foeminae* ſexto die creationis Gen. I: 27. ſed, ut videtur, per anticipationem, et in prima tantum ſchedula, quae in genere de maris et foeminae creatione loquitur, nullo facto diſcrimine, cum tamen ex ſecunda ſchedula c. II: 4—conſtet, alio modo et tempore fuiſſe Evam formatam. Utique lapſum non *ſexto* die contigiſſe, mihi pluſquam probabile videtur 1. ex approbatione Dei, qua opus ejus diei declaravit *valde bonum* Gen. I: 31. 2. ex quiete Dei die ſeptima, ejuſque benedictione: quacum lapſus hominum conciliari nequit. 3. denique ex hiſtoria plantati paradiſi, animalium adductionis ad Adamum et formatae Evae Gen. II. quae omnia, ut ſupra obſervavi, ſunt creationis ſeptem diebus poſteriora. Interea eodem die formationis Evae eam fuiſſe lapſam, adfirmare non auſim, eo minus quod Satanas ante videatur, tanquam Angelus lucis, ei innotuiſſe, et cum ea commercium habuiſſe, quam fallere tentaverit. Nec argumenta modo prolata illud evincunt, cum colloquium Satanae et Evae locum habere poſſit, licet Eva jam comediſſet, cum circa legem Dei de cibo licito et vetito tantum fuerit verſatum, verſ., quoque 22. ad futurum tantum reſpiciatur. Verba, *et nunc ne inmittat manum ſuam, ſumatque etiam de arbore vitae, et comedat ac vivat in aeternum*, hunc fundunt ſenſum: ſicut ſtulta opinio de arbore ſcientiae boni et mali, tanquam cauſa prudentiae divinae, ipſum proſtituit, ut praecedens interrogatio ſignificaverat, ita et ipſum ab arbore vitae, cujus uſu hucuſque tanquam ſigno vitae perpetuae gaviſus eſt, arceamus, ut externo

hoc ſigno diſcat, ſe jure vitae excidiſſe, et mortem ſubiturum eſſe. Licet tempus morae in paradiſo definiri nequeat, videtur tamen fuiſſe breviſſimum, quia Adam uxorem non cognovit, nec in ſtatu integritatis confirmatus erat, aut aliquam acquiſiverat prudentiam, cum *nudus* dicatur fuiſſe, abſque ut ejus ſenſum habuerit, ut modo expoſui.

§. XIII. Quarta pericopae pars, quae eſt ſchedulae tertia, nova intercipitur ſchedula et ſecatur, cap. V. recenſita, quod ante omnia velim notari: indicium novae ſchedulae praebent voces initiales c. V: 1. *hic liber generationum Adami*, et c. VI. ſchedulam ſuperiorem continuari, ex eo facile patet, quod cum cap. V. nullo modo, ſed cum cap. IV. manifeſte cohaereat: ut mox liquebit. Sunt pericopae duae partes majores, quarum *prior* c. IV. diviſionem in familia Adami inter Cainitas et Sethitas exortam enarrat, *poſterior* cap. VI: 1--8. diviſarum partium redunitionem, eamque, progreſſu temporis, ſecutam totalem humani generis corruptionem, excepta domo Noachi. Diviſionis cauſam et occaſionem praebuerunt duorum Adami filiorum Caini et Habelis fata, in hujus caede a fratre, et illius exilio a judicio divino orto, ſita: uti narratur cap. IV: 1--15. Cain erat primogenitus, et nomen inde traxit, quod Eva in eo ſibi devinxerit maritum, ac favoris Dei ſignum ſibi viſa fuerit habere: hunc enim ſenſum mihi fundere videntur ejus verba; *acquiſivi virum*, *mecum* eſt *Jehova*. Vocum אתיהוה conjunctio in vetere ſcriptura fecit, ut י in אתי poſtea exciderit; legerim enim אתי יהוה *mecum Jehova* eſt: quo nihil eſt facilius, et in rem aptius: quod ſi diſpliceat את vel erit pro עם *cum*, vel pro מאת *a*, ut ſit vel cum Jehovae, vel a Jehova. Praeterea notari velim, *virum* איש hic non eſſe, ut putatur, filium ipſum, quem pepererat, ſed *maritum*, cum *ille* eo nomine nuſquam inſigniatur, nec hic commode poteſt, *his* vero omnino cap. II: 23. unde et Eva nomen אשה retulit. Dicere ergo voluit Eva, hunc filium primogenitum pariendo, ſeſe virum, cujus erat ſecundum primam conjugii inſtitutionem adhaereſcere uxori, ſed quem per deceptionem

tionem, indeque ortum lapsum, videri posset a se reddidisse alieniorem, hoc novo munere denuo sibi obstrinxisse, dignamque se fertilitate sua fecisse, quam amore complectatur maritus; prorsus sicut Lea sese expressit, cum filium adpellavit *Levi* Gen. XXIX. fin.

§. XIV. Caussa invidiae et irae Caini, in Abelem fratrem exardentis, unde hujus orta est caedes, in eo quaerenda est, quod, lite inter eos de jure et praerogativis primogeniturae suscitata, dum Cain ad nativitatem, Abel ad pietatem et virtutem provocavit, judicium divinum, quo decisio fieret, implorandum censuerint per sacrificium, tunc primum, non sine divino instinctu, ut videtur, sed de quo hic non est agendi locus, institutum, in signum et grati animi, et ad favorem Dei promerendum. Quo ab utroque, convenienter vitae utriusque instituto, a Caino, quippe agricola, per frugum, Habele vero pastore, per gregis primitias, facto, Deus externo signo, sive ignis illapsi, sive alio, se in Abelis sacrificio acquiescere, et ipsum Caino esse praeferendum, declaravit. Quo cum Cain moerore et alio sinistro adfectu esset commotus, divini judicii rationem, simul admonitionem de mentis et vitae in melius mutatione, his verbis a Deo ipso audivit, vers. 7, secundum rectam ejus versionem et interpretationem: *nonne*, si *recte feceris* (fidem veram exercendo, ac pietati et virtuti studendo, ac eo ex principio offerendo) *elatio* (scilicet vera et legitima praecellentia, primogenito competens) *sed si male egeris* (ut fecisti) *recubans ad ostium peccati*, (h. e. peccato in posterum adhaerescens, ab ejus suggestionibus pendens, et ad ejus placita adtentus: vid. Prov. VIII: 34.) *etiam adpetitus ejus ad te, et tu dominaberis ei?* (instar primogeniti) nihil minus. Capiendum enim est ultimum membrum interrogative, et fortissime negat. Quae cum fusius tractaverim in Diss. Sel. I. ad Genes., hic tetigisse suffecerit.

§. XV. Amicae admonitioni tantum abest ut morem gesserit Cain, ut invidiae et irae indulgens, fratrem blanda oratione in agrum, seu locum solitarium, pellexerit et occiderit.

Verba v. 8. *et dixit* Cain Abeli *fratri suo* supplenda sunt ex LXX. Interp. et Cod. Samar. per *eamus in agrum*; sicut Aquila quoque habet, et Hebraei tradiderunt exstare in Apocrypho. vid. Origen. ad Genes. oper. t. II. p. 30. nov. edit. Obfirmavit praeterea sese ad Dei adloquium, *ubi est frater tuus?* sibique creptam primogenituram Deo quasi exprobravit, dicens *egone custos fratris?* qui primogeniturae praecellentia a Te privatus sum: quare a Deo, peccatum clamans, adeoque vindicandum, a se esse commissum, audivit, et judiciali sententia proscriptus est ex illa terra, ubi erat, relegatusque in locum sterilem ad vitam miseram degendam cum mala conscientia conjunctam. Hunc enim sensum praeferunt verba Dei ad Cainum v. 11, 12. *Esto maledictus ex hac terra* (excommunicatus, proscriptus et extorris e regione hac, vicina Paradiso) - - - *famelicus* ad extremam egestatem redactus, *esto et quassus*, seu sede excussus, vagabundus, et tremulo concussus motu. Verbum נוע originem habet in concussione tremula instar arboris a vento agitatae Jes. VII: 2. et in specie, adhibetur in mendicante, qui dicitur concussus vagari, נוד denotat nutationem tremulam, ab origine quatiendi et quassandi; et *quati* dicitur, qui sede excussus vagatur, et varie vexatur.

§. XVI. Quo fulmine ictus Cain ad se rediit, seseque submisit, et supplex mortem non tantum deprecatus est, quam, a Deo derelictus, a quocunque habebat metuendam, sed et stirpis suae totale excidium. Hunc enim conspectum verba ejus habent, et non hominis desperabundi, modo recte et interrogative capiantur vers. 13. et 14. *atrociusne est meum commissum, quam ut remitti queat? ecce expulisti me hodie - - - - - omnisque, qui me invenerit, occidet me.* h. e. estne peccatum meum ultima totalis excidii poena vindicandum? utique sic videtur, cum me extorrem et maledictum pronunciaveris, adeoque tutela tua destitutum, omniumque invasioni expositum: fieri utique aliter non potest, quam ut homines, sive qui sunt, sive qui existent, me sint mala morte mulctaturi: quare me ab hoc periculo praesta tutum, eoque spem facias stirpis

meae

meae inſtaurandae, et peccati ſuo tempore condonandi. Qui ſenſus et ſcopus ex reſponſo Dei ſatis clare eluceſcere mihi videtur. Dixit enim ipſi Deus, IV: 15. *non ſic* erit (pro לכן legendum videtur לא־כן *non ſic*, *ut Gr. et Syr. habent*) *quicunque occiderit Cainum*, *ſeptupliciter vindicabitur Cainus*; *inpoſuitque Caino ſignum*, *ne a quocunque occidatur.* Concedit itaque ipſi Deus liberationem a morte, et ſpem haud obſcure facit ſobolis Caini in integrum reſtituendae, ſicut et contigit, ut c. VI. narratur, de quo mox. Ceterum, *ſignum* quod Deus ipſi inpoſuiſſe dicitur, quo tutus foret a caede aliorum, videtur *verbale* fuiſſe, adeoque nihil aliud quam ipſa illa ſententia Dei interminatoria, in omnes pronunciata, qui manus in eum injecerint.

§. XVII. Ipſa diviſio in eo fuit ſita, quod Cain ſeparatam habuerit, cum familia, ſedem in terra Nod. ut IV: 16. traditur, et a familia Adami diverſam condiderit ſocietatem, una cum maledictionis divinae ipſi incumbentis nota: quae nominum quoque ſecum traxit diſcrepantiam, qua Cainitae *filii Adami*, et Sethitae deinceps *filii Dei*, cap. VI: 2. adpellati ſunt, quae aetate Henochi ceſſavit, quando de nomine Dei commune factum eſt adpellari: c. IV: 26. de quo mox. Contexitur vero genealogia Caini vs. 17--24, dein Sethitarum v. 25, 26. Prior uſque ad Lamechum, quintum a Caino, et memorantur Henoch, Hirad, Mehujael, Methuſael, et Lamech, cujus filii fuerunt Jabal, Tubal, et Tubalcain; ac filia Naama. Ratio, quare ulterius non procedat, alia non patet, quam quod Moſes in ſchedula ulteriorem non invenerit progreſſum. Ceterum Lamech videtur unus eorum fuiſſe, qui *gigantes et viri nominis* adpellantur c. VI: 4. quo thraſonica ejus oratio c. IV: 23, 24. nos quoque ducere videtur, *virum occidi propter vulnus meum*, *et puerum propter livorem meum maculoſum*; *quia ſepties vindicabitur Cain*, *ſed ſeptuagies ſepties Lamech.* Senſus eſt, ſe inpune graſſaturum, exemplo Caini ſecurum; cum enim is fratricida evaſerit, ſe multo magis, quia peccatum ſuum eo Caini eſt levius, quippe vindictae tantum ergo patratum,

tum, ut vulnus et plagam suam ulcisceretur. Altera Adami genealogia per Sethum, Abeli substitutum, et firmius ac diutius stantem, quo nomen שֵׁת *Seth*, ab Eva ei inditum, ducit, ad ejus filium Enochum progreditur, anno Sethi 105to natum c. V: 6. Ratio, quod in eo subsistitur, inde videtur repetenda, quod tempore Enochi cessaverit Cainitarum et Sethitarum divisio, ita ut promiscue tunc coeperint conjugia, maledictione Caino incumbente tunc quoque sublata. De quo mox. Ne autem sancta Sethi linea traderetur oblivioni, Moses novam inseruit schedulam, quae eam genealogiam usque ad Noachum comprehendit cap. V.

§. XVIII. Qua de re antequam agam, altera pars schedulae patriarchalis, quae divisarum familiarum instauratam unionem enarrat, subjungenda est. Proponitur vero illa reunitio generatim c. IV: 26. et specialius deducitur c. VI: 1--8. filo narrationis, ut supra observavi, per novam schedulam insertam, abrupto c. V. Verba c. IV: 26. *tunc*, seu tempore Enochi, *profanatum est*, vel commune factum, *vocare nomine Jehovae*, ut verti debent, huc redeunt. Cum occiso Abele, et expulso Caino, reliqui Adami filii sese a Cainitis distinxerint, seseque tanquam filios Dei, a Cainitis maledictis sejunctos, gesserint, hoc tempore sese cum iis denuo copularunt, et *nomine Dei adpellari* factum est commune, sive singulari titulo sese amplius non distinxerunt. Verbum הוחל verti solet *coeptum est*; non intercedo, modo vis verbi retineatur, quae usum promiscuum et communem continet, adeoque reddatur, *cum coeptum est promiscue*, quod idem dicit ac *profanatum* est, quatenus, sacro usui oppositum, communem et promiscuum usum designat: verbum proprie dicit *solvere*, unde ad quicquid non est restrictum, sed omnibus expositum transfertur. Quo sensu frequenter occurrit. Phrasin *vocare se de nomine Dei*, recte verti, et eum, quem dixi, sensum ferre ex Jes. XLIII: 7. et aliunde satis tritum est. Graeci dicerent, καλεῖσθαι ὀνόματος (pro ἀπὸ ὀνομ.) κυρίου; uti est apud Callim. Dian. v. 35. ubi vid. Ez. Spanhemius. Est vero haec interpretatio antiquissima, quam Ephraim

;phraim Syr. Sec. IV. ad h. l. etiam tenuit. Vulgatior sen-
entia, quae de *invocatione nominis Jehovae* et cultu publico
unc instituto, intelligit, si obtineat, sensus erit, tunc *communi-
er* illud esse coeptum, Cainitis et Sethitis unitis. Sed in alia,
onge faciliore, et cap. VI. convenientiore, acquiesco. Est
aque sensus, communem et promiscuum *nominis Dei*, antea
estricti et Cainitis inusitati, usum fuisse introductum, ita ut
ui eo, tanquam characteristico, se insignierant, eaque ratione
Cainitis sejunxerant, id facere desierint, Cainitae quoque eo
si fuerint; de quo nomina nepotum Caini Mechujael et Me-
usael c. IV. 18. quoque testantur.

§. XIX. Hac divisionis nota sublata copularunt sese antea
lii Dei dicti cum Cainitis, filiorum Adami, communis paren-
is, titulo insigniri solitis, licet non mox, sed progressu tempo-
is, cum Cainitae multiplicati sunt, et nihil amplius male-
ictionis divinae iis incumbere intellexerunt, partim ex terrae
sorum fertilitate, omniumque rerum abundantia, ac utilium
nstrumentorum fabricatione, in commoda et delectationes ho-
inum, ut ex c. IV: 17, 20. etc. colligi potest, partim ex
enusta filiarum forma, cujus in nomine *Naama*, filiae Lamechi
. 22. quod *venustam* et jucundam denotat, forte indicium
st: utique de pulchritudine filiarum Cainitarum testatur histo-
ia c. VI: 2. Sed praecipuum maledictionis sublatae indicium
rostabat in ipsa Dei declaratione, his verbis expressa c. VI:
. *etenim dixerat Jehova, non jurgabit spiritus meus in perpe-
uum cum homine* (vel non *judicabit eum ira mea* h. e. non
ratus ipsum judicabo et puniam: quem usum רוח *spiritus*, fla-
us, subinde habet, et rigidam denotat justitiam: ut Jes. XXX:
18. Zach. VI: 8. Eccles. IV: 9. X: 4. et alibi) *propte-
ea quod et ille caro est.* (h. e. inbecillis et misericordia dig-
us: quo sensu formula illa adhiberi solet; uti Ps. LXXVIII:
38, 39. CIII: 14. Jes. LVII: 16.) Quam diu vero judi-
ialis illa Dei cum Caino duraverit contentio, haec verba,
uae sequuntur, declarant: *erunt, vel fuerunt, dies ejus* 120
nni. (h. e. tempus judicii maledictionis et irae, quod voce

 dies

diei ſpeciali ejus uſu ſubinde denotatur, ſicut *dies* praelium, cladem, et notabile infortunium exprimit: uti Pſ. XXXVII: 13. CXVI: 2. CXIX: 84. CXXXVII: 7. Job. XXX: 16. et aliis locis, in Diſſ. cit. productis) Quae verba male ſolent ad diluvium, poſt 120 annos inferendum, trahi, cum ejus opinionis nullum ſit fundamentum, nec orationis ſeries, aut ſcopus aut phraſis, patitur: uti in Diſſ. Sel. II. ad Gen. fuſius demonſtravi. Ceterum cum Seth poſt necem Habelis natus ſit, et Enoch anno 105 Sethi c. V., tempore vero ejus prima ſublatae diviſionis ſeſe manifeſtaverint indicia, ut modo notavi, hoc annorum ſpatium ſponte ſeſe offert; duravit itaque uſque ad Enochi annum 15*tum.*

§. XX. Conſequentia hujus renovatae ſocietatis fuerunt humano generi funeſta, cum gigantes, ut adpellari ſolent, circa illud tempus fuerint, nec graſſari poſt eam redunitionem ceſſarint, ſimul per totum genus humanum ſeſe diffuderint, et corruptio ac violentia facta fuerit univerſalis et ſumma: uti c. VI: 4--8. traditur; non tanquam naturale inſtauratae unionis eorum effectum, ſed tanquam quod progreſſu temporis ſecutum eſt, non obſtante ſanctae lineae cum filiis Adami conjunctione, quae corruptionem alias videbatur inpeditura. Quo haud obſcure tendit, quod VI: 4. habetur: *gigantes erant in terra illo tempore, etiam poſtquam filii Dei ad filias Adami intraverint etc.:* ſcilicet, ſe cum iis per conjugia copulando: quod ſtylo ſcript. eſt *venire* ad foeminam. Uſurpatur enim verbum בוא de viro mulierem ſibi adoptante ac intrante, uti 1 Chron. II: 21, 24. quo ſenſu etiam Joſ. XXI: 7 et 12. venit, nec non de familiari et intimiore cum aliquo commercio, uti 2 Chron. XXIV: 17. Prov. XVIII: 3. et alibi.

§. XXI. De quo mundi ſtatu morali antequam agam, nova ſchedula cap. V., per parentheſin quaſi ſecundae inſerta, eſt paucis memoranda, quippe qua Sethitarum linea Patriarchalis, ſeu eorum, in quibus jus primogeniturae foret, pertexitur, ſive fuerint primogeniti, ſive non; quod eſt alicujus momenti obſervatum, in eo etiam fundatum, quod Adam dicatur

citur Sethum, in locum Abelis scilicet, procreasse, et ab eo repetatur recensio, licet non fuerit primogenitus ejus, praeterea addatur, eum esse ab Adamo genitum *in similitudine secundum imaginem ejus* v. 3. Quae phrasis, quod observo, hoc loco, excellentiam ac principatum, ab Adamo ad hunc filium devolutum involvit, simul per totum caput repetenda est, ubi de eorum agitur generatione, in quibus jus primogeniturae foret. Peculiarem in ea recensione merentur adtentionem duo illustriores viri, Henoch et Noach, *prophetico* dono ornati; cujus singularis praerogativae duo prostant in utroque indicia; *unum* in eo, quod *cum Deo ambulasse* dicantur, Gen. V: 22, 24. et VI: 9. quae phrasis sinceritatem et pietatem non tantum, sed et familiarius cum Deo ac intimius denotat commercium, et prophetam designat. Ceterum cum c. V: 22. Henoch legatur cum Deo ambulasse, et mox addatur, *postquam* genuisset Methusalachum &c. obiter observo, ne, ut solet, hinc colligatur, ipsum tunc demum incepisse cum Deo ambulare, ante vocem אחרי *postquam* addi debere verbum ויחי *et vixit postquam genuisset Methus. annos trecentos*: de cujus observati veritate, qui caput hoc legerit, facile convincetur. *Alterum* indicium est, quod uterque *prophetasse* dicatur. Henoch utique poenam mundo per diluvium infligendam praedixit, ut in Epist. Judae traditur, ubi ipsa quoque proferuntur verba, non ex spurio libro Henochi, sed vel ex traditione, vel fragmento aliquo, tunc adhuc superstite, postea perdito. Adplicat quidem Apost. verba ad impios sui temporis, sed Henoch homines suae aetatis in oculis habuit, ut facile cernitur. Noach vero jussu Dei et spiritu ejus admonitus adnunciavit illud judicium instans, per *arcam* in ejus signum fabricatam condemnavit mundum, Heb. XI: 7. illustri quoque vaticinio fata filiorum in posteris praenunciavit, Gen. IX. de quo postea. Praeterea singularis Dei favoris ambo exstans experti sunt signum, Henochus in adsumtione sua, absque ut mortem subierit, in coelum, Gen. V: 24. et Heb. XI. Noachus vero, qui c. VI: 9. dicitur *gratiam invenisse in oculis Jehovae*, in eo, quod cum

F familia

familia fuerit diluvio ereptus, et mundi, a maledictione liberati, ac instaurati, aliqua ratione autor, secundum vota Lamechi, patris ejus, quae, occasione nominis filio dati, expromsit c. V: 29. his verbis: *hic consolabitur nos* quietem dando (quod addo, ut phrasis sit facilior, et nominis נח, pro quo נחם intextu compareat, habeatur ratio) *ab operibus nostris, et a dolore manuum nostrarum, a terra cui maledixit Jehova.* Quibus significatur, utique primo et directo sensu, maledictionem, terrae incumbentem, tempore Noae et in ejus quoque gratiam auferendam, et in eum statum redigendam esse terram, in quo ante maledictionem fuit. Conditio autem terrae, ex maledictione orta, in eo fuit posita, quod non nisi difficillimo labore alimenta hominibus et bestiis praebuerit, quo *laboris et doloris manuum* expressa respicit mentio, ut patet ex c. III: 17. Terram vero ab ea fuisse liberatam maledictione per diluvium et post illud, elucescit ex c. VIII: 21. ubi Deus, *se non amplius terrae propter hominem maledicturum*, expresse declarat; et ex c. IX, ubi benedictio Adamo facta renovatur, clare confirmatur. Huc respexisse oraculum Lamechi vidit jam dudum, et evicit, A. Gonzalas de Salas, eruditus Hispanus, in singulari, et paradoxa, dissert, *de duplice terra.* Attamen maledictio non est intelligenda, quae ob Adami lapsum est inflicta: pertinet enim omnino ad specialem et graviorem longe postea ob mundi corruptionem ortam: sicut enim Deus propter Cainum regioni, quam incoleret, in specie maledixit c. IV: 11, 12. quae maledictio post 120. annos est ablata c. VI: 3. ita, Cainitis et reliquis Adami filiis in unam societatem denuo conjunctis, cum inprobitas de novo caput exsereret, et homicidia fierent frequentiora, toto genere humano depravato, terrae rursus maledixit, donec homines cum animantibus per diluvium deleverit, eaque poena inflicta, pristinum terrae, quem post lapsum habuerat, statum reddiderit. Ad hanc peculiarem maledictionem, et non ad eam propter lapsum Adami, respici ex eo 1. manifestum est, quod mala Adamo denunciata sint universalia et perpetua, quam diu secula durant, ut facile adparet, et

phrasis,

phrasis, *omnibus diebus vitae tuae* c. III: 17. h. e. diebus quibus posteri tui in terra degent, indicat. 2. maledictio c. VIII: 21. non a peccato Adami, sed totali humani generis corruptione repetatur.

§. XXII. Nova Schedula, c. VI: 9. solenni titulo, *hae sunt generationes Noachi*, incipiens, seseque ad c. X. usque porrigens, partim historiam diluvii c. VI: 10—VIII: 14. partim statum Noae et humani generis, finito eo, c. VIII: 15—IX. complectitur; adeoque prior ejus pars ad hanc quoque pertinet periodum: in qua illustranda moras tamen non traham. De diluvio ipso, et arca, quae Noachum cum familia et sufficiente animantium numero, salvam praestitit, nihil vel parum habeo quod observem. Verbo notasse suffecerit 1. totalem et obstinatam humani generis fere totius corruptionem occasionem et caussam tremendi hujus judicii praebuisse, ut c. VI: 7, 12, 13. expresse traditur, et c. VIII: 21. quoque significatur: sita vero fuit corruptio, non in idololatria aliave superstitione, cujus ne minimum in historia occurrit vestigium, sed in facinoribus, ex cordis malitia ortis, pessimis et violentis, cum carnali securitate, et Dei tanquam justi mundi gubernatoris et judicis contemtu, conjunctis. Utique *malitia hominis* dicitur *magna*, seu copiosa, longe lateque diffusa et summa, c. VI: 5. *omnis caro*, seu universitas hominum, *viam suam corrupisse* vers. 12. seu actiones instituisse pravas ac perniciosas, denique vers. 5. *omne figmentum cogitationum cordis* hominum in genere (seu quicquid animo volvit et opere exsequitur, quod πλάσμα καρδίας adpellatur Judith. VIII: 29. et e *corde egredi* Matth. XV. dicitur; φρόνημα σαρκὸς *quod caro sapit* Rom. VIII: 7.) *tantummodo malum* (summo gradu in omni complexu suo iniquum, et perversum, nihil justi aut aequi habens) *omni* die (toto vitae spatio, a *pueritia*, seu ex quo ratio sese in homine incipit exserere, usque c. VIII: 21. in signum corruptionis nativae, sese una cum ipso rationis usu ostentantis) In specie mutuae violentiae, rapinae, et homicidia videntur summum adtigisse gradum, et ubique locorum obtinuisse, cum quod inter leges

Noachicas specialem habeat locum poena mortis homicidio imposita, c. IX. tum gigantes, tanquam grassatores publici, speciatim memorentur c. VI: 4. et Lamechi Cainitae eo tendat oratio c. IV: 23. ut supra notavi. Adpellantur נפילים *Nephilim* q. d. monstra abortiva; vox נפל, *abortum* dicit et caducum in utero mortuum, sicut Eurip. Bacch. *νηδύος ἔκβολον abortivum partum* dixit, sed digitus simul intenditur ad impetum eorum, quo, fulminis seu turbinis instar, in homines irruunt; quam metaph. subinde involvit נפל proprie *ruere*, instar torrentis. De securitate carnali, et Dei rectoris ac judicis contemtu, facile constat ex verbis Henochi in Epist. Judae, nec non Domini nostri Matt. XXIV: 38. Quo etiam facit quod Noachi conciones et arcae fabricam spreverint.

§. XXIII. 2. Ad verum diluvii conspectum et usum, quem hic casus praebet, pertinet α. Diluvium pro complemento et termino *maledictionis* terrae, qua corruptum punivit mundum, habendum esse. Incepit autem ea cum sterilitate terrae, et in totali ejus excidio est finita: adeo ut diluvium et ultima fuerit poena terrae inflicta, et terrae quasi expiatio, quae meliorem ipsi dedit faciem: est enim maledictio per diluvium completa simul, simul ablata: quo votum Lamechi in nomine *Noae* dando filio respexit Gen. V. ut supra vidimus β. illustre plane est supremi hujus mundi Rectoris et Judicis cum justitiae in peccatis vindicandis, tum gratiae in pietate coronanda, specimen, quod in sceleratis delendis, et Noacho cum familia servando, ac terra expurganda, adparuit, simul splendidam praebet imaginem, ne alia memorem, ultimi et universalis judicii, uti 2 Pet. III. docetur γ. Sed quod solus Noachus cum suis fuerit exemtus, illud, nullum alium in terra fuisse pietatis et virtutis studiosum, non evincit, sed tantum exiguum fuisse piorum numerum, et nullum alium pietate illustrem, aut animo ferventem, qui in publicum prodeat, et torrenti corruptionis obicem ponere conetur, quique communi excidio mereretur eripi. Phrases itaque universales de *omnis* carnis corruptione non sunt nimis premendae, sed summam et longe lateque diffusam

depra-

depravationem tantum indicant; adeo ut rariſſimi ſuperfuerint homines probi, nemo praeter Noam hac parte eximius. Quod ex aliis ſimilibus locutionibus, alibi obviis, facile foret demonſtrare, ſi hic eſſet locus id faciendi, aut res dubia. Unum ſuffecerit citaſſe exemplum ex Jer. V: 1. *diſcurrite in plateis Hieroſolymae et videte, quaeſo, et cognoſcite et quaerite in foris ejus, ſi inveneritis virum, ſi ſit faciens jus, ſectatus fidem, et condonabo ipſi.* Ubi vid. comment. noſter. Sic et Ez. XXII: 30. *et quaeſivi ex ipſis virum ſepientem ſepem, et ſtantem in ruptura coram me in hac terra, ne perdam illam, ſed non inveni.*

§. XXIV. Hiſtoria periodi enarrata et nonnullis illuſtrata obſervatis, ad *loca* habitationis, quae primi homines ante et poſt lapſum incoluerant, monſtranda pergo. Protoplaſti cum in ſtatu integritatis paradiſum, omne genus bonis, et fructibus refertiſſimum, Gen. II. duabus in primis arboribus, altera *vitae*, altera *cognitionis* boni et mali, nomine inſignita, celebrem, de quo ſupra egi, inhabitaverint, *ſitum* paradiſi inquiram, et ſi pote demonſtrabo: cum variae de eo admodum fuerint et ſint opiniones. Miſſis Patribus, ſic dictis, qui ante Epiphanium allegorice explicuerant, poſtea litteraliter quidem, ſed extra ſphaeram noſtram collocarunt, Calvinus, et dein Bochartus ac Huetius in tractu Babylonico, de quo mox, poſuerunt; N. Abramus in libro, cui titulus *Pharus*, in Cananaeae tractu a mari Galilaeo ad Sodomiticum circa Jordanem; J. Clericus in Diſſert., inſerta comment. ad Pentateuchum, in Syria Damaſcena, quae Libano et Antilibano clauditur; Tillius in Diſſ., commentario ad Malach. ſubjuncta, in Meſopotamia; Relandus denique in Armenia, cui Gihon eſt Araxes, Piſchon Phaſis, Chavila Colchis, Cuſch Cuſſaei, populus Mediae. Ex noſtra opinione quaerendus eſt Paradiſus, ubi eum jam reperiit Calvinus, infra Babylonem ad auſtrum, ubi *quatuor* fluviorum eſt confluxus, ab utraque tractus parte, ab altera Tigridis et Euphratis, ab altera duorum alveorum, in Sinum Perſicum ſe exonerantium: ſicut e mappis Geographicis conſtat.

§. XXV. Quae ſententia *duobus* eſt innixa fundamentis, *uno*, quod quatuor praebent fluvii, *altero*, quod ſitus terrae Edenis. *α Fluvii* memorantur 1. Phrat h. e. Euphrates, Arab. Ilphrat, unde Euphrat; ſignificat *aquarum inundationem*. 2. *Chiddekel* h. e. Tigris, hodie Arab. dictus *Dizielat*, quae vicina ſunt nomina, *Tigris et Chiddekel*, ſignificatione conveniunt: Tigris eſt a *Tir ſagitta*, Chiddekel חדקל a חדד et קל *acuto et veloci*: unde etiam, teſte Diodoro Sic. L. I., *Sollax*, vel *Sulax* adpellatur a שלח *miſſile*. 3. *Piſchon et Gihon* ſignificant *abundare et erumpere*, quod in alveos recte quadrat. Piſchon terram *Chavilae*, et Gihon *Cuſchi* adluit, adeoque ille eſt orientalis, hic occidentalis, cum Cuſch Arabia ſit deſerta, ſecus ac Huetius vult, uterque in ſinum Perſicum influit. Cum itaque *quatuor* ſeſe hic offerant fluvii, vel fluvius in quatuor ſeſe effundens capita, duo autem manifeſte ſint Euphrates et Tigris, recte hic ſtatuitur Paradiſus. *β*. Alterum fundamentum in terra *Eden* ſitum eſt, quippe quae Babyloni ad auſtrum eſt ſubjecta, cum ea circa Babylonem ſit *Sinear*. Rationes praecipuae ſunt ſequentes. 1. Cum Reges Aſſyriae glorientur ſuper *Edenis* ſubjugatione Jeſ. XXXVII: 12. indicat utique illud, non eſſe Eden in Meſopotamia, quippe Aſſyriae proxima, ab initio imperii ipſis obnoxia. 2. Terra Eden media ponitur Ezech. XXVII: 23. inter *Cannen* (Chalnem, urbem Chalonem, quae Chalonitidi regioni Aſſyriae ad Tigrin, objectae Babyloniae, ortum dedit,) et *Sabaeos*, Arabiae Felicis incolas. 3. Hedenenſes dicuntur reſidere in *Thelaſſare* Jeſ. XXXVII. h. e. Talatha ad Tigrin ea in regione ſita: uti Bochart. et Huet. probarunt.

§. XXVI. Poſt lapſum, diviſione inter Adami poſteros introducta, 1 Cainitae in oriente, quo protoplaſti Paradiſo ejecti receſſerant Gen. III: 24. adeoque trans Tigrim Elymaidem verſus, ubi fluvius Eulaeus eſt, manſerunt Gen. IV: 16. in terra *Nod* a Caini oberratione ſic dicta, Gen. IV: 14. inter Zagrum montem et fluvium Eulaeum 2. *Sethitae* vero ſeptentrionalem partem regionis Tranſtigritanae petierunt, uti ex

ex monte *Ararat* in Armenia, in quo arca requievit Gen. VIII: 4. Coll. 2 Reg. XIX: 32. colligi posse videtur; cum quod arca, tantae molis fabrica, non longe videatur provecta, tum quod ex ligno *Gopher* seu cupressino, cujus ibi magna copia est, legatur facta. Est quoque haec Veterum, qua gentilium qua Christianorum, traditio, Vid. Bochart. Geogr. f. l. I. c. 3. Nicolaus Damascenus apud Jos. adpellat montem Myniadis h. e. מני *meni* unde Armenia; praeterea nomen montis ibid. traditur fuisse *Baris* h. e. in Arab. lingua, secundum Bochart., *exitus* qui adfert ἀποβατήριον, quo montem apud Armenios insigniri tradit Joseph., nisi quis cum Schroedero in Differt. praelim. ad *thesaurum ling. Armen*. legendum velit *μάσις*, qui est mons in provincia Araratensi, in quo arcam quievisse, Armenorum habet traditio.

§. XXVII. *Duratio* periodi, quae Chronologica est tractatio, quam adgredior, primo de *duratione*, dein de *terminis* a quo et ad quem, dicturus, partim ex annis Patriarcharum ante procreationem filii, in quo successio et linea patriarchalis figitur Gen. V., petenda est, partim ex aetate Noae, quando accidit diluvium. Quod utrumque cum satis clare sit definitum, de duratione videri posset inter omnes constare debere. Diluvium in annum Noae 600*mum* incidisse Gen. VII. traditur; Annos patriarcharum ante τεκνογονίαν seu procreationem filii, expresse nominati, ab Adamo ad Noam exacte quoque notavit historicus Gen. V. dixi *filii*, ut indicarem, non necesse esse statuere, patriarchas tunc demum coepisse liberos progignere, sed eum procreasse filium, in quo linea patriarchalis succederet: de quo observato vel ex solo Adamo constat; *Seth* enim, quem annos 130 natus genuit, non fuit primogenitus ejus, uti constat, sed filius in quo volveretur successio: quare etiam ad *imaginem* Adami dicitur genitus. Sola itaque annorum, quos Patriarchae ante istius filii procreationem habuerunt, quosque historicus Gen. V. adcurate et eo scopo, ut de duratione periodi constaret, adnotavit, numeratio chronologiae constituendae sufficere censeri posset.

 §. XXVIII.

§. XXVIII. Attamen neutrum caret controversia, licet *prior* de annis Noae levior, nec magni momenti, de quo postea agam, ubi de termino *ad quem*; *posterius* est magis controversum, propter Codicum Hebraei, Graeci et Samaritani, notabilem differentiam in annis patriarcharum ante procreationem. Secundum Cod. Hebr. Masorethicum anni numerantur 1656, Graecum vero 2256, Samaritanum denique 1307. Differentia Hebr. et Graeci textus sicut annorum, qui sunt 600, longitudine, ita et eo nomine notabilis est, quod non librariorum incuria, sed data opera et consilio fuerit facta, quippe inde nata, quod in sex Patriarchis, singulis 100 anni plus in Gr. quam Hebr. textu fuerint dati ante procreationem filii, in quo successio currit: ex. gr. Adam in textu Hebr. genuit Sethum annos 130 natus, sed in Gr. 230; et ita in reliquis. Textus Samaritanus propius ad Hebr. accedit, in tribus tantum Patriarchis discedens, sc. Jaredo, Methus. et Lamecho; primo enim dantur ibi anni 62, secundo 67, tertio 53, pro quibus Hebr. et Gr habent, 162, 187, 182. Quod annorum discrimen ut adpareat, subjungam hoc schema.

	Hebr.	Graec.	Sam.
Adam	130	230	130
Seth	105	205	105
Enosch	90	190	90
Cain	70	170	70
Mahel	65	165	65
Jared	162	162	62
Enoch	65	165	65
Methus.	187	187	67
Lamech	182	182	53
Noa	600	600	600
Summa	1656	2256	1307

§. XXIX. Insignem hanc variationem non casui, sed deliberato consilio, originem suam debere, ex eo ulterius constat,

quod

quod centenarii, ante procreationem sex Patriarchis dati, iisdem fuerint ademti in annis vitae post eam: ex. gr. Adam in textu Hebr. vixisse dicitur post eam ann. 800, sed in Graeco tantum 700: ita in reliquis. Quaestio, quo textu sit standum, eo majoris videtur momenti, quod codex, qui hic vitiatus est, de sua autoritate multum perdat, quippe voluntaria corruptione infamis. Veteres circa hanc quaestionem aeque ac Recentiores secum dissentiunt. Codices Josephi, ut ab eo ordiar, inter se non conveniunt, nec Latina Ruffini versio consentit Textui Graeco: hic enim, secundum hodiernam lectionem, periodo dat ann. 2093, sed versio Ruffini a. 1893. Praeterea Jos. Antiq. l. I. c. 4, ubi totam exhibet summam, diserte, ut recepta habet lectio, annos esse dicit 2656. Quae nec LXX versioni convenit, nec etiam annis singulorum Patriarcharum apud Jos., atenim tam prope ad textum Hebr. seu a. 1656. accedit, ut vix dubitari queat, quin lectio Jos. sit adfecta, et vera 1656, adeoque loco δισχιλίων legi debeat χιλίων, quum accurate respondet textui Hebr.: quo admisso, annos singulorum Patriarcharum statuendum est fuisse ex LXX corruptos; quod ex seq. periodis confirmabitur. Secutus quoque Hebr. textum est Symmachus Interpres Graecus, ut ex Eusebii Emiseni loco observavit Montefalcon. ad Hexapla Origen. in not. ad Gen. v. 5. Patres vero omnes, excepto Augustino et Hieronimo, usque ad Bedam Venerabilem, Sec. VIII., calculo Graec. adhaeserunt; quod nemo miretur, cum linguae Hebr. ignari textui Gr. fuerint adsueti. Recentiorum quoque non eadem est opinio; Morinus, Waltonus, Pezronus If. Vossius, L. Cappell. alii, a Graeco, sed Scaliger, Petavius, Usserius, alii, longe majore numero, puritatis textus Hebr. studiosi, ab eo stant, quibuscum et nos facimus; hisce inprimis ducti rationibus.

§. XXX. 1. Cum codex Hebr. sit passim purior et integrior, Graecus vero saepe vitiosus: primas ei esse deferendas, si res per se spectetur, nec urgens obstet ratio, quae hic nulla est, dubio carere videtur. 2. Voluntaria corruptio, ex deli-

berato facta consilio, qualem hanc esse modo vidimus, a Judaeis aliena est, non a Graecis Interpretibus; cum quod Judaei, omnium consensu, et testibus Josepho ac Philone Judaeo, longe fuerint erga textum religiosiores, tum nullo exemplo de tali corruptione, ab iis facta, constet: quod secus est in Graecis Interpretibus, qui sibi hac parte multum indulserunt, et longe negligentiores fuerunt; ut ex multis patet exemplis. 3. Depravatio, tam notabilis, si in unum alterumve codicem irrepere, in omnes Hebr. non poterat, utpote nimis multiplicatos, et per omnia loca, ubi Synagogae erant, quae ubique fere fuerunt, dispersos; sed Graecos cod. omnes facile inficere poterat, quia ab ipsis Interpretibus fuit data opera profecta. 4. Denique, quod maxime stringit, vitiati codicis Hebraei nulla plane dari potest ratio, Graeci vero facillima et aptissima; sine qua tamen talis voluntaria mutatio censeri nequit possibilis. Protulit quidem aliquam rationem Vossius, quae Judaeos ad chronologiam decurtandam inpulisset tempore Christi, ut hac ratione tempus adventus Messiae nondum advenisse contra Christianos evincerent, inde desumtam, quod secundum traditionem aliquam Messias comparere debeat in fine *sexti millenarii* mundi, cum *sex* mille anni a M. C. ad finem vergerent: tot itaque anni cum secundum textum Graecum fuerint elapsi tempore Christi, illudque argumentum urgerent Christiani contra Judaeos, hi, ut illud enervarent, in animum induxissent chronologiam, quantum pote, ubique decurtare, ut tantum temporis spatium nondum effluxisse, adeoque nostrum Christum pro vero Messia non esse habendum, inde patesceret: hinc itaque ortum fuisset, quod Judaei Patriarchis, ante et post diluvium, centenarios ademerint, ante procreationem seminis patriarchalis. Sed 1. corruptio, si ex eo fluxit fonte, post Christum natum fuisset facta; quod fieri non potuit tam universaliter, quia codices Hebraei in manibus Christianorum tunc quoque ubique versabantur. 2. Judaei se talis corruptionis textus, propter ejusmodi rationem, nunquam egerunt reos, uti tot loca V. T. ad tempus Messiae pertinentia, etiam in N. T. citata,

quae

quae integra supersunt in textu Hebr., demonstrant. 3. Traditio de Christo, in fine *sexti* millenarii comparituro, nulla fuit apud Judaeos, solis Christianis ea adhaesit opinio, eaque ex chronologia LXX Interpretum nata, ac vana hypothesi de *sex* diebus Creationis totidem *millenariis*. 4. Denique longe alia inputatur Judaeis traditio, dicta *domus Eliae*, cujus tamen nulla exstat mentio nisi in Talmude, quae habet, *bis mille* annos fore ante legem Mosaicam, *bis* mille sub ea, et denique *totidem* sub Messia; secundum quam itaque Messias locum habere deberet in initio *quinti* millenarii mundi, ejusque regnum durare *bis* mille annos, usque ad finem *sexti* millenarii. Cui traditioni satis adcurate respondet chronologia textus Hebraei, neutiquam Graeci: *quatuor* enim annorum *millia* fere fluxerunt a M. C. ad nostrum Jesum. Judaeorum itaque intererat prolongare potius, quam adbreviare tempus et Graecam adoptare lectionem.

§. XXXI. Vertamus nos ad Graecos Interpretes, et inquiramus, num probabilis ratio sese non offerat, quae eos ad chronologiam prolongandam movere potuit. Quae ratio non longe arcessenda est, sed sponte sua sub manus venit, si ad longas illas AEgyptiorum dynastias, quae a primis mundi originibus secundum ipsos obtinuerunt, opiniones quoque Gentium recenti mundi origini adversas, advertamus, institutum simul Graecorum Interpretum, eo tendens, ut Gentium offensionibus et praejudiciis succurrerent, cujus haud unum exstat in eorum versione indicium, ad animum referamus. Cum itaque chronologia secundum textum Hebraeum mundi originem multo recentiorem faciat, quam Gentes, ad quarum notitiam Script. S. Graece versa veniret, ferre et admittere possent, Interpretes Graeci, ut sese ad receptas illas opiniones adcommodarent, omnemque vitarent offensionem, permoveri facile potuerunt, ad tempus illud longius faciendum, uti, additis illis centariis, facile fieri poterat in Patriarchis ante et post diluvium. Accedebat, tempus illud per se videri potuisse brevius, quam ut hominum multitudini, et tot regnis jam diu

existentibus, in primis haud diu post diluvium, in ipsa historia Mosaica obviis, sufficere posse videatur. Quae ipsa ratio, sicut Interpretes illos movere potuit ad tempora prolonganda, maxime post diluvium, ut in Patriarchis illis quoque fecerunt, ita viros doctos quoque inpulit ad chronologiam textus Graeci adoptandam: de quo postea suo loco agemus.

§. XXXII. Hac finita disputatione, et textus Hebraei hodierna lectione firmata, (de Samaritani enim codicis lectione non est quod soliciti simus, cum patronum non habeat, nec ab Hebraeo codice multum distet, Graeco utique in centenariis illis additis directe adversetur) de *terminis chronologiae*, quibus tempora certis a se invicem distinguuntur *notis* ἀφ' οὗ *a quo*, *et* ἐφ' οὗ *ad quod*, hujus periodi agamus paulo distinctius. Licet in genere satis sint cogniti, cum periodus a mundo condito incipiat, et ad annum 600*mum* Noae sese porrigat; viget tamen de utroque termino aliqua, licet levis nec magni momenti, disputatio, silentio non involvenda. Terminus *a quo* si scrupulose sit definiendus, *tempestas* anni, qua incepit creatio, determinanda est; fueritne *verna*, *aestiva*, *autumnalis*, aut *hyemalis?* quarum *tres* primae suos habuerunt patronos: sed *prima* ac *tertia* nobis videntur in censum tantum venire posse; cum pro utraque rationes haud inprobabiles pugnent, quas nullas habet *aestiva* tempestas. Quaestio vero, num *vere* an *autumno* creata sit terra, quae doctos divisit et exercuit, ejus mihi videtur esse naturae, ut vix definiri queat; cum utraque aequalis fere ponderis rationibus sit innixa. Contentus ero eas strictim exhibuisse, absque ut alterutram adoptem. 1. Pro *autumno* facit, quod omnia videantur perfecta et matura producta: sed pro *vere*, quod Gen. I: 11. *herbae et arborum* tantum fiat mentio, et de *arboribus* tradatur, eas fuisse productas *ferentes fructus* h. e. ut ferant: 2. Autumno in primis favet *diluvii* initium *mense secundo*; cum major tunc soleat esse aquarum abundantia; sed *vernae* tempestati, *egressus Noae* ex arca mense quoque *secundo* Gen. VIII: 13. cui autumnus, et instans hyems, minus congruere videtur. 3. *Au-*

tumno

tumno patrocinatur, quod Populi Orientales inde *annum* soliti fuerint incipere; sed *veri* adhuc magis, quod, praeter AEgyptios, ipsi Israelitae annum inde numeraverint. Vulgatior quidem fert opinio, annum ante Mosem cum mense *Tisri* incepisse, ipsum vero mutasse et mensem *Nisan* introduxisse, ac initium anni fecisse, unice in loco Exod. XII: 2. male intellecto fere fundata: cum enim ubi dicitur *hic mensis* (Nisan) *vobis initium mensium*, illud per verbum *est*, aeque ac *erit*, suppleri potest, ut sensus sit, *primum* eum apud eos fuisse et esse *mensem*: cui robur addit, quod primus is fuerit mensis apud AEgyptios inter quos versati fuerunt: de quo supra monui. Denique 4. in *autumnum* rectius convenit, quod Cain e *frugibus* terrae obtulerit *circa finem dierum* Gen. IV. h. e. anni, Exod. XXIII. Sed aeque illud ad *vernam* tempestatem referri potest, cum circa mensem *Nisan* messis inceperit. Praeterea intelligi poterit phrasis de anno *rustico*, qui a semente, seu satione, adeoque autumno, initium sumit, et in messe desinit. Fuit enim antiquitus duplex in usu annus, sive, praeter ordinarium a vere incipientem, annus *Georgicus*, a satione. Quo sensu etiam sumitur Exod. XXIII: 16. fuitque in annis Sabbaticis ac Jubilaeis apud Judaeos usitatus. Ex disputatis concludendum videtur, quaestionem esse dubiam, sed vernae tempestati faventiorem videri. Sed res tanti non est; maxime in Chronologia.

§. XXXIII. Nec magni facienda est altera de termino *ad quem*, seu de anno 600*mo* Noae, quo diluvium incepit, sitne inchoate an complete capiendus? seu, sitne ipsissimus annus diluvii, an praecesserit, et diluvium in an. sexcentesimum primum inciderit? Posterius quidem statuit Funccius, sed prius est vulgatius, simul verius, *cum:* quod diluvium incepisse legatur Gen. VII: 11. mense II*do* anno 600*mo* Noae, ergo anni istius mense secundo, *tum* quod Noae post diluvium 350 anni dentur Gen. IX: in universum vero 950; oportet itaque 600*mus* sit annus diluvii: his enim si 350 addantur, anni 950 exsurgent.

§. XXXIV. Majoris momenti obſervatum eſt, ad chronologiam quoque pertinens, menſes hujus periodi, utique qui in libro Geneſ. occurrunt, 30 habuiſſe dies, annum itaque ex aequalibus conſtitiſſe menſibus 30 dierum, quales et alibi in verbo Prophetico, in primis Apocal., occurrunt. De veritate obſervati facile ex hiſtoria diluvii conſtat. Aquae enim dicuntur in terram effuſae menſe II*do*, die 17*mo* menſis Gen. VII: 11. arca vero quieviſſe ſuper Ararat menſ. VII*mo*, die 17*mo*, et inter hos terminos fuiſſe traduntur 150 dies, Gen. VIII: 4. Unde patet, *quinque* menſes, quot inter memoratos terminos fuerunt, 150 dies facere; ſi nunc 30 per 5 multiplices, habebis numerum 150, et pro ſingulis menſibus 30 dies.


§. XXXV. Supereſt inquiramus num ex monumentis exoticis, aut fabuloſa gentilium hiſtoria aliqua ad noſtrae periodi illuſtrationem peti poſſint: proferam nonnulla, ſed magis minuſve certa. 1. Reſpectu hiſtoriae ortus mundi et hominum, adferri poſſunt traditiones gentium de rudi et indigeſta mole, ex qua omnia et per partes ſunt producta, de homine poſtremo creato, et quidem e luto. De quibus vid. fragmentum Zanchoniatonis apud Euſeb. ſi quid valeat, Heſiod. Oper. et dier. Ovid. Metam. ne aliorum mentionem faciam. 2. Gigantum ex congreſſu filiorum Dei et filiarum hominis natorum, memoria cenſeri poſſet reſervata apud gentiles, qui eorum frequenter meminerunt: AEgyptii quoque Deos regnaſſe memorant primum, dein *ſemideos*; uti poſtea videbimus. 3. Jabalis, filii Lamechi, memoria cenſetur ſervata in Pale, paſtorum Deo; Jubalis in Apolline muſicae autore; Tubalcaini, inſtrumentorum fabrilium inventoris, in Vulcano, Naamae, ſororis ejus, in Venere omnium formoſiſſima, Vulcani uxore, vel Minerva, quatenus a Judaeis artem textricem reperiſſe dicitur. 4. Certius et utilius longe eſt, diluvii et arcae *omnes*, qui *barbaricas* hiſtorias conſcripſerunt, meminiſſe, teſte Joſepho Ant. l. I. c. 4. ubi Beroſi et N. Damaſceni verba profert, Hieronymum quoque AEgyptium, qui antiquitates Phoe-

nicum

nicum conscripsit, et Mnaseam memorat. Abydeni vero scriptoris Assyrii verba citat Euseb. Praep. Euang. l. IX. c. 12. Sicut Alexandri Polyhistoris Cyrillus Alex. contra Julianum lib. I. qui diluvii, avium exploratricium num terra emineret, navigii, Armeniae, ubi arca resedit, meminerunt. Imo *columbae*, ex arca Deucalionis emissae, mentionem fecerant scriptores antiqui, teste Plutarch. de *solertia animalium*. Plato quoque in Timaeo ante celebratum Graecorum diluvium, alia fuisse tradit ex vetusta traditione. Denique, quae de Deucalioneo et Ogygio diluvio narrant, ex diluvio Noachico derivata sunt. Vid. notae ad marmora Oxon. p. II. Reliquias diluvii et arcae in montibus Armeniae suo tempore superfuisse tradit, nescio quam vere, Chrysost. de *perfecta charitate* oper. t. VI. et ad Ep. ad Thessal. hom. VIII. oper. t. XI. Hisce addatur, Berosum tempora in *ante* et *post* diluvium divisisse, nec non in *decem* generationes, sicut et Mosaica habet historia, apud Jos. Ant. I: 7. et Syncell. Chronogr.: porro cum *Olorus* dicatur primus hominum et regum, *Xisuthrus* eorum ultimus, de Adamo et Noacho recte cogitatur. Sed *decem* illos reges tradit regnasse 120 Saros, h. e. 432000 annos; singuli enim *Sari* sunt 36000 annorum, et 6 Nerorum, quorum singuli sunt 600 anni et 10 *Sossi*, qui sunt 60 anni. Quid hoc inmenso faciemus numero? succurrit hic Syncellus, qui refert, duos monachos Alexandrinos, Pandorum et Anianum, initio Sec. Vti, Sossos, Neros et Saros, non *annorum*, sed dierum numerum continuisse apud Chaldaeos, contendere: quo admisso, 120 Sari efficient 1200 annos; divisio quoque Sarorum, Sossorum et Nerorum recte se habet, si menses 30 et anni 360 dierum intelligantur. Cum autem Chald. vox יום *dies* subinde *annum* denotet, ratio traditionis de *annis* pro *diebus* sese facile offert. Berosi itaque narratio cum Mos. historia in concordiam aliqua ratione redigi potest: sicut etiam post *diluvium* poterit, ut postea vedebimus.

§. XXXVI. Ceterum cum *aera* Mundi conditi in hanc periodum incidat, non abs re fuerit observasse, eam in usu fuisse

isse Christianis orientalibus et Judaeis: sed diversa longe ratione. Christiani fuerunt *triplice* usi aera M. C. *prima* est *historica* a Julio Africano sec. III*to* orta, qua Christus natus est Ann. M. C. 5501, quae et *Alexandrina* dicitur: *secunda* est Ecclesiastica, seu *Antiochena*, in computu Ecclesiast. paschali adhiberi solita, secundum quam Christus natus est ann. 5494. Cujus autor est Panodorus sub Arcadio Imperatore, et Theophilo Ep. Alexandr., qua Elmacinus quoque usus est in historia Saracenica: *tertia* est civilis seu Constantinopolitana, qua Christus est natus ann. 5509, cujus usus est in Novellis et Edictis publicis, quae a Graecis fere omnibus recentioribus adhibetur. *Aera* vero Judaica longe minor est, et insigni μεταχρονισμῷ a vera mundi epocha, annorum scilicet 243 aberrat: contrahit enim mirum in modum annos, ut ex. gr. monarchiae Persicae 150 anni et plures demti sunt, incidit haec aera in ann. P. Jul. 953 cum alias in an. 710. Christus vero natus est ann. period. Jud. 3761. Si quis itaque Judaeorum libros intelligere hac parte gestiat, anno Judaico post Christum natum auferre debet hos annos 3761, ut annus aerae Christianae innotescat, rursus anno aer. Christ. addere 3761, ut oriatur annus aerae Judaicae. Cum autem Judaei passim uti soleant *aera minore*, cujus signum est לפ״ק h. e. לפרט קטן *aerae minoris*, cui *millenaria* desunt, haec primum addenda sunt: sic ab an. Aer. Ch. 240 semper 4000 sunt supplenda; tunc enim incipit annus 4000*mus* secundum Judaeos.



PERIODUS

PERIODUS SECUNDA.

A DILUVIO AD EXITUM ABRAHAMI EX URE CHALDAEORUM ANN. 367.

§. XXXVII. Hiſtoria periodi, Cap. IX—XII Geneſ. comprehenſa, huc ſummatim redit. Noe cum familia et animantibus ex arca egreſſo, Deus mundo per ſacrificium ejus reconciliatus benedixit, praeceptaque dedit, ab ipſo et poſteris obſervanda, eſum carnis conceſſit, ſed ſanguinis vetuit, homicidio interdixit capitali etiam ſtatuta poena, foedus longanimitatis de orbe aquis non amplius delendo, ſigno arcus coeleſtis confirmatum, cum eo et poſteris in perpetuum pepigit, conſilium de terra inter filios ejus diſtribuenda manifeſtavit: quo per Noam declarato, homines ad poſſeſſiones ſibi adſignatas occupandas ſe adcinxerunt, ſed Chamitae et multi Japhetitae, in terra Sinear ſubſiſtentes, urbem et turrim altam eo ſcopo aedificare coeperunt, ne ab invicem diſpergerentur, eaque ratione irritum redderent conſilium Dei, ipſis notificatum. Quo Deus offenſus opus illud diſturbavit linguas eorum confundendo: quando a ſe invicem ſeparati in terras ſuas ſeceſſerunt. Cum autem progreſſu temporis a vero Deo ejuſque cultu deficerent, Deus, ut vera cognitio et religio ſarta tecta in orbe maneret, elegit

Abrahamum, et e terra ejus evocavit, ut in Cananaea, ipſi et ſemini promiſſa, peregrinaretur, foedere cum eo erecto.

§. XXXVIII. In cujus periodi tractatione nonnullos caſus illuſtrabo, dein chronologiam ejus conſtituam, denique aliorum regnorum et populorum aliquam dabo ad illuſtrationem hiſt. ſacrae notitiam. *Caſus tres* ſunt, qui noſtram merentur animadverſionem: *primus* ſtatum Noae et terrae, finito diluvio, continet, *ſecundus* eſt diviſionis terrae inter Noae filios, *tertius* aedificationis ac diſturbationis turris Babelis per confuſionem linguarum. *Primi* caſus narrationem comprehendit *poſterior* pars ſchedulae patriarchalis, quae c. VI: 10., ut ſupra habuimus, incipit, cap. VIII: 15—IX ad fin. Statim ac Noachus cum ſuis et animantibus arca eſſet egreſſus, altare extructo, Deo obtulit ex omni genere animantium purarum ſacrificium in holocauſtum, abſque ut, quot ex animantibus et avibus ſumſerit, conſtet. Si eorum vera eſſet opinio, qui, cum *ſeptem* et *ſeptem* e puris animantibus arcam intraſſe leguntur c. VII: 2. *tria* paria cum uno ſupernumerario intelligunt, ſupernumeraria fuiſſe oblata, non inepte ſtatueretur: ſed ei ſententiae ſubſcribere non auſim, cum quod mox addatur, *mas* et *foemina*, ergo 7 paria intelligenda ſunt, tum quod *ſeptem ſeptem bis* occurrat, et mox de inmundis *duo*, tum denique bina animantia ſimul ſemper fuerint ingreſſa c. VII: 9. Quod vero *holocauſti* expreſſa fiat mentio, illud indicio eſt, oblationem pro ſcopo habuiſſe gratum demonſtrare animum pro inſigni hoc accepto beneficio liberationis, ſimul ad iram Dei placandam, et gratiam in poſterum inpetrandam, tetendiſſe: qui holocauſtorum genuinus eſt conſpectus. Ceterum ex eo, quod pura et inpura memorentur animantia, eam diſtinctionem, quae poſtea ſub lege Moſaica fuit, jam tunc obtinuiſſe, colligi pro certo nequit, cum Moſes phraſi ſui temporis potuerit uſus fuiſſe, quum ſenſus erit, holocauſtum ex iis fuiſſe factum animantibus, quae poſtea declarata ſunt pura.

§. XXXIX. Quo facto Deus ſuam in eo acquieſcentiam declaravit, ſuumque conſilium de mundo, non obſtante vel

ſimili

ſimili corruptione, uſque ad finem longanimiter gubernando, abſque ut eum totum deleat. c. VIII: 21, 22. Phraſis *odorari odorem ſuaviſſimum* (ſeu jucundae fragrantiae, in qua quis cum delectatione *acquieſcit;* quae poteſtas eſt vocis ניחוח) nihil aliud ac divinam denotat adprobationem, qua ſibi in hoc holocauſto typice complacuit, adeo ut iram in humanum genus depoſuerit in perpetuum, propoſitumque illud non amplius delendi, ut fecerat, ſed patienter tolerandi, ſumſerit. Quod *propoſitum* phraſis *loqui* ad *animum*, Deo adtributa, ſignificat, non acſi tunc demum ejus coeperit eſſe animi, ſunt enim omnia ejus opera ipſi ab aeterno nota, ſed ut indicaretur, propoſitum in hoc holocauſto fuiſſe fundatum, et ejus reſpectu ab aeterno ſumtum. Quod qua ratione cum eo ſit conjunctum ex ſana fide et doctrina ſatis notum eſt. Vid. Pſ. L. Ceterum ſumma propoſiti eſt perpetua tolerantia, qua Deus mundum longanimiter ferret et gubernaret, non obſtante corruptione hominis, ſi vel denuo eo uſque, quo antea, prorumperet. Id enim hic dicit כי *quia*, pro *quamvis*, non obſtante, ut ſaepe alias, in phraſi, *quia figmentum cordis hominis malum a pueritia ſua:* ubi ad mundi ante-diluviani depravationem, c. VI: 5. clare reſpicitur.

§. XL. Sed benevolum Dei propoſitum ulterius extenditur ac declaratur, adeo ut primaeva benedictio, reſpectu propagationis, et dominii in animantia, ſed ſtatui lapſus convenienter, fuerit repetita, ſimul dilatata, ac ſanctione per interdictum expreſſum homicidii, morte vindicandi, munita: c. IX: 1—7. Cujus pericopae ſcopus eſt, humano generi procurare propagationem ac multiplicationem; ut ex verſ. 1 et 7. ſeu principio ejus et fine, manifeſtum eſt: quare reliqua, quae memorantur, eo cenſenda ſunt tendere, ut propagatio illa tuto fiat et ſecure. Cum enim per lapſum hominis duo eſſent orta obſtacula, multiplicationi hominum inimica, unum in animantibus, alterum in ipſis hominibus ſita, ea e medio tolluntur, dum animantia ſeveriori hominis ſubjiciuntur inperio, et ipſe contra eorum inpetum divina munitur providentia, et homicidium

morte puniendum esse declaratur. Severius autem dominium, cum in terrore hominis iis incusso situm est, tum in omnigeno eorum usu homini concesso, excepto sanguine. Adamo in statu integritatis datum est dominium, cui sponte sua sese submitterent animantia, sed Noae, tanquam novi mundi capiti, conceditur *terror* eorum; quo indicatur, ea esse vi subigenda, et terrore in ordinem redigenda. Est itaque subjectio animantium post lapsum violentior, et cum perterrefactione conjuncta. Permittitur praeterea Noae absolutus et qualiscunque animantium usus, ad esum usque. In statu vero rectitudinis homini et animantibus sua propria ex proventu terrae adsignavit alimenta Deus, nulla esus carnis facta mentione, cap. I: 29, 30. qui locus aliam non admittit, ac quam dedi, interpretationem, ut legenti, et praejudicio vacuo, in oculos incurrit. Nostro autem loco, praeter herbam virentem, dantur homini animantia quoque in esum: quod durioris et severioris est dominii in animantia clarum indicium, simul esum carnis lapsui inservire evincit: de quo hic non est locus disserendi.

§. XLI. Excipitur tantum *sanguis*, cujus esus interdicitur quocunque modo, sive in animante, sive extra illud sumtus, ratione ab eo ducta, quod *animae* loco sit in animante, c. IX: 4. his verbis, *veruntamen carnem in* vel *cum anima ejus*, *sanguine ejus*, *non comedetis;* vel etiam, ut verti possunt, *tantum carnem* (scilicet *comedetis* ex seq., aut *dedi vobis* ex praeced.) *animam ejus*, *sanguinem ejus*, *non comedetis.* De quo Vid. Diss. Sel. III. nostra ad Gen. IX: 1—7. Vox *animae* vero addita *sanguini* eo spectat, ut, interdictum *sanguinis* unice ad *sacrificia* referendum esse, et cum iis conjungendum, edoceretur, adeoque ideo vetitum esse sanguinem, quia est anima animantis pro nostra anima effundenda: ut ex Lev. XVIII: 14. clare constat. Ex quo simul recte colligitur, interdictum cum sacrificiis connexum ejusdem esse naturae et durationis, adeoque non morale aut positivum universale, ut loqui amant, perpetuae observantiae, sed *rituale* ac arbitrarium, suo tempore cum sacrificiis cessaturum. Inseruit vero Moses vocem

נפש *animam*

נפש *animam* schedulae patriarchali, suo tempore usitatam, ut de hac interdicti ratione cogitaretur. De quo in Diss. cit. uberius egi.

§. XLII. Huic hominis in animantia dominio Deus imperium hominis in hominem opponit, hominibus in se invicem id quod in animantia licere negans, quo ipso consultum quoque ivit multiplicationi hominis, ejusque securitati. Qua ratione interdictum homicidii cum praeced., et toto sermonis nexu apte cohaeret. Agit vero pericopa, vers. 5 et 6, de doloso homicidio per mortem homicidae vindicando; quod v. 5. definitur, et v. 6. a difficultate, quae vindictae obstare videbatur, liberatur, vel illustratur et adstringitur. Declarat vero Deus, sanguinem hominis seu caedem ejus, a quocunque etiam fusum, vindicandum a Deo esse, quia omnes sunt homines et viri fratres, quorum alter in alterius vitam nullum habet jus. Sic enim duo vers. 5. membra cohaerent, ut alterum vindictam homicidii, alterum ejus rationem contineat. Vindicta his proponitur verbis; *atenim sanguinem vestrum*, *seu animas vestras*, *inquiram studiose*, *requiram de manu omnis viri*, (h. e. ab omnis status hominibus) *et e manu hominis*, *e manu viri fratris reposcam animam hominis* (h. e. estis enim omnes homines et viri fratres, ejusdem naturae et originis.) Quam interpretationem cum in Diss. cit. adstruxerim, ejus hic suffecerit meminisse.

XLIII. Cui homicidii vindictae cum obstaret creatio hominis *ad imaginem Dei*, per quam videbatur inviolabilis constitutus, Deus, eam e medio tollens, declarat v. 6. sanguinem homicidae, non obstante ea praerogativa, effundendum esse ab homine, eumque in poenam homicidii esse occidendum v. 6. *qui effundit sanguinem*, scilicet *homo in homine* vel *hominis*, *per hominem sanguis ejus effundetur*, *quia*, vel *quamvis*, *in imagine Dei fecit hominem*. Voces si vertantur *homo in homine*, quae ita etiam junguntur Eccles. VIII: 9. censendae sunt insertae explicationis ergo, ut generalis phrasis, *qui effundit sanguinem*, restringeretur et homicidii et homicidae respectu. Sed pos-

 sunt,

sunt, et forte rectius, verti, *hominis per hominem*, ita ut *hominis* ad sanguinem, et *per hominem* ad vindictam per eum sumendam, referatur. Quod huc apte quadrat. Cum enim Deus, se sanguinem hominis e *manu hominis esse requisiturum*, dixisset, ne quis judicium in homicidam existimaret Deum sibi reservasse, adeoque homini illud non licere vindicare, quod rationibus Providentiae adversaretur, Deus his verbis hominibus hanc in se invicem potestatem expresse dedit, simulque unum ex modis, quibus ipse sanguinem hominis reposceret, explicite tradidit.

§. XLIV. Ultimae voces, si vertantur *quamvis in imagine Dei fecit hominem*, eo spectant, ut rationem, quae poenam capitalem, ab homine infligendam, illicitam facere videbatur, ab imagine Dei in homine desumtam, e medio tollant: voculam כי *quia* haud infrequenter pro *etsi*, *quamvis*, *licet*, sumi constat, et multis exemplis in Diss. cit. adstruxi. Sed significatu voculae כי *quia*, qui causae redditionem adfert, retento et superiori addito, difficultas mota non tantum removebitur, sed ex eo ipso, quod poenae capitali ab homine de homine sumendae obstare videtur, ratio petitur ad eam faciendam legitimam, ut sensus sit, tantum abesse ut creatio Adami ad imaginem Dei talem vindictae modum inpediat, ut inde jus derivari possit hominis in hominem; *quia Adamum fecit imaginem Dei.* Quod ut luce donetur, observandum est, digitum ad primam hominis creationem intendi et doceri, eam inter alia eo collineasse, ut homo sese non tantum aptum et divinitus obligatum sentiret ad *justitiam*, voce latius sumta, colendam et exercendam, sed et singulari ornatum eminentia et praerogativa *justitiam* nomine Dei tuendi, et violatam, occasione data, vindicandi, tanquam vice Dei, quippe qui de suprema Dei, tanquam *Judicis* universi, dignitate ac potestate, instar *imaginis* Dei, aliquid participare censendus est. Quae qui illustrata et demonstrata velit uberius, adeat Diss. nostram sel. tertiam ad Genes. IX.

§. XLV. Quicquid sit, declarat hic supremus Rector et Judex mundi

mundi, homicidam ab homine licite et jure occidi posse et debere, opposite ad indulgentiam Caino concessam, qua posteri ejus et reliqui homines Ante-diluviani nimium erant abusi, ut vel ex verbis Lamechi Gen. IV. patescit. Sed et illud observari meretur, ut divina haec lex poenalis ad verum suum *finem et scopum* referatur, eam non tam eo tendere, ut reatus expietur justitiaeque divinae satisfiat, quam ut humani generis propagatio et vitae conservatio tuta sit ac secura, adeoque homini in hominem violatae justitiae vindicationem per caedem homicidae dolosi ideo divinitus esse concessam, *partim* ut homicida in simile crimen ruere prohibeatur, et sufficiens hominibus cautio contra homicidas praestetur, *partim* alii formidine poenae absterreantur. Ceterum sitne haec lex omnibus per omnia tempora hominum societatibus ita divinitus praescripta, ut nec aliis modis vindicare liceat, nec veniae ac juri adgratiandi, ut dicitur, ullus relinquatur locus, hic disputare non lubet. Illud notasse non abs re fuerit, ex hoc loco tantum colligi posse 1. justam et legitiman esse poenam homicidii capitalem, et inter homines juste exerceri; eamque 2. eo collineare, ut ad justitiam colendam compellantur homines, eorumque vitae ac securitati consulatur; sed et 3. eam regulis justitiae simul, simul *aequitatis*, in quibus imago Dei, ad quam hic provocatur, sita est, conformem esse debere. Sed hisce salvis, cum nec publica salus nec justitiae cultura aliquid detrimenti capiat, num aliis poenis vindicare nefas sit, nullusque casus sit, qui legis hic latae exceptionem admittit? ex hoc loco difiniri posse, non autumaverim, sive ad scopum poenae capitalis hic praescriptae, supra in lucem protractum, sive ad rationem ab imagine Dei, quae quoque aequitatem involvit, petitam, advertatur. Accedit, legem hanc ad genus humanum denuo propagandum, necdum multiplicatum, proxime respicere, adeoque strictius observandam esse, ne licentiae, quae ante diluvium fuit, quando *violentia* grassata est, locus daretur. Quae utique vera fuit ratio legis poenalis hoc tempore latae.

§. XLVI. Benedictione primaeva renovata, et multiplicationis humani generis sublatis obstaculis, apte ex schedula patriarchali traditur *propositi* Dei, de mundo, non obstante nova corruptione, longanimiter ferendo et gubernando, absque ut simile excidium totale per aquas diluvii existat, c. VIII: 21, 22. memorati, publicatio per Deum Noacho facta, et signo coelesti in *arcu* in nubibus conspicuo firmata, c. IX: 8—17. Qua in pericopa Deus *foedus* narratur pepigisse cum hominibus et animantibus, promissum de mundo non amplius ea ratione perdendo complexum, simul externo signo *arcus* in nubibus, ad majorem certitudinem et securitatem hominum confirmavit. Ex quo manifestum est, foedus hocce vero suo conspectu et sensu directo esse *longanimitatis* in mundo tolerando et gubernando observandae, usque al ultimum ejus finem. Attamen, cum consilium illud arcte sit cum *gratiae* consilio in Mediatore connexum, quippe ejus fundamento et scopo, (ducit enim longanimitas ad poenitentiam Rom. III: 2. eoque sensu est χρηστοτης *benignitas* quoque Dei, ut ibid: propterea, quod observo, adpellatur, et Deus ideo declaratur longanimiter agere, quia *non vult aliquos perire*, *sed omnes ad resipiscentiam adduci*, 2 Pet. III: 9.) foedus gratiae eo fuisse involutum, imo Ecclesiam credentium et piorum semper in mundo futuram esse promitti, recte statuitur: uti Jes. LIV. innuitur. De quo foedere et mystico ejus sensu prolixius agere non licet. *Arcus* vero in nubibus eum in finem cum a Deo dicitur *datus*, sensus non est, antea non fuisse, est enim repercussio radiorum solis in nubibus tempore pluviae, adeoque effectum naturale et accidentale, ut constat, sed ab hoc tempore considerandum esse tanquam a Deo *positum* in signum et pignus hujus promissi, certo et constanter inplendi. Aptum quoque hoc signum est regnum Dei, tanquam justitiae non tantum, sed in primis *aequitatis* et gratiae plenum, expingere: cum *viridis* ejus color non tantum *igneo* mixtus, sed et eo copiosior sit. Quod tetigisse suffecerit.

§. XLVII. Superest singularis casus Noae, ejusque filiorum, eaque

eaque occasione illustre vaticinium Noae de fatis filiorum in eorum posteris, v. 20.—fin. cui aliquid lucis infundendum est. Praemittitur notitia filiorum Noae, v. 18, 19. duplice scopo, uno ut Cham, tanquam Pater Canaanis, definiretur, altero, ut hi filii, tanquam progenitores populorum per terram dispersorum, cognoscerentur: quia haec duo ad intellectum sequentis oraculi erant necessaria, quippe quod non in ipsis illis filiis, sed eorum posteris inplendum foret, et Chami respectu in Canaane. Unde et duos hosce versus a Mose fuisse schedulae insertos conjicio, perspicuitatis ergo; quod firmatur ex eo, quia filiorum Noae jam supra fuerat facta mentio, et nihil in hac schedula de populorum dispersione, cujus mentio injicitur v. 19. occurrat. Casus vero Noae fuit ebrietas e vino, indeque orta pudendorum retectio; cui cum illusisset Chamus, reliqui autem duo filii, Sem et Japheth, reverenter et pie succurrissent, Noa, spiritu prophetico correptus, filiorum suorum sortem ea occasione praedixit. Verba enim Noae, quod ante omnia observo, non inprecationis in poenam commissi, sed nudae prophetiae ferunt conspectum, adeoque Chami facinus *occasionem* tantum praedictionis suppeditavit. De quo, ne alia memorem, haud obscure testatur, quod non ipse Chamus, sed solus Canaan memoretur, praeterea, licet Sem et Japheth fuerint in praeclaro pietatis facto pares, solus Sem benedictione honoretur, et Japheto, etsi seniori, praeferatur in bonorum patriarchalium haereditate. Ratio vero, quare tam triste fatum in Canaanem, unum tantum filiorum Chami, profatus est hac occasione, inde mihi videtur petenda, quod haec *nuditatis* retectio, cujus sese aliquatenus reum fecit Cham, hic tanquam exemplum et imago corruptissimi status Cananaeorum, huic facto respondentis, qui gravissimi in eos judicii Divini causam praeberet, consideranda sit; adeo ut Noachus, hoc ejus facto adtentius considerato, uti v. 24. traditur, in unius posterorum Chami depravatissimi status, qui nomine *paternae nuditatis revelatae* venire possit, contemplationem per spiritum ductus, *maledictum* et *servituti* addictum pronunciaverit Canaanem, non

propter

eorum, et *cui*, ea Cananaeorum obveniret possessio, definitum fuerit, Noach, uberiore revelatione mactatus, solum Semum eum fore fratrem Chami, cui Cananaei cederent, non tantum expresse declarat, sed in eum quoque totam haereditatem Patriarchalem, excluso Japheto, licet majore natu, eique ampla terrae possessione in genere concessa, esse conferendam, insuper testificatur. Contigit itaque et hic, quod sicut antea in Caino et Abele, ita postea in Ismaele et Isaaco, Esavo et Jacobo, Rubene et Juda, aliis, ut in minorem natu fuerit jus primogeniturae tanslatum. Fuisse autem Semum, licet minorem natu, Gen. X: 21. in locum primogeniti evectum, partim linea et successio Patriarchalis, Gen. XI: 7. a Semo ducta, partim Abraham, per Phalegum ex Semo oriundus, cui promissa Patriarchalia expressius facta sunt, demonstrat, ne alia memorem indicia, in Diss. prolata.

§. LI. Verba Noachi, quibus primogenitura adtribuitur Semo, *propositionem* comprehendunt, et ejus *deductionem* ac confirmationem, relate ad Japhetum. Propositio his verbis facta, *benedictus Jehova Deus Semi; eritque Canaan ipsi servus*, Semum partim haeredem promissorum gratiae declarat, partim possessorem futurum Cananaeorum eorumque terrae. Quod posterius pro bono externo et accessorio principalis haereditatis Patriarchalis habendum est, cum Cananaea, Canaanis posteris ob peccata enormia erepta, Semitis in Abrahamidis accesserit, qua populo Dei: uti diserte traditur Deut. XXXII: 8, 9. *constituit terminos populorum secundum numerum Filiorum Israelis: quia portio Jehovae populus ejus, Jacob funis haereditatis ejus.* Quod ipsum Abrahamo clarius postea fuit revelatum, quum Deus spiritualia ipsi fecit et terrestria promissa, sese Deum ipsius declarando et gentibus benedictionem in ipsius semine promittendo, terram quoque Cananaeam semini ejus carnali haereditatis titulo dando. Quae ex phrasibus recte explicitis, et aliunde fusius exposui in Diss. cit. Propositionis vero amplificatio ac confirmatio his verbis facta, *dilatabit Deus Japhetum et habitabit in tentoriis Semi, cui servus erit Canaan*, non

Japheti

Japheti sed Semi causa subjungitur, ut praerogativa Patriarchalis et possessionis Canaanis Semi data illustretur et confirmetur, comparatione cum Japheto, majore natu, instituta. Pertinent itaque ad Japhetum ea solum verba, *dilatabit Deus Japhetum*, et reliqua ad Semum sunt referenda, quae superiori privilegio lucem infundunt et robur addunt. Sensus ergo est, quem in versione expressi, Deum Japheto quidem, ut aliquid de jure primogeniturae participet, amplissimam in terrestri haereditate daturum portionem (quo verbum *dilatandi* tendit, ut a doctis dudum est observatum, cujus quoque Japhet in Graecis et Romanis particeps est factus, ut constat) sed patriarchalem haereditatem in solum Semum, una cum principatu, collaturum esse: cum habitaturus tantum sit, tanquam Deus et rex eorum, inter Semitas, nec Japheto, sed Semo soli cessatura haereditas Canaanis, qui Semo sit futurus servus. Verba itaque, *et habitabit in tentoriis Semi*, de Deo capienda, et *Canaan servus ei erit* ad Semum referenda sunt. Quae omnia cum in Diss. cit prolixius tractata sunt, hic verbo suffecerit memorasse.

§. LII. Sequitur altera schedula Patriarchalis, ad hanc periodum pertinens, c. X. et XI: 1—9. quae cum ulterius, quam ad dispersionem Noae filiorum non porrigatur, autorem circa illa tempora vixisse, et postea nonnulla, partim a Mose, partim ab alio recentiore post eum, fuisse inserta, mihi plusquam probabile videtur. Mosi utique tribui potest pericopa de regnorum Babelis et Nini conditoribus, nec non quod de Philistaeis c. X: 14. et et de Canaanitarum limitibus, v. 19. occurrit. Sed recentiorem omnino spirat autorem, quod de Ninive *urbe magna* habetur v. 12. cum illa non nisi post Mosem celebris fuerit facta. Scopus vero schedulae est, conditores populorum recensere, eorumque dispersionis occasionem, quam turris Babelis aedificatio praebuit, tradere: ut ex ejus argumento facile liquet. Qui duo casus dispersionis filiorum Noae, et aedificationis turris, peculiarem merentur adtentionem et aliquam elucidationem; quam paucis dabo.

§. LIII. Quod ad *priorem* adtinet, cum Gen. X: 25. tem-

non sit, α. vox שם *nomen* de ejusmodi Synedrio nusquam sumitur, nec commode potest. β. Diserte additur, *ne dispergamur super faciem terrae.* Quo scopum clare significant hi aedificatores; qui itaque fuit, ne a se invicem separarentur, sicut vers. 8. quoque, Deo hoc opus propterea tantum displicuisse, traditur. Cui scopo qua ratione tale tribunal ibi erectum inservire queat, non adparet. Ex quo scopo simul, ut in rem mox veniam, elucescit, voce שם non *nomen*, aut celebritatem et gloriam, ut capi solet, directe significari, cum ea ratione *dispersio* non praecaveretur, sed *signum* elatum excelsum, quod longe lateque conspici posset: quae originaria est vocis potestas, a rad., quae *altum* esse denotat, Arab. superstite, unde et שמים pro coelo, et שם quoque pro signo excelso ac glorioso, ac *nomine*, in usu est. Tale signum excelsum, in *alta* turri situm, aptum ipsis videbatur natum praeveniendae dispersioni. Cum enim vitam degerent pastoritiam, nec adeo magno adhuc essent numero, in animum inducere facile poterant, se quaquaversum palantes, hac turri conspecta, ad eundem redire posse locum, et sic manere unitos. Plura non addo, cum in mentem nostram fusius de eo exposuerit Cl. Perizonius in Origen. Babylon.

§. LVI. 4. Singulare Dei judicium, quo opus hoc, consilio suo de distributione terrae contrarium, ad finem perduci inpedivit, hominesque ad se separandos adegit, in *confusione linguarum*, qua, cum antea *una eademque* fuerunt omnibus *labia*, *sermonesque* iidem, tantam iis conciliaverit confusionem, ut a se invicem fuerint separati, situm, de novis *linguis*, seu dialectis miraculose et momento productis, cum antea *una* tantum obtinuerit Hebraea Patriarchalis, non esse, sicut vulgata habet opinio, intelligendum, multis probavit Cl. Vitringa in libris *observ.* qui adeundus est. Nobis notasse suffecerit, diversas linguas vix *judicii* Dei, et poenae hominibus inflictae, conspectum ferre, minus pro miraculoso et inmediato Dei producto haberi posse, cum unam passim habeant stirpem, sintque dialecti progressu temporis natae et excultae ab hominibus, et natura-

libus

libus ex causis oriri solitae; denique phrasi *confusionis labiorum* et *sermonum* illud non convenire; quippe quae aliam longe suscitat ideam, et alium fundit sensum. *Confundere* enim labia et novas producere linguas seu dialectos multum differunt. Mihi itaque phrases videntur figurate de animorum dissensione, indeque ortis diversis ac oppositis sermonibus, ita ut cum antea ejusdem fuerint consilii et propositi, nunc in diversa abierint, unde separatio a se invicem ac dispersio sponte sua nasci debuit, capiendae: nec illud ab usu phrasium abhorret. Sic *divisio linguae*, inter alia, contentiones et rixas comprehendit Ps. LV: 10. ubi vid. comm. noster., sic et 1 Cor. I: 10. *idem dicere*, *et Schismata* opponuntur. *Labium* itaque denotat sententias per labia prolatas, et *sermones* sunt consilia et ratiocinationes longa serie *ductae*; quem significatum adfert Hebr. דבר: uti constat. Quod si haec displiceat interpretatio, intelligi poterit *vitium*, quod pronunciationi adhaesit extraordinarium, sive *balbutiendi*, sive quid aliud, ita ut se invicem non potuerint intelligere: quod tam diu duravit, donec a se invicem penitus fuerint sejuncti: a quo Hebr. בלל non abhorret; cui *barbarus et balbutire* quoque respondet. Legi praeter Vitringam l. c. meretur Perizonius in Origin. Babyl. c. 13.

§. LVII. *Duratio* periodi, ut ad chronologiam constituendam accedam, iisdem ex principiis, ex quibus superior, eruenda est, annis scilicet Patriarcharum ante procreationem *filii*, in quo successio lineae patriarchalis figitur; quos Moses scripto consignavit Gen. XI. Termini quoque adcurate positi sunt, *alter* a quo periodus incipit in anno 2*do* Semi, quo Arphaxadum genuit post diluvium, qui *duo* anni Semi hic unice in censum veniunt, *alter* in anno 75*to* Abrahami, quo e Charris exiit Gen. XII. Sed facillimam hanc chronologiae ordinationem reddunt *duae* quaestiones intricatiorem, *una* ex ipso textu Hebr. nata, *altera* ex comparatione textus Hebraei et Graeci. *Prior* circa annum nati Abrahami versatur, habetque, num anno Tharae, patris ejus, 70*mo*, an. 130*mo* fue-

rit natus? quod annorum 60 discrimen tot annos facit intervallum longius vel brevius, adeoque vel 367, vel 427 annorum. Quaestio ex Gen. XI: 26. ubi Thara, annos natus 70, legitur genuisse *Abrahamum*, Nachorem et Haranum, et ex locis Gen. XI: 32 ac XII: 4. secum collatis, nata est, cum ex collatione posteriorum locorum, Tharae anno 130*mo* Abrahamum fuisse natum, colligendum sit. Annos enim natus 205 Thara dicitur Charris mortuus Gen. XI: 32. et Abrahamus inde legitur egressus annos habens 75; idque mortuo jam Patre, ut ex serie narrationis et disertis verbis Lucae Act. VII: 4. elucescit. Cum itaque Abrahamus annos 75 tempore mortis Patris vixerit, hic autem anno 205*to* vitae occubuerit, ille anno Patris 130 fuerit natus necesse est, ut facile videre est, si annos 75 subduxeris annis 205. Est itaque 60 annorum discrimen inter duos illos calculos.

§. LVIII. Scinduntur, ut passim fieri adsolet, Chronologi in partes. Scaliger, licet haereat, in sententiam, quae 70 annos Tharae quando procreavit Abrahamum dat, inclinat, sed Petavius eam fidentius adoptavit et adstruxit; ast maximam partem Chronologi, Usserium secuti, pro altera stant sententia, maxime quod a vitio aliquo, librarii culpa, in script. s. admittendo, sine quo prior opinio se tueri nequit, alieni sint. Nobis tamen *prior*, de annis 70 Tharae tempore nati Abrahami, unice videtur vera, quae quoque antiquissima est, et autoritate Josephi munita: is enim Ant. l. I. c. 6. Tharam fuisse natum 70 annos, cum haberet Abrahamum, diserte tradit; sed rationibus non autoritate pugnandum est, quas pro nostra sententia profero sequentes. 1. Primam et praecipuam suppeditant diserta verba Gen. XI: 26. *Thara erat natus annos* 70, *et genuit Abrahamum, Nachorem et Haranum*, quae aliam, ac nostrae sententiae congruam, non ferunt interpretationem. Fundata vero non in eo simpliciter est, quod Abraham *primo* memoretur loco, firmam enim inde conclusionem, eum fuisse *primogenitum*, formari non posse videri posset, uti contrariae sententiae patroni quoque regerere solent, quod transpositionis

et

et ordinis inversi non desint exempla, uti in filiis Noae, qui recensentur *Sem*, *Cham*, et *Japheth*, cum tamen *Japeth* fuerit primus natu, non in eo, inquam, est, sed a quod, cum Abrahamus praecipuus fuerit inter Tharae filios, ejus nativitatis epocha in primis ab Historico censeri debeat adcurate notata: quod, si hic non fiat, nusquam factum est. β. Scopus autoris hujus pericopae, qua chronologia periodi traditur, omnino postulet, ut Abrahami nativitatem adcurate tradat, cum alias ea redderetur incerta. De hoc ejus scopo clare constat, quod annos patriarcharum ante procreationem tam adcurate memoraverit: uti ad superiorem periodum quoque observavi. Quod si Abraham non esset primogenitus, ejus tamen nativitas censeri deberet anno Patris 70*mo* adnecti. Praeterea γ. cum chronologia patriarchalis pertexatur, uti et ante diluvium, per eos tantum filios, in quibus linea illa et successio figitur, isque sit manifeste Abrahamus, ejus nativitas censeri debet hic tradita, sicut in omnibus reliquis obtinet patriarchis ante et post diluvium. Denique δ. nimis longum est annorum 60 spatium, quam ut generali phrasi, tres illos filios anno Patris 70*mo* fuisse natos, dici possit. Fieri nequit, ut aliquis scriptor ita loquatur, caretque exemplo.

§. LIX. 2. Laborat quoque adversa opinio *duplice* in primis, nec levi, difficultate, *una*, quod in tota hac serie nemo occurrat, qui tot annos, quot Thara, cum Abrahamum genuit, habuit. Reliqui genuerunt filium istum suum, anno aetatis 29, 30, 34, 35 etc. Solus Thara anno 130*mo* Abrahamum: *altera*, quod si Abrahamus fuisset anno 130*mo* Patris natus, ipse tanquam vix credibile autumare non potuerit, quod tamen fecit, Isaacum ex se nondum *centenario* nasciturum esse. 3. Fundamentum, cui altera innititur hypothesis, in collatis locis Gen. XI: 32 et XII: 4. situm, ejus non est soliditatis, ut convelli nequeat. Displicet quidem Petavii responsio, sed non deest alia. Duplicem excogitavit Petavius profectionem Abrahami Charris in Cananaeam, *unam* vivo Patre anno Abrahae 75*to*, *alteram* eo mortuo factam; illam Gen. XII. hanc Act. VII.

VII. memoratam; putatque, Abrahamum, cum priore vice Charris excessisset, deinceps Patrem subinde visitasse, et Charras repetiisse, donec, Patre defuncto, in perpetuum eum locum deseruerit. Quae hypothesis, praeterquam quod ficta sit, nulloque plane nixa fundamento, inprobabilis quoque, cum Patrem Charras fuisset, tanquam ducem migrationis, secutus, quem non nisi mortuum reliquisset, multo minus annos 60 ante mortem; nec cum serie narrationis Gen. XII., quae ut mortuo patre annos natus 75 secesserit requirit, nec cum Act. VII. conciliari ullo modo potest. Agitur enim ibi de discessu Abrahami antequam *prolem* haberet, seu Isaacum procreasset, quem anno 100*mo* accepit. Si vero 60 annis ante hunc abitum jam 75 habuisset annos, utique Isaacus diu ante eum discessum ultimum fuisset natus. Nostra ad motam difficultatem responsio habet, vitium in numerum annorum vitae Tharae, incuria librarii, irrepsisse, ac loco 205 leg. 145, adeo ut ann. 145 natus obierit Thara; qui numerus ex 70*mo* Tharae, quo natus est Abraham, et 75*mo* ejus, quo ad plures abiit Thara, sponte sua exsurgit. Non caret ejusmodi mendis Historia S. in primis in numeris, quod nunc nemo fere negare amplius audet, potestque etiam facile contingere, maxime si characteres arithmetici fuerint Hebraeis aeque ac Arabibus antiquitus in usu, quod a probabili non abhorret. Sed nec autoritate caret haec emendatio, cum Codex Samaritanus, cujus collatio cum Hebraeo multum in variis Pentateuchi locis juvat, eam diserte habeat, nec recens est, sed antiquissima nostra lectio, cum ejus jam meminerit Euseb. in Chron.; nec denique nostra tantum est conjectura, sed et aliorum virorum Doctorum, uti Bocharti Geogr. s. Vignol. Chron. s. tom. I. et aliorum. Concludimus itaque, Abrahamum esse anno Patris 70*mo* natum, et intervallo esse 60 annos demendos.

§. LX. Altera quaestio chronologica ex *discrepantia* Cod. Hebraeo-Masorethici ac versionis Graecae LXX Interpretum oritur, quae triplex est. *Prima* circa *Cainanum*, inter Arphaxadum ac Selachum, versatur, quem ignorat textus Hebr.

sed agnoscit Graecus, qui ei 130 annos dat ante procreationem, adeo ut tot annos major fiat vel minor haec periodus. Graeco adhaerent passim Pontificii, exceptis paucis, Hebraeo Protestantes, si ab Is. Vossio discesseris; sed, quod majoris est, ipse Lucas in genealogia Christi cap. III: 36. hunc Cainanum quoque memoravit. Mihi lectio Cod. Hebr. quoque praeferenda, adeoque Cainanus expungendus videtur, ob sequentes potissimum rationes. 1. Haud leve lectioni Graecae versionis creatur praejudicium, quod, cum codex Hebr. in omnibus locis, ubi genealogia haec occurrit, sibi constet, Graecus variet. Utique 1 Chron. I. non reperitur Cainanus in ipso textu Graeco, nec adeo certum est, num in omnibus codicibus gr. semper hoc ipso Gen. loco fuerit, cum veteres nonnulli, ut Julius Africanus apud Syncellum, Theophilus ad Autolycum, Eusebius, et alii, qui Graeco usi sunt textu, ejus non meminerint. Censet quoque Usserius, eum in editione Hexaplari Originis defuisse; cui adsurgere non ausim, cum ex Procopio Gazaeo ad Gen. XI. pateat, illa quae de Cainano habentur fuisse *obelisco* signata, quas notas habuit editio Hexaplaris. 2. Multum etiam obest Cainano, quod vetustissimi illum praetermiserint, uti Josephus, Philo Judaeus, Paraphr. Chald. et versiones Orientales, ipsa quoque Latina vulgata dicta, licet forte in sic dicta Itala fuerit, quia August. de *Civitate Dei* l. XVI. c. 1. eum habet. Denique Beroso apud Jos. Ant. I: 7. eum fuisse ignotum, inde facile colligitur, quod 10*ma* generatione a Diluvio tradat floruisse Abrahamum: cui etiam concinit Eupolemus, teste Alexandro Polyhist. apud Euseb. Praep. Eu. l. IX. Sed obstare videtur, quod chronologia Demetrii apud Eus. l. c. Cainanum requirat, uti observavit Usser. Chron. S. et ex eo Grabe de *vitis* LXX Interpr., numerantur enim a diluvio ad ingressum Jacobi in AEgyptum anni 1360. qui Cainano expuncto inveniri nequeunt. Sed nescio num istis Eusebii excerptis fidere semper liceat, nec aliud hinc colligi posset, quam vitium illud in nonnullis Cod. Graec. esse antiquissimum. 3. Denique Hebr. codici prodest, et Grae-

eo officit, quod Cainanus data opera fuerit, et non incuria librarii omiſſus vel inſertus; uti ex annis 130 ei datis facile patet: quale quid ab Hebraeis, erga ſcript. ſ. reverentioribus et adcuratioribus longius, a Graecis Interpr. propius abeſt; cum hi chronologiam quantum pote prolongare anniſi ſint, uti ſupra vidimus, et mox rurſus patebit. 4. Difficultas, quam textus Luc. III. adfert, tanti non eſt, cum ſive a librario, ſive ipſo Luca Cainanus ex Graeca verſione facile potuerit adoptari, ſicut aliis in locis factum fuiſſe conſtat.

§. LXI. *Secunda et tertia* differentia eſt, quod Graecus textus in *ſex* rurſus patriarchis, ſicut ante diluvium, centenarios addiderit ante procreationem, et in Nachore non 29, ut Hebr, ſed 79 habeat. Quod ut oculis objiciatur, in Schemate annos exhibebo.

Sem genuit poſt diluvium.

	Hebr.	Graec.	Sam.
Arphaxadum.	2	2	2
Arphax. Cainan	0	130	0
— — Selachum	35	135	135
Selach Heber.	30	130	130
Heber Phaleg.	34	134	134
Phaleg Rehu	30	130	130
Rehu Serugum	32	132	132
Serug Nachor.	30	130	130
Nachor Tarach.	29	79	79
Tharach Abraham.	70	70	70
Abrah. exiit.	75	75	75
	367	1147	1017

Quaeſtio, hinc orta, cui codici primae ſint deferendae, cum eadem ſit ac ſuperiore periodo, adeoque iiſdem rationibus decidenda, non neceſſe eſt hic moram trahamus. Ex ſupra enim diſputatis et hic ſecundum textum Hebraeum pronunciandum eſſe ſatis eluceſcit. Quare *duobus* tantum contentus ero

ero obſervatis; *alterum* eſt Joſephum in ſingulorum Patriarcharum annis, ſecundum hodiernam lectionem, convenire LXX Interpretibus, ſed in ſumma totali Hebraeo textui. Dicit enim Ant. I. Abrahamum fuiſſe *decimum* a Noacho, et ann. 292. natum poſt diluvium: ex quo, ſicut in Patriarchis ante diluvium, ita et in hiſce, Joſephi lectionem fuiſſe, quoad ſingulos Patriarchas, ex LXX vitiatam, colligendum eſt, confirmatur hic Joſ. cum textu Hebr. circa hujus et ſuperioris periodi durationem conſenſus ex eo, quod a diluvio ad Templum Salomonis annos 1446. ut legi debet, et ab Adamo 3102 fluxiſſe, dicat Ant. VIII: 3. quod recte ſeſe habet, ſi ab Adamo ad diluvium fuerint anni 1656, qui annis 1446 additi faciunt ann. 3102. *Alterum* eſt, periodum hanc nobis ſuppeditare rationem, quae Graecos ad eam prologandam impellere et Hebraeos ab ea adbrevianda abſterrere potuit: unde Hebraeo codici, magis quam Graeco, eſſe fidendum manifeſtum ulterius fit. *Ratio* illa in nonnullis caſibus ſeu phaenomenis, in hanc periodum incidentibus, ſita eſt, quippe quibus explicandis vix anni ſufficiunt, quos textus Hebr. exhibet. Sunt autem caſus, exſtructae turris Babyl., et diſperſionis populorum per orbem, qui majorem videntur poſtulare hominum multitudinem, quam illo temporum ſpatio, ſecundum textum Hebr., locum habere poterat. Centum tantum anni, ex. gr. fluxerunt ſecundum calculum Hebr. ad natum Phalegum, quando *terra* legitur diviſa Gen. XI. Ingens tempore Abrahami oportet, ut videtur, fuiſſe incolarum terrae copia, cum orbis terrarum ubique jam eſſet inhabitatus, et varia ubique exſtarent regna Gen. XIV. Haec ipſa Viros quoque Doctos adhuc inpediunt, quominus textui Hebr. adſurgant, vix quoque dubitaverim, quin anſam textus Samarit. ex Graeco, cui hic, et non in ſuperiore periodo, convenit, mutandi praebuerit.

§. LXII. At enim, quam plauſibilis haec videatur ratio, a textu Hebr. diſcedere non cogit, nec longiorem annorum periodum requirit. 1. Inmenſa potuit, brevi temporis ſpatio, e tribus Noae filiis naſci hominum multitudo. Demonſtravit

 utique,

utique, tabella facta, Temporarius in lib. de Temporibus l. H. ex illis oriri potuisse spatio 100 annorum *quindecim centena millia*. Quot itaque non potuerunt tota periodo 366 annorum, usque ad Abrahami exitum? 2. Precaria insuper est, nec solido nixa fundamento, hypothesis, de tam inmensa hominum hujus periodi copia, quam utique memorati casus non postulant. Quod ad dispersionem populornm adtinet *a*. illa tempore Phalegi nati non contigit, sed serius, cum *divisio* terrae, et non dispersio, tunc facta narretur, ut supra disputavi. *β*. *Scopus* exstruendae turris, *ne dispergerentur*, directe adversatur, cum eum adsequi hoc medio non potuissent, nisi una habitare possent: quod per tam inmensam multitudinem non licuisset. Tempore vero Abrahami tantum abest, ut tanta fuerit incolarum copia, ut haud magna oportet fuerit. Peregrinatus enim est in Cananaea cum copioso grege, tentoria quaquaversum fixit, sine ullo incommodo aut inpedimento: lite inter ipsum et Lothum orta, hic planitiem Sodomae elegit et occupavit, nemine intercedente. Denique regna, hoc tempore condita, fuerunt parva, singularum fere urbium, et unus Abraham cum parva manu profligavit quatuor reges. Quae omnia ex Gen. XIV. constant.

§. LXIII. Superest historiam sacram ex monumentis exoticis, si pote, illustremus, ac in regnorum nonnullorum origines inquiramus. Historiae fabulari licet parum tribuam, cum tamen aliquid, quod ex historia divisionis terrae inter tres Noachi filios originem videtur traxisse, habeat, ejus obiter aliquem dabo conspectum. Fabula orbis inter tres Saturni filios, Jovem, Neptunum et Plutonem, distributi, aliqua cum specie comparari potest cum illa terrae divisione. 1. Inter Saturnum et Noachum aliqua se offert similitudo, in eo sita, quod uterque justitiae laude fuit celebris, vini quoque repertor, et sub utroque aurea quasi aetas hominumque aequalitas in Saturnalibus conspicua. 2. Sicut Jovi coelum, ita Chamo, cui Jupiter Hammon respondet, AEgyptus, coelo visa omnium terrarum propinquior cessit. Japhetum, cui Europa et insulae

lae maris contigerunt, referre potest Neptunus, maris Dominus. Denique in Plutone sit Sem conspicuus, cui Asia, remotissima et ditissima regio, obtigit. Sed, his missis, utiliora et certiora sectemur, et de regnis Assyriaco, Babylonico, ac AEgyptiaco, hac periodo ortis, exponamus.

§. LXIV. Communis, quae per omnia fere secula viguit, hypothesis, cujus praemittenda est notitia et refutatio, habet, prima regnorum in Oriente initia esse ab Assyriis repetenda, Ninum scilicet, Beli filium, struxisse magnum aliquod regnum, Metropoli Ninive condita, dein, inito cum rege Arabiae pacto, et numerosissimo collecto exercitu, ex decies septies centenis millibus peditum, ac ducentis millibus equitum constante, adgressum esse vicinos populos, ac, praeter alios, sub jugum quoque misisse Babylonios, duobusque illis regnis in unum conflatis, condidisse ope Semiramidis, uxoris suae, Babelem regni Sedem: deinde stetisse illud Regnum Assyriacum per 1300 annos, quando in Sardanapalo rege effoeminato desiit, rege per Arbacem, Medorum praefectum in eum rebellem, de throno deturbato, et novo in Oriente regno Monarchico Medorum condito; quod, annos 300 cum durasset, a Persis per Cyrum destructum est: cum autem Cyri initia, secundum Veterum traditionem, in ann. 1*mum* Olymp. LV. conveniant, primordia Regni Assyriaci huic periodo sunt adnectenda, cum ab initiis regni Persici 1600 annis distent.

§. LXV. Haec hypothesis, quae autorem agnoscit Ctesiam Cnidium, ab urbe Cariae Cnido oriundum, medicum Artaxerxis Mnemonis regis Persarum, Herodoto itaque recentiorem, qui *Persica* scripsit et *Indica*, quorum excerpta reservavit Photius in Biblioth., unde collecta sunt a variis, etiam Herodoto subnexa: haec inquam hypothesis per omnia fere regnavit secula, adsumta a Diod. Sic., Trogo Pompejo, ejusque epitomatore Justino, et deinceps ab aliis omnibus Historicis: donec quasi ex compacto in eam insurrexerint, sec. superiore, in Gallia N. Abrahamus in *Pharo*, Doctus Jesuita; in Anglia J. Usserius, in Germania H. Conringius, in adversar. Chronol. in Syntag-

 mate

mate rariorum Differt. Graevii: quibus tamen omnes non adsurrexerunt: adhaerescunt autem, sicut antea, ita et postea, nonnulli in primis ob praetensam convenientiam ejus cum Gen. X. ubi, cum dictum fuisset *principium regni Nimrodi esse Babelem*, sic pergitur: *ex hac terra egressus est* (Nimrod secundum illos) *in Assyriam, et aedificavit Niniven:* qua ratione Nimrod regno Babylonico structo, ei adjunxisset Assyriacum; adeoque pro *Belo* vel *Nino* habendus.

§. LXVI. Displicet quoque nobis haec hypothesis, quia nec solido innixa est fundamento, nec historiae ac script. S. congrua, fabulosis praeterea vestita circumstantiis, quae paulo fusius deducenda sunt. α. Ctesiae autoritas in rebus facti exigua vel nulla est, cum autor, Veterum consensu, fabulosis narrationibus fuerit delectatus, easque libris suis passim inferuerit. Aristotelis judicio, in hist. anim. l. VIII. autor est *ἐκ ἀξιόπιστος fide non dignus*; Antigonus Carystius eo se usurum negat, quia *multa mentitur* in historiis narrandis. Idem de eo senserunt et locuti sunt Strabo l. XI. ubi de Massagetis et Sacis, Plutarchus in Artaxerxe, Arrianus exped. Alex. m. l. V. Lucianus de *conscribenda historia:* alii. β. Quae de amplitudine regni Assyriaci, terris a Nino subactis, execercitibus numerosissimis, expeditionibus, praeliis, adparatu, moliminibus Semiramidis etc. hic traduntur, a primis illis temporibus, tenuibus rerum primordiis, alienissima sunt et fabulosum spirant ingenium; adeo ut ab omni verisimili abhorreant, nec ullam mereantur animadversionem; iis quoque, quae Mosis historia de hac periodo tradit, plane contraria.

§. LXVII. γ Quantopere Script. S. repugnet haec hypothesis, cuique, ad sequentia adtendenti, in oculos incurret. 1. Regna hujus periodi fuisse plura, nec ampla, quin singularum fere urbium, nullum monarchicum, ex Gen. XIV. clare non solum elucescit, sed et primas inter regulos hoc tempore non Assyriae, aut Babyloniae, verum Elymaeorum tenuisse. 2. Patet quoque, regna Assyriae et Babyloniae, non in unum conflata, sed distincta fuisse hoc tempore, secus ac Ctesiana fert

fert traditio Gen. XIV: 1. Amraphel rex *Sinear*, seu Babyloniae, et Arjoch rex *Elasar* h. e. Assyriae, (אל *el* enim est particula praefixa nominum apud Arab. et Hebr.) distincti memorantur. Mich. V: 5. cum dicitur, *et depascent terram Assuris gladio, et terram Nimrod in ostiis suis*, eas terras fuisse distinctas, ac regna in originibus suis divisa, clare docetur. 3. Denique, quod totam hanc hypothesin penitus evertit, regnum Assyriacum secundum eam, jam aliquandiu fuerit destructum et ad Medos translatum, necesse est; cum Script. et historia sacra, illud in summo fuisse vigore et amplitudine, repraesentat circa finem regni Israelitici; quando Phul, Tiglatphulassar, Salmanassar et Senacherib per Orientem vagati sunt et dominati, Assyriaci enim regni interitus traditur secundum Ctesiam accidisse 300 ann. ante Cyrum. Quid ad hoc argumentum regeri, vel fingi soleat, postea suo loco exponam et refutabo.

§. LXVIII. Consistere cum ipso illo loco Gen. X., in quo Docti sese in primis fundant, qui Ctesianam adoptarunt narrationem, non potest, quin ei adversatur magis. 1. Primordia ibi dantur *Babeli*, ubi Nimrod struxit regnum, et unde in Assyriam, secundum vulgatam interpretationem, discedens, condidit Assyriacum; sed Ctesias contrarium narrat: Ninus enim, condito regno Assyriaco, secundum eum occupavit Babylonicum et suo adjunxit. 2. Textus non habet, *et ex hac terra egressus est in Assyriam* (deest praef. ו *et*, connectens particula, ut et ל *in* אשור *in Assurem*) sed, *ex hac terra egressus est Assur, et condidit Nineven etc.* manifesto indicio, de Nimrodo non continuari sermonem, sed Assurem hic tradi exiisse inde, et regnum Assyriacum condidisse. 3. Quod et ulterius firmatur ex ipso nomine *Assyriae*, ab *Assure*, ex Semo oriundo, Gen. X: 22. utique repetendo: qui itaque pro conditore, et non Nimrod, habendus est: sicut et terrae Nimrod ac Assur distincte memorantur Mich. V.

§. LXIX. Denique Ctesiae repugnat Herodoti, longe fidelioris historici, narratio lib. I. cui et alii consentiunt. Secun-

 dum

dum quam regnum Assyriacum in Oriente dominatum est ann. 520, quando cum aliis gentibus ab eo desciverunt Medi, et aliquandiu post in obscurum ivit: ut postea suo loco patebit. Regnum itaque Assyriacum, huic narrationi convenienter, longe post haec tempora caput demum erexit in Oriente, quando *Judices* locum habuerunt inter Israelitas: de quo etiam postea: nec antiquior fuit Ninus, regni istius dominantis conditor, a Nimrodo, longissime distans, nec cum eo confundendus. Fuit quidem illud regnum, quippe ab Assure fundatum, ut mox dicam, sed non nisi diu post dominans, et *primum* in Oriente factum per Ninum.

§. LXX. Demus, his praemissis, specialem regnorum, hac periodo ortorum, *Babylonici*, *Assyriaci*, et *AEgyptiaci*, notitiam, ex certioribus, quantum pote, monumentis haustam. De *Babylonico*, a quo ordior, antequam agam, nonnulla de Annalibus Chaldaeorum praemisisse, et cum historia sacra comparasse, non fuerit abs re alienum. Eorum annales et origines conscripsit Berossus, qui non sub Antiocho Sotere, vel Theo rege Syro-Macedonum, quod Vossius putat, sed tempore Alexandri M. vixit: uti ex ipso Beroso apud Euseb. in Chron., et Tatiano c. 58 liquet. Dubium non est, quin Berosus Mosis historiam viderit et consuluerit, cum haud una sit inter utrumque convenientia, uti ad superiorem periodum observavi, et ex hac periodo ulterius patescit. Tradit Berosus, *historicas* memorias ann. 150 mille servari apud Chaldaeos, qui de *diebus*, ut supra suo loco fieri debere dixi, intellecti, annos faciunt 416 et quod excurrit: unde eos sese ad historiam conscribendam sero adplicuisse, patet. Sed astronomicas citius longe inceperunt observationes. Tradit utique Berosus apud Plin. H. N. l. VIII: c. 56 habuisse eos siderum observationes ann. 480 millium: sic enim et non 480 ann. legi debere apud Plin. et *millia* addenda, ex ipso Plin., Cicerone et Diod. Sic. demonstrari potest, quod jam praestitit Perizon. Orig. Bab. Ceterum hi anni 480000, pro totidem diebus sumti, faciunt 1300 ann. quod optime Callisthenis traditioni convenit, qui, quo

quo tempore Alex. M. Babylonem occupavit, ibi inveniſſe narratur, apud Simplic. l. II. de coelo ex Porphyrio, aſtrologicas Chaldaeorum obſervationes ann. 1903. Quod teſtimonium non eſt, quod in dubium vocemus. Etſi enim poſtea a Nabonaſſare adcuratiores inceperint obſervationes apud eos, quare *aera Nabonaſſ.* inde ducitur, inde nullas antea fuiſſe, colligere non licet. Hac ratione hiſtoria Sacra, ad Chaldaeos ſeu Babylonios ſpectans, recte in concordiam, reſpectu temporis, redigitur cum annalibus eorum, indeque firmatur.

§. LXXI. Succedat nunc *fundatoris* regni Babyl., et *loci* ac *temporis* hiſtoria, in primis ex Script. S. *Nimrod*, Cuſchi filius et Chami nepos, poſteaquam *venatione ferarum*, pro antiquo more, quo, cum a feris ſibi metuebant potiſſimum, juventus hac arte exercebatur ac ad bellum praeparabatur, uti a Polyb. l. VI. et Plin. panegyr., aliiſque eſt obſervatum, celebre accepiſſet nomen, *potens venator coram Jehova* (ſcilicet tanquam ſingularis Providentiae Dei objectum) adpellatus. Quo nomen נמרד *Nimrod* quoque referri poterit, ſi a נמר *ferocire*, unde ad pardum, et alia eximie fera transfertur, et רדה *calcare* ſubigere pedibus derivetur, quaſi dicas ferociae et ferocientis calcatorem ac domitorem. Praeterea multorum animos ſibi conciliaſſet, et ſupra alios ſeſe potentia ac autoritate extuliſſet, animum ad regnum aliquod condendum adplicuiſſe narratur Gen. X. ſede fixa Babele. Quo etiam nomen *Nimrod*, נמרד trahi poteſt, ſi pro *feroce domitore*, ut poteſt, capiatur. Quae licet ſatis limpida ſint, turbavit tamen Abramus in Pharo, contendens, ea ante confuſionem contigiſſe linguarum, et, per eam populis diſperſis, molimina illa effectu caruiſſe, adeoque Nimrodum, cum ſuis inde excuſſum, in Palaeſtinam ſeceſſiſſe, ac terram Gigantum, Arphaxadum vero, Semi filium, occupaſſe terram illam Sinear, et regnum Babylonicum condidiſſe ſive, ut opinatur, Chaldaeorum, quorum parens fuiſſet Arphaxad. Quae opinio a viris Clariſſ., Perizonio in Orig. Babyl. et Vitringa ad Jeſ. jam refutata, ſe tueri nequit. Praeterquam quod nullo nitatur fundamento niſi ſuſpecto, Chaldaei enim hoc

 tempore

tempore nulli fuerunt, deinceps demum ex filio Nachoris, *Chesed* dicto, fratris Abrahami, nati, nec nisi sub Nino, tempore Judicum Israelis, in Babyloniam translati, uti postea videbimus: ea omnia ante confusionem linguarum et dispersionem populorum accidisse, ab omni abhorret probabili: *cum* quod Nimrodi nulla, minus tanquam autoris ac principis ejusmodi consilii ac conspirationis in Deum, non tantum fiat mentio, sed ipsi illi sese mutuo ad id leguntur exhortati, *tum* nullum se offerat regni condendi et metropolis erigendae indicium, sed unice, *ne dispergerentur*, *tum* denique quod cum *initium regni* ejus dicatur *Babel*, eam urbem jam tunc exstitisse, clare indicetur. Historia itaque hac ordinetur ratione, ut omnia sibi constent. Molimina hominum, quorum praecipui fuisse videntur Chamitae, postquam essent disturbata, illique a se invicem separati, et ad terras sibi adsignatas occupandas compulsi, Cuschaei in Arabiam, ipsis datam, secessissent, Nimrod, Cuschi filius ferarum venatione celebris factus, simul ambitione inflatus, et de regno erigendo cogitans, animum ad regionem, unde excussi erant, recuperandam adpulit, eamque cum Cuschaeis suis sibi subjecit, expulsis Semitis, quibus competebat, qui cum *Assure* trans Tigrin in Assyriam sese contulerunt novumque regnum condiderunt: ut mox videbimus. Primi itaque regni Babylonici cives fuerunt *Cuschaei*; postea eo sunt a Nino translati *Chaldaei*: de quo postea.

§. LXXII. Superest de *loco* et *tempore* conditi regni Babylonici disseramus. Metropolis regni licet diserte *Babel.* Gen. X dicatur, urbs in campis Babylonicis sita ad Eupratem, qui eam medius secat, ad meridiem inflexum, postea amplissima, ornatissima, et munitissima facta, in primis in gratiam et opera duarum foeminarum Semiramidis, uxoris Nini, et Nitocris Nebucadnezaris, ut tradit Herodot., Marshamus tamen in Chron. in eam delapsus est paradoxam opinionem, *Babelem* hoc tempore non fuisse, sed multa secula post demum a Nabonassare, unde aera ducitur Nabonassarea, conditam, tempore Jothami regis Judae, Mosis verba *principium regni fuit Babel*, non de

urbe,

urbe, sed tractu Babylonico, capienda esse. Fundat se praecipue in loco Jes. XXIII: 13. ubi *gens illa* Chaldaeorum antea fuisse negatur, et ab *Assure* fundata dicitur. Quae sententia, sicut subiesto nititur fundamento, cum Jes. non de urbe condita, sed ornata ac amplificata, Chaldaeis per Ninum eo translatis, nec de suo tempore, sed longe antiquiore loquatur, ut a Cl. Vitringa est demonstratum, ita nec cum Script. S., nec exoticis monumentis ullo modo conciliari potest. Prophetae ipsi, Jes. et Jerem., de ea, tanquam omnium celebratissima, locuti sunt: Moses Gen. X. Babelem diserte tanquam sedem regni memoravit et a terra *Sinear* distinxit, sicut mox per Nineven ab Assure conditam urbem intelligit. Historia exotica Semiramidi, uxori Nini, urbis ornatum tribuit, longe itaque ante tempora Jesaiae: ne dicam, sedem regni Nimrodi, quae tamen ibi fuerit necesse est, aliam monstrari posse nullam. Plura non addo, cum a Viris Doctis Vitringa ad Jes. et Perizonio Orig. Bab. ea fusius fuerint tractata. De *tempore* conditi regni verbo potero absolvere; cum de eo nihil definiti possit statui. In genere tantum dici potest, contigisse post dispersionem populorum, et celebritatem Nimrodi jam stabilitam: adeoque sesquiseculo post diluvium: cui traditio de siderum observationibus apud Chald., supra memorata, non male convenit.

§. LXXIII. Regni Assyriaci, de quo nunc est agendum, fundator fuit Assur Semi filius, uti Gen. X: 11. traditur, secundum verum loci intellectum, supra, ubi Ctesianam traditionem refutavi, adsertum. Cum dictum fuisset *initium regni Nimrodi fuisse Babelem* etc. sic pergitur, *ex hac terra egressus est Assur, et condidit Nineven* etc. Quae ut rectius capiantur, adsumenda est hypothesis, Nimrodi invasionem in terram Sinear coegisse Assurem ad eam deserendam, ac trans Tigrin discedendum. Divisione scilicet terrae per Noachum facta, populisque dein ad regiones sibi adsignatas se conferentibus, Chamitae amoenitate terrae Sinear capti, ibi sedes collocarunt, et turrim, ne dispergerentur, altam coeperunt aedificare: sed judicio Divino inde excussi in Arabiam secesserunt, ac vicinas

 regiones,

regiones, Cuschaei vero in Arabia, ipsis competente, residentes, duce Nimrode, jam potente facto, veteris tractus Babylonici desiderio adfecti, eum denuo invaserunt, occuparunt, et retinuerunt. Quando Semitae, qui eum tractum, sibi datum, tenebant, inde, duce Assure, discesserunt trans Tigrin, et aemulum condiderunt regnum, ab Assure dictum Assyriacum, condita Nineve metropoli. Quae duo regna tanquam distincta hoc tempore obtinuisse, ex Gen. XIV: 1. manifestum est; eodem quoque tempore videntur condita; ut ex Gen. X: 10, 11. colligi posse videtur. Nineve autem, metropolis regni Assyriaci, sita fuit in illustri Assyriae parte Adiabene, ad orientale latus Tigridis, inter amnes Lycum et Tigrin; nec minor Babele progressu temporis, si non major ac illustrior, facta est. De quo hic non est agendi locus. Tantum notari hic velim, Nineven Gen. X: 12. adpellari *urbem magnam*; quatenus postea talis facta est, hic itaque per anticipationem, satis usitatam in libro Genes., sive a Mose, sive potius a scriba aliquo, quum illud elogium Nineves esset vulgatum, ut in libro Jonae. Cum autem illud elogium in Nineven unice quadret, et ad eam omnino sit referendum, probabile mihi fit, voces, *haec urbs magna*, loco esse motas, et vers. 11. his verbis *et condidit Nineven*, esse subnectendas. Qualia non desunt exempla alia.

§. LXXIV. De regno AEgyptiaco, ejusque originibus, cum fusius egerunt, praeter Marsham., Vitringa ad Jes., Perizon. in Orig. AEg. et Vignolius in Chron. S. qui consulendi, et secum conferendi sunt, brevibus exponam. Antiqua monumenta, ad res AEgyptiacas pertinentia, tempora in *Deorum*, *semideorum* et *hominum*, distinguere solita, respexisse videntur ad tempora ante et post diluvium, uti supra ex Beroso in Originibus Babylon. vidimus, et per *Deos* intellexisse ante-diluvianos, qui in Chronico vet. *auritae* adpellantur, ab אור *our* igne; in Theologia enim mythica AEgypt. primus Deorum est *Vulcanus*, ultimus vero *Saturnus*, quorum *ille* cum Adamo, *hic* cum Noacho comparari potest, *Semi-Dei* sunt Heroes

diluvium

diluvium proxime secuti, Chamus, ejusque filius Mitsraim, adeoque primi incolae AEgypti, tanquam progenitores Gentis, pro more Veterum culti et honorati; in Chron. Vet. dicti *Mestraei*, a nomine Mitsraim, qui filius Chami fuit. Qui etiam per Osirin, ejusque filium Orum, videntur designati, primi Dei in Theologia Mythica AEgypt. Cujus rei haud obscura sese indicia offerunt apud Diod. Sic l. I. Osiris, ex. gr., fuit Saturni, seu Noae, ut supra habuimus, filius, etiam Jupiter seu Cham dictus, uxor ejus Isis ab אשה foemina, urbs ab ipso condita *Chemis* a Chamo. Exstruxit quoque Osiris Thebas Chami sedem, No-ammon dictam Nah. III. sicut AEgyptus quoque *terra Chami* vocatur Ps. CV. Nomen autem *Osiris* eo tempore videtur ortum, quo mythica Theologia in *physicam* est versa et cum ea confusa, quando naturam *activam et passivam* pro Numinibus coluerunt, Solem, Lunam, et Terram: quae vera fuerunt et certa Theologiae Veterum mythicae principia. Exprimit illud quoque haud obscure nomen Osiris, quod, teste Plut. in libro de Iside, significat in lingua AEg. πολυοφθαλμὸν, ex *os* πολυ, et *Iri* ὀφθαλμον, *multioculum*. Sed de his plura non adtinet dixisse, cum de *hominum* regno hic agamus.

§. LXXV. Antiquissima traditio de regno hominum in AEgypto, apud Herodot. l. II. ex sacerdotibus AEgypt., ut ipse dicit, hausta, habet, primum fuisse, qui ibi regnavit, Menem, operibus illustrem, quem continua serie secuti sunt 330, nulla re gesta clari, excepto ultimo Moeri: unde usque ad Sethonem, Vulcani sacerdotem, qui incidit secundum ipsum in Hizkiae tempora, *undecim* numerantur reges; in universum itaque a Mene ad Sethonem fuerunt reges 341: quibus anni tribuuntur 11340. Succedat Manetho Sebennita sacerdos Heliopolitanus, tempore Ptolomaei Philadelphi, cujus jussu origines AEgypt., seu historiam, conscripsit. Cujus operis conspectum, ex Julio Africano ac Eusebio, dedit Georg. Syncell. sec. VIII*ti* notissimus scriptor. Descripsit Manetho historiam per *dynastias*, quae definitae quaedam sunt regum

M successiones

successiones ab urbibus vel nomis AEgypti celebrioribus adpellatae, sive singulae pluribus, sive paucioribus constent regibus. Tales dynastiae recensentur 31 usque ad Cambysen, regem Persarum, qui AEgyptum sibi subjecit, adeo ut 31*ma* sit Persarum. Tradit porro Syncellus, Manethonem illis dynastiis dedisse annos 3555, cum tamen, si singularum anni numerentur apud Syncellum, fuerint 5355; oportet itaque vel corruptus fuerit Syncellus eo in loco, vel ipse studio summam, ipsi nimiam visam, nec cum hist. Sacra conciliandam, contraxerit.

§. LXXVI. Adjungatur ei Eratosthenes, qui jussu Ptolemaei Euergetis in reges *Thebanos*, a Manethone omissos, inquisivit. Quorum 38 catalogum ex Apollodoro, Annalium scriptore, exhibet Syncellus, quorum primus est Menes, postremus Amnthantaeus; addit, eos incepisse an. M. C. 2900, et desiisse an. 3976, adeoque inplevisse spatium ann. 1077. Sed tradit insuper, se consulto aliorum Thebanorum regum 53 nomina, apud Apollodorum obvia, omisisse, cum nihil juvent. Succedat Chronicon incerti autoris apud Syncellum, qui illud antiquissimum censet, nescio quam vere, utique aliis non videtur Eusebio antiquius, quo usque ad Nectanebum, quem Artax. Ochus devicit, perducitur narratio. Regnarunt, secundum hoc Chronicon, post Semi-deos, in AEgypto 15 dynastiae, seu generationes circuli *Cynici*, quibus in textu anni 443 dantur, sed legi debet 1043, uti Vignol. jam observavit, tot enim annos faciunt 15 revolutiones illius circuli canicularis parvi, qui est ann. 69. Hisce adduntur 15 aliae dynastiae, ab illustrioribus urbibus, vel nomis, adpellatae, sicut instituit Manetho: adeo ut in universum sint 30 dynastiae; quibus anni dantur 2924. Denique Diodor. Sic., celebris historicus sub Caesare et Augusto, primum quoque regem facit Menem, quem 52 secuti sunt obscuri nominis, per ann. 1400, vel secundum aliam lectionem 1040; postea adhuc 417, in universum, praeter paucos exteros et foeminas *quinque*, 470. Sed in annis tam longae successionis sibi non constat: ad

suam

suam aetatem usque numerat ann. 15000, in Biblioth. lib. I. quare nobis magnum non praestat usum. Tandem ipse Syncellus ad partes vocandus est, cum ejus institutum sit singulare. Reges exhibet continua serie, sed sine dynastiis, licet in fin. addat 10 constare dynastiis, a primo Mene, quem Mitsraimum esse dicit, usque ad finem Amasis, seu dominatum Persarum in AEgypto, reges, inquam, 86; quibus ann. 2210 tribuit. Ceterum, cum primi 25 reges longe sint diversi ab illis, quos Manetho in prioribus dynastiis exhibet, incertum est, unde eos repetierit, sive ex Chron. Antiquo, quod Marsham. et Pezron. putant non tantum, sed pro fundamento Chronologiae suae ordinandae ponunt, sive ex 16 Dynastiis Manethonis, pro solo arbitratu, ad hypothesin suam adcommodans, uti disputat Perizon. cui respondet Vitringa.

§. LXXVII. Hac ratione cum Veteres instituerint, illique a se invicem discrepent, recentiores in illa Chronologia ordinanda multum operae posuerunt, diversam quoque tenentes viam, uti, praeter Conringium in Adversf. Chronol.. N. Abramus in Pharo, Is. Vossius in Diss. de aetate mundi, Marsham. in primis in Chron., Pezronus in Instaurat. temporum, J. Perizon. in Orig. AEgypti, Vitringa ad Jes. et novissime Vignolius in Chron. S. Possem horum conatuum dare conspectum, sententiam quoque meam proferre; sed ei rei inmorari vix operae pretium videtur, utique quoad scopum meum, cum quod nihil certi hic dici queat, quia Vetera monumenta nimis differunt, tum Hist. Sacra parum lucis inde acquirat, quia certus temporis articulus definiri nequit, in quo Historiae Aeg. respondeat Sacra, aut alia aliqua epocha illustrior: ex. gr. si sciri posset, quis sit iste rex AEgypti, qui Josephum elevavit, aut sub quo accidit excidium Trojae, reditus Heraclidarum in Peloponnesum etc. pes hic figi posset; *tum* denique chronologia sacra et AEgypt. nimium distet. Tantum hist. sacrae aliquid lucis infundi poterit ex historia regum AEgypti, Bocchoris, et Sabaconis, et sequentium, a temporibus Hizkiae, ut suo loco patebit.

 §. LXXVIII.


§. LXXVIII. Ceterum, cum Doctorum communis eaque satis probabilis hypothesis ferat, Manethonis, cui primae deferuntur, dynastias non esse omnes successivas, sed nonnullas collaterales, unius ejusdemque temporis, nec tamen inter eos, qua ratione digerendae sint, conveniat, suffecerit declarasse, cum moras hic nectere fas non sit, probabiliorem mihi videri hypothesin, quam post Marshamum novissime exposuit, sed et emendavit ac demonstravit Vignolius; quae habet, AEgyptum, post Semi-deos, varie fuisse distractam, ac in varias provincias, seu nomos, divisam, quas singuli praefecti occuparunt et tenuerunt titulo *nomarcharum*, vel et regum: inde vero brevi post quatuor fuisse orta regna, duo *Inferioris* AEgypti Heliopolitarum et Memphitarum, duo *Superioris* Thinitarum et Thebanorum: quae posteriora fuerunt in principio unita sub Mene et Athothe, qui filio suo Cenceni dedit urbem This; quando novum regnum Thinitarum coepit, quod post ann. 547 cum Thebano rursus est conjunctum. Cui etiam Memphiticum, postquam sat longum tempus durasset, adjunctum est per Pammum Archondem, regem 19*num* Thebanum: utique post ipsum iidem fere reges memorantur Thebanorum et Memphitarum.

§. LXXIX. De AEgypto, ubi haec regna fuerunt, ejus nominibus, situ, et indole pluribus disserere possem, sed cum Cellarius in Geogr. Antiqua, Relandus in Palaest. Vitringa ad Jes. aliique, post Bochartum, prolixe satis illud fecerint, qui in omnium sunt manibus, et postea occasio nonnulla proferendi sese oblatura sit commodior, hic verbo pauca tantum notabo. 1. Adpellata fuit *terra Chami* in Psalm. libro, a *Chamo*, unde et *Chemia* dicta fuit a Plutarcho, sive quod Mitsraim ejus filius fuerit, sive et ipse ibi in initio regnaverit, utique nomine Jovis *Hammonis* ibi cultus est, sed communiter מצרים, a rad. antiqua מצר, ejusdem originis ac צרר, et צור proprie *stringere*, *strictius arctare*, unde מצר proprie dicit regionem valde *strictam*, seu inter duos montes coarctatam in longissimum tractum, eaque ratione munitam valde: sive filius Chami

Chami *Mitſraim* dictus, AEgyptiorum progenitor, nomen illud jam ante habuerit, unde unde etiam natum, et tractui, quem inſedit, dederit, ſive illud ab ipſa illa regione, eo nomine propter ſitum et indolem ſuam inſignita, poſtea demum acceperit, de quo dubitari et diſputari poteſt, illud certum eſt, nomen recte in eam regionem, ut dixi, convenire. Nec certo conſtat unde *AEgypti* nomen ſit derivandum, ſive ab אי־כפתור *inſula Caphtor*, quo nomine AEgypti tractus *Delta* a figura dictus, primum fuiſſet inſignitus, quae eſt viri eruditi Abel in *hiſtoria Monarch.* opinio, ſed lubrico nixa fundamento, cum eo nomine in Script. veniat tractus, unde orti ſunt Philiſtaei Deut. II: 23. Jer. XLVII: 4. Am. IX: 7. de cujus ſitu diſputatur; ſive ab αἰξ vel αἰγυς et κοπτος ut ſit *fluvius Copti*, ab αἰξ *capra*, vel ἀΐξ *inpetus*, quo nomine fluvius *Nilus* primum dictus eſt, uti apud Homerum, a celebri urbe Copto in Thebaide, unde ipſa regio; uti putat Cl. Vitringa ad Jeſ. XX. ſive ab αἰγυψ *vulture* a nigredine, ut praeter alios Perizon. Or. AEg. c. 1. ſive aliunde.

§. LXXX. 2. Tractus eſt longiſſime protenſus a Septentrione ad Auſtrum, montibus incluſus et munitus, cujus termini ſunt ab Ortu deſerta Arabiae et paludes Peluſiacae, et montes Arabiae, vel mare Rubrum, ab Occaſu montes Libyae, ab Auſtro montes, quibus ab AEthyopia ſeparatur, a Septentrione mare Mediterraneum. Secatur medius per celebratiſſimum fluvium Nilum, a cujus inundatione foecundatur et irrigatur, cum pluvia careat, excepta parte inferiore prope mare. De Nili vero nominibus, utilibus qualitatibus, cultuque ejus religioſo, quatenus Iſidi, vel Lunae, ſacer eſt, pluribus egit Jablonſkius in Pantheo AEgypt. lib. IV. Nomen traxit, vel ab Heb. נחל, quatenus per excellentiam eſt *fluvius*, ſicut et יאר AEg. *Jaro*, propterea adpellatur, vel, uti Jablonſk. cenſet, ab AEgypt. vocibus *nei* definito tempore, et *aleri* adſcendere, ut deſignetur fluvius definito tempore adſcendens, quod Nilo proprium eſt. Denique שיחור *Sichor* adpellatur a *nigredine* ob limum. 3. Denique, quam fertilis ſit omnium rerum, in pri-


mis lini et frumenti, ac praestantium equorum copia abundans, prae reliquis orbis tractibus, nemini non constat. Messis, ut illud unum obiter memorem, ibi agitur Mens. April. post eam ab initio Maji incidit aestas, quando ardentissimus saevit *aestus*, qui tamen per abundantem rorem temperatur, ita ut tolerabilis fiat: ab initio Aug. ad finem Octobr. terra superioris AEgypti, per Nili inundationem, faciem praefert *maris*; dein Mens. Octobr. et Novembr. terra seritur. De pluviae defectu, Nili exundatione, vento urente ac arenoso, multisque morbis inde oriundis, videantur, quae adtulit Harenberg in Misc. Lips. novis vol. I. Notatur in specie coecorum multitudo, Veteribus et Recentioribus testibus, in AEgypto, inde adpellata subinde *regione coecorum*: Vid. Jablonsk. l. c. lib. I. c. 5.



PERIODUS

PERIODUS TERTIA.

AB
EXITU ABRAHAE EX URE CHALDAEORUM
AD
ISRAELITARUM EX AEGYPTO
ANN. 430.

§. LXXXI. 

Umma historiae, cap. XII*mo* et seq. ad finem libri Genes. et prioribus Exod. capitibus comprehensae, huc redit; uti notum existimo. Cum Idololatria incolas terrae maximam partem, ne Semi quidem posteris exceptis, occupasset, ne unius Dei fides et religio interiret, Deus evocavit Abrahamum, ex Heberi posteris, e Mesopotamia in Cananaeam, magnorum beneficiorum, terrestrium et spiritualium, promisso ipsi facto, inter quae Seminis multiplicatio, ac Cananaeae haereditaria possessio eminebat, Fide et pietate ejus diu explorata, senex et sterilis jam cum uxore Sara, ex ea procreavit Isaacum, promissorum haeredem futurum: qui ex Rebecca, de stirpe Nachoris fratris Abrahae, progenuit gemellos Esavum et Jacobum: quorum hic, cum in fratris incidisset odium, quod jus primogeniturae vili pretio non tantum ab ipso, cibi desiderio adacto, emisset, sed et paternam benedictionem, primogenito propriam, clandestine et fraudulenter praeripuisset, et ab eo ad necem quaesitus, parentum consilio secessit in Mesopotamiam ad matris familiam, sibique primum 14 annorum servitio, gregi Labanis pascendo impenso,

 duas

duas ejus filias, Leam et Rachelem, comparavit uxores, ex quibus, earumque duabus ancillis, duodecim procreavit filios, Patriarchas dici ſolitos, quippe tot tribuum, inde oriundarum, capita, dein alio adhuc *ſeptem* annorum ſervitio pro mercede ingentem, ſingulari Dei benedictione, acquiſivit gregem: quando Labanis invidiam metuens, clam ſe inde cum ſuis ſubduxit, Cananaeam repetens. In itinere cum Labane reconciliatus, etiam Eſavi gratiam conſecutus, ſoſpes in domum paternam rediit, amiſſa tantum Rachele, in partu Benjaminis mortua. Inter caſus fatales, qui ipſi acciderunt, eminuit *Joſephi* a fratribus ex invidia venditi, ad Patrem tanquam a feris diſcerpti delati; dein in AEgypto in carcerem truſi. Qui tamen laetum nactus eſt exitum. Occaſione enim ſomnii Pharaonis regis AEgypti, de fertilitate, eamque exceptura fame, divinitus expliciti, ab eo in ſummam evectus dignitatem eſt, et annonae curandae pro ſuprema auctoritate per totum eſt praefectus regnum: quando tandem fame premente, et fratribus Joſephi, AEgyptum, annonae cauſa, tendentibus, notus factus, Patrem cum tota domo, grege et ſuppellectile, ad ſe in AEgyptum invitavit, eique terram Goſen incolendam procuravit. Ubi cum diu habitaſſent Jacobi poſteri, et ingentem in numerum excreviſſent, Regi ſuſpecti facti, et ab eo adflicti, gravia paſſi ſunt, donec mirabili modo a Deo per Moſen liberati, et inde educti ſunt.

§. LXXXII. Tria ſint tractationis noſtrae capita: *Primum* ad hiſtoriam hanc illuſtrandam, *Secundum* ad chronologiam conſtituendam, *Tertium* ad populorum vicinorum, et aerarum illuſtrium, notitiam dandam, pertinet. In *prima* parte ſeſe offert Abrahamus totius gentis Iſraeliticae progenitor. *Egreſſus* ejus ex patria, ſive Ure Chaldaeorum requirit, ut de ſitu ejus loci, et tempore exitus, diſputemus, cum diverſe hic ſentiant. *Locum*, qui *Ur Chaldaeorum* adpellatur, ſunt qui infra Babelem quaerunt, ſicut jam ex antiquis fecit Eupolemus apud Euſeb. Praep. Eu. l. IX. c. 17. qui ſeſe in primis fundant in nomine *Chaldaeorum*, ibi ſedem habentium, et in urbe *Orchoe*, quam ibi

memorat

memoret Ptolemaeus: ſed minus ſolida. *Orchoe* enim, cujus meminit Ptolem, eſt non *Ur*, verum *Erech* Gen. X: 10. in eo tractu Babylonico: *Chaldaeorum* vero manſio hoc tempore non fuit in Babylonia, quippe quam tempore Judicum Iſraelis demum tenuerunt, in eam a Nino tranſlati; fuerunt enim ante Moſen ſcenitae, vitam paſtoritiam, ſimul latrocinalem, agentes, vagabundi et ex rapto viventes, qui praecipuas ſedes in Meſopotamia ac locis vicinis habuerunt, orti ex *Cheſed*, Nachoris filio, *Chaſdim* dicti; in hiſtoria itaque hac per anticipationem memorati. De quibus poſtea ſuo loco fuſius diſſeram.

§. LXXXIII. Longe verior eſt ſententia, quam Bochart. et alii jam tenuerunt, et adſtruxerunt, quae *Ur* in Meſopotamia collocat prope Niſibin ad Tigrin, ubi Ammian. Marcell. l. XXV. memorat *caſtellum Ur.* 1. Hiſtoria S., Abrahamum habitaſſe *trans Euphratem*, diſerte tradit Joſ. XXIV: 2. Meſopotamiam quoque adpellat Lucas Act. VII: 2. et Abraham ipſe *ſuae* terrae nomine inſignivit Gen. XXIV. ubi quoque majores ejus fuerunt, et Nachor, frater ejus, manſit. 2. Confirmat eam, et aliam inprobabiliorem reddit, iter Tharae, patris ejus, cum familia *Charras*, omnium conſenſu in Meſopotamia. Quem locum petere nec neceſſe habebat in Cananaeam tendens, nec niſi magno incommodo ſuo poterat, *ſi* e tractu Babyl. profectus fuiſſet, cum *bis* Euphratem tunc trajicere debuiſſet: ſed, *Ure* ibi, ubi dixi, poſito, recta inde Charras tendebat. Ceterum vox Hebr. אור *vallem* denotat, uti Jeſ. XXIV: 15. ſecundum nonnullos, ſed alios *cavernam*, ſpeluncam. Radix, apud Arab. obvia, proprietatem habet in *aeſtu*, *aeſtuatione* cum aquarum, tum aliarum rerum fluidarum; quae quoque conſpicitur in אור Hebr. quatenus et *ignem* dicit, et *focum*, unde ortus eſt uſus loci calidi, ubi quid fovetur, ſeu *ſtabuli*, in quo recubatur ad fovendum; et hinc quoque *luminis* notio, quod manare et fluere dicitur. Locus itaque hoc nomine cenſeri poteſt honoratus, quod commodam praebuerit habitationem, et aquis abundarit,

vel et humilius ejus eſſet ſolum, inſtar cavernae, aut vallis. Sed quare Chaldaeorum? quia Chaldaei, non quidem hoc tempore, quo exiit Abrahamus, ſed poſtea ibi tanquam in ſtabulo, vel caverna reſederunt, ab opere paſtoritio, vel latrocinali, domum reduces.

§. LXXXIV. Annum aetatis Abrahami, ut de *tempore* egreſſus nunc agam, quo *Charras* reliquit, notavit quidem hiſtoria Gen. XII., 75*tum* ſcilicet, ſed nihil de egreſſu ex Ure. Unde eſt, quod et hic ſecum diſſentiant Docti, dum alii, eodem anno 75*to* ex utroque loco eum exiiſſe cenſent, quae communior eſt ſententia, alii vero ann. 70 ex Ure, et 75 e Charris, adeo ut *quinquennii* moram Charris traxerit Abraham. Quam ſententiam Petavius in primis tenuit et adſtruxit, ego quoque praetulerim. 1. Longiorem moram omnino poſtulat, cum quod ibi *habitaſſe* legatur Gen. XII. et Act. VII., tum *animas* feciſſe Gen. XII. h. e. familias et ſervitium, opeſque collegiſſe. 2. Rationes quoque, quare aliquandiu ibi moratus fuerit, non ſunt longe quaerendae, adeo ut huic ſententiae inde praejudicium creari, ut ſolet, nequeat, quod Abrahamum moras feciſſe probabile non ſit. Praeterquam enim quod pater dux itineris erat Gen. XI. qui tamen Cananaeam petere non debebat, cujus itaque mors exſpectanda erat, Abrahamus ante famulitium et opes ſibi comparare debebat, quam peregrinari inciperet in Cananaea, uti feciſſe legitur; praeterea novam accipere revelationem, ad iter perſequendum: quae ipſi, mortuo Patre, demum contigit Gen. XII. ſicut antea in Ure, cujus mentio fit Act. VII. et inplicite Gen. XV: 7. 3. Denique *quinquennii* mora Charris ex Gen. XV: 13. erui facile et ſolide poteſt. Cum enim *Semen* Abrahae ibi dicatur *peregrinum* futurum in Cananaea et AEgypto, uti poſtea videbimus, per 400 annos, illudque cenſeri debeat a nato Iſaaco, in quo *Semen ejus* vocatur, factum, totum autem, ab egreſſu Abrahami ad Iſraelitarum, ſit 430 annorum, ut poſtea patebit: neceſſe eſt inter exitum Abrahami et natum Iſaacum 30 fluxerint anni: ſed, ſi ab ann. 75 Abrahae epocha ducatur, *quin-*

que

que anni deficient, natus enim est Isaacus anno ejus 100*mo.* Qui facile supplentur, si 5 annos triverit Charris, et 70*mo.* egressus sit Ure Chaldaeorum.

§. LXXXV. Sequitur notitia itinerum Abrahami, in Cananaea perigrinantis, et praecipuorum fatorum: sed misso figmento Nic. Damasceni apud Jos. Ant. l. I. c. 8. de Abrahami adventu Damascum, ejusque regno ibi, antequam in Cananaeam venit, quod historiae S. repugnat, omnique veri simili caret. Quam historiam antequam adgrediar, eam peculiari schedula a cap. XI: 10. usque ad c. XXV: 11. esse comprehensam, pro more observo, sed ita ut ei, quae ad Abrahami mortem pertingit, postea quaedam sint inserta, partim a Mose, partim a recentiore. Mosi potest tribui clausula utriusque versus 37, et 38 cap. XIX., ut et nomen *Bethel* c. XII: 8. et *Hen-mischpat* fons judicii c. XIV: 7. e petra per Mosen percussa Num. XX: 10. sic et ultimum membrum c. XXII: 14. sensus enim est, cum Abraham locum adpellaverit, *Deus providebit*, postea, formula parum inmutata, dictum fuisse, per modum proverbii, *in monte Domini prospicietur*, cum in rebus *desperatis* se vel alios consolari voluerint. Nomen *Moriae* montis hinc etiam extunditur, de quo postea. Recentiorem vero glossam redolet, quod c. XII: 6. XIII: 7. dicitur, *Cananaeum tunc temporis fuisse in ea terra*, quippe post expulsos Cananaeos ab Israelitis additum, ut lector inperitus et minus adtentus de incolis, tempore Abrahami, instrueretur. Praeterea, nomina Hebron c. XIII: 18. et *Dan* XIV: 14. tempore Mosis sunt posteriora: uti constat.

§. LXXXVI. Percurramus nunc praecipua Abrahami itinera et fata, sed lustremus obiter; cum hic morari non sit necesse. 1. Venit primo Sichemum, et juxta Elon-mamre, prope montem Ebal Gen. XII: 6, 7. inde, 2. Bethelem seu tractum *Luz*, ut tunc vocabatur ib. v. 8. tentoriis fixis inter Bethel ab *occasu* (ante בית־אל enim inseri debet, quod observo, בין *inter*, uti fit c. XIII: 3.) et *Ai* ab *ortu*, erecto quoque *altari*, et de nomine Dei adpellato, in signum fidei ac

 pietatis.

pietatis. Quem sensum verba fundunt, *et vocavit de nomine Jehovae*, ut vertenda sunt. 3. Mox versus meridianum tractum regionis progressus, petiit, fame pressus, AEgyptum, ubi uxoris raptae et adulterandae subiit periculum, non sine propria culpa, quod sororem suam, et non *uxorem*, professus sit. 4. Regressus inde repetiit Bethelem, ubi a se demisit Lothum, nepotem suum, ne inter utriusque famulitium discordia oriretur, qui in tractum Sodomiticum secessit, ipse vero inter Bethel et Hai fixit tentoria. 5. Dein venit Hebronem et habitavit in planitie Mamre: quo morae tempore varia acciderunt fata, Lothum enim captivum abductum a regibus extraneis, in tractum illum irrumpentibus, cum eorum ingente clade liberavit, nova revelatione et viso est a Deo mactatus Gen. XV. de quo mox quaedam monebo: ut et de altera revelatione ipsi facta c. XVII., ex Hagare ipsi a Sara in uxorem data, quia sterilis manebat, genuit Ismaelem, excepit hospitio tres specie tenus viros, vere duos angelos cum eorum duce; et excidium Sodomae ac Gomorrae oculis usurpavit. 6. Inde ad meridianam regionem profectus, ut sedes figeret in Berseba, divertit ad Abimelechum Gerari regem; et diu haesit in Berseba; quo tempore natus ipsi est Isaacus, dein a Deo in holocaustum postulatus, ut fides ejus exploraretur, sed non mactatus, mortua est Sara, et sepulta in agro Machpelae, ab Ephrone Hittaeo in possessionem emta, Isaacum vidit Rebeccae copulatum, et gemellos ex ea natos, quando defunctus est annos 175 natus.

§. LXXXVII. Dictis de Abrahamo aliqua subjungam ad ipsum pertinentia, nec a scopo ac instituto nostro aliena. *Primum* est, ipsum fuisse primum, qui *Hebraei* nomen tulit, et ad posteros propagavit, occasione quidem a Cananaeae incolis data, sed ab Abrahamidis arrepta propter *Heberum*, inter progenitores celebrem. Titulus ipsi a Cananaeis, uti ex Gen. XIV: 13. colligi posse videtur, datus est, quod e regione Trans euphratensi venerat, quae עבר et עבר נהר *trans et trans fluvium* adpellari solet, uti ex Num. XXIV: 24. et aliunde

patet.

patet. Cum autem inter progenitores esset, eo nomine notus, *Heber* dictus Gen. X: 21. ipse illud nomen in ejus memoriam retinuit, et ad posteros *Hebraeos* dictos propagavit. Qua ratione discrepantes Doctorum opiniones de nominis istius origine conciliari facile possunt, simul ratio patet, quare Sem adpellatur *pater omnium filiorum Heber* Gen. X: 21. et hoc nomen, ab Hebero ortum, Abrahamo ejusque posteris inprimis adhaesiit. Praeter Abrahamidas ex eo originem quoque habuerunt *Arabes*, Arabiae Felicis incolae, alias *Joktanidae* dicti. Duo enim ejus filii memorantur *Phaleg* progenitor Abrahamidarum, et *Joktan* Arabum.

§. LXXXVIII. Sed majoris est, quod *secundum* sit observatum, notasse, Abrahamum, sicut fide et pietate illustrem prae reliquis, ita favoris Dei ac gratiae singulare plane fuisse objectum; cujus utriusque exstantiora data fuerunt signa, in historia memorata, nostraque animadversione digna. De fide ejus in Deum, ejusque promissum, testatur ipsa historia Gen. XV: 6. ubi *credidisse* et fidisse dicitur *Jehovae; ipsique illud inputatum esse in justitiam;* de pietate c. XVIII: 19. ubi Deus sistitur hoc praebuisse ei testimonium, *quod filiis et domui praecepta sit daturus, ut justitiam sectentur et jus.* Deinceps, cum Filium paratus esset Deo offerre, hoc fuit ab Angelo Jehovae ornatus elogio c. XXII: 12. *nunc novi te timere Jehovam* h. e. exploratus, et probatus, filialis timoris Dei publicum mihi dedisti testimonium extraordinarium. Dedit quoque haud unum fidei et pietatis specimen: sed tria inprimis singularia et extraordinaria, cum abnegationis sui, tum obedientiae Deo praestitae, sine ulla aut tergiversatione aut disquisitione carnali, scilicet in patria et cognatione relinquenda, ac peregrina in terra oberrando, in Filio unigenito, dilecto, et promissorum haerede, Deo consecrando ad mortem, denique in circumcisionis, a Deo injunctae, ritu insolito ac dolorifico admittendo, ac sibi, jam provectioris aetatis, quoque et domesticis adplicando. Quae omnia latius deduci possent, si hujus esset loci. Vid. Rom. IV. et Hebr. XI.

§. LXXXIX. Singularis plane favoris et gratiae Dei signa et effecta, quae historia, intra cujus limites me continebo, suppeditat, sequentia exstantiora et extraordinaria fuerunt, quae paucis recensebo, postquam in genere observavero, ipsum, quod Deus ipsi promisit, per omnem vitam expertum esse, quod Deus sit *clypeus ejus et merces valde magna* Gen. XV. quodque *coram facie Dei ambulaverit* Gen. XVII: 1. h. e. Deo ipsum curante, conservante ac ducente: promissum enim phrasis magis continet, quam officium. 1. Promissa, ipsi a Deo facta, sunt duplicis generis, alia spiritualia et coelestia, alia corporea et terrestria. Ad prioris generis pertinet bonorum spiritualium, in posteros suo tempore conferendorum, et ad gentes totius Orbis transferendorum in Messia, et per eum, ex ipso nasciturum, ingens copia. Quam sensus amplitudinem continet phrasis *benedictionis*, et gentium, seu familiarum terrae in semine ipsius sibi benedicentium, vel benedictione gaudentium Gen. XII. et alibi, quod ex sana Theologia, hic non tractanda, adsumere liceat. Promissum itaque de *Semine mulieris*, caput serpentis contrituro, est ad Semen Abrahae restrictum, ita ut Messias ex ipso sit habiturus originem. Posterioris generis sita sunt in copiosa et gloriosa posteritate, ex ipsius et Sarae uxoris filio oriunda, ac terra Cananaea, ubi perigrinabatur, semini ejus carnali in perpetuam possessionem, expulsis Cananaeis, danda, Gen. XII, XV, XVII, XXII. et alibi saepe.

§. XC. 2. Haec promissa ipsi fuerunt, ad fidem et spem firmandam, ob oculos posita, et obsignata per varia, et singularia, signa externa. Inter quae sunt, a. nominum ipsius et Sarae mutatio, inserta littera ה ex המון multitudinis nota, unde pro Abram ipse adpellatus est אברהם *Abraham*, et uxor pro Sarai dicta שרה *Sara*, Gen. XVII: 5, 15. argumento, utriusque, et spiritualis et carnalis, Seminis, ingentem numerum ex ipso oriturum, b. Coeli stellis abundantis monstratio, eodem tendens c. XV. c. Isaaci oblatio, sicut semen ejus Deo fore Sacrum significavit, ita illud semen, in quo gentes sibi benedicerent

dicerent, Deo vere in Sacrificium esse offerendum, eaque ratione benedictionem inpetraturum, expinxit. Isaacus enim censeri debet in *ariete* oblatus, et mactatus. Quo haud obscure tendit, quod *unus* dicatur aries (pro אחר legendum cum Bocharto אחד, ut facile adparet) et *loco* Isaaci in holocaustum oblatus, Gen. XXII: 23. d. Circumcisio, tamquam signum foederis, primum externi et legalis, dein etiam interni et spiritualis, obsignavit promissum 1. de Semine ejus carnali multiplicando, ac a commercio cum gentibus in peculiarem et Deo sacram societatem separando et coadunando, bonisque terrestribus in eum populum conferendis: circumcisio enim membro genitali erat adnexa, Abrahami semini propria, et cum legis observantia conjuncta, quae etiam ad bona foederis Sinaitici jus dabat, et expresse *signum foederis* Dei, quo Canaanaeam Abrahamo et semini ejus promisit, adpellatur, Gen. XVII: 10. modo post ואת addatur אות *signum* uti v. 11. 2. de spirituali quoque semine, ejusque sanctificatione et bonorum gratiae communicatione: uti in Theologia docetur.

§. XCI. Denique, e. ad promissum de terra Cananaea, posteris Abrahami suo tempore danda in possessionem, firmandum notabile illud visum Abrahami Gen. XV. spectavit: cujus cum Diss. sel. *quinta* ad Gen. fusiorem dederim intellectum, hic paucis absolvam. Continet pericopa Gen. XV. 9—18. revelationem Dei Abrahamo in visione factam, partim symbolicam, partim realem: in priore parte Abraham jussu Dei vitulam, capram, arietem, singula animantia trima, accepit, ut sibi visus est, cum turture, et pullo, seu pullo turturis, et Deo stitit, Deus quadrupedes in partes secuit, easque sibi invicem opposuit, avicula relicta viva et intacta: quando Abraham, postquam aves rapaces, in partes eas involantes, abegisset, in profundum ac terrificum, sole occidente, incidit soporem, et furnum cum face ardente inter partes vidit transire medium. Audivit praeterea Deum, *tum* triste Seminis in terra peregrina fatum, quo serviret et adfligeretur, ad quadringentorum annorum terminum usque, enarrantem, *tum* laetam

tam quartae aetatis, cum multa poſſeſſione, inter varia judicii divini in gentem perſecutricem ſigna, liberationem, ac in Cananaeam introductionem, promittentem. Contigiſſe haec omnia Abrahamo in viſione ecſtatica, remotiorem *occaſionem* duos dediſſe caſus, alterum, quo populos vicinos, qui Cananaeam invaſerant et ſpoliaverant, devicit, alterum, quo Melchizedecus ipſi panem obtulit et vinum, et nomine Dei benedixit, ipſe rurſus Melchizedeco decimas dedit, de quo poſtea, qui caſus futurae poſſeſſionis Cananaeae ad Damaſcum uſque Abrahamidis, poſt hoſtes ſuperatos, ceſſurae, adeoque promiſſum de poſſeſſione Cananaeae, luculenter confirmarunt, proximam vero anſam ſuppeditaſſe verba Dei, *ego clypeus tuus et merces tua valde maxima*, a difficultate, ab Abrahamo injecta, liberata et explicite tradita, quorum confirmationem petiit Abraham, denique *Scopum* revelationis eſſe promiſſum de Cananaea ipſi obſignare, ſimul ipſum, poſteroſque, de triſti fato, quod ante inplementum ipſis eveniret, admonere, et de liberatione certiores reddere; haec, inquam, omnia in Diſſ. cit. pluribus demonſtravi.

§. XCII. De *verbali* revelatione, quae habet, vero ſuo ſenſu, ſemen Abrahae per 400 annos fore peregrinum *in hac*, ſeu Cananaea et aliena terra AEgyptiaca, et in poſteriore adfligendum, tunc multa poſſeſſione ditatum inde liberandum, ita ut *quarta* generatio in Cananaeam ſit reditura, cum poſtea diſputandum ſit, *emblematicae* generalem dabo intellectum, fuſius in Diſſ. cit. deductum, et demonſtratum. Emblema ad foedus, quod Deus cum Abrahamo pepigit v. 18, ſanciendum et confirmandum tendere, convenienter petitioni Abrahae v. 8. vulgatum ſatis eſt, et ex ſcopo ac nexu facile conſtat, ſed qua ratione id faciat, et num nihil aliud intendat, minus in facili eſt. Recurri quidem ſolet ad antiquam conſuetudinem juramenta et foedera per ſacrificia vel ſecta animantia firmandi, in ſignum ſimilis mortis perjuro et foedifrago infligendae; ſed ſacrificii hic nullum eſt indicium, et de ritus ejusmodi antiquitate nihil conſtat, offerunt praeterea ſeſe hic nonnulla

nonnulla ſingularia, quae, quominus pro nudo ritu firmandi foederis habeatur, inpediunt, uti, quod tres animantium ſpecies cum vivo turture adfuerint, ſolus Deus et ſecuerit animantia, et per partes tranſierit, denique foedus nil niſi *promiſſum* fuerit Dei, factum Abrahamo. Ex quibus, alia ne memorem, ſcopum ſectionis animantum ac tranſitus longe alium fuiſſe ac in foederibus ſolet, colligi poſſe videtur.

§. XCIII. Emblema fornacis fumantis, et facis ardentis per medias animantium partes ſectas tranſeuntis, eo collineaſſe videtur, ut Abrahamo glorioſa Dei praeſentia in medio poſterorum ejus, jam adultorum et multiplicatorum, in hac ipſa quoque terra Cananaea ob oculos poneretur et obſignaretur. Quod et ſcopo et emblemati recte convenit. Sicut enim *fornax*, et *fax* ignis, aptum nec inſolitum eſt gloriae et Majeſtatis Dei, ſeſe per externa ſigna demonſtrantis, ſymbolum, ita animantia generis bovini, ovini et columbini, ſemen Abrahae, virtutibus manſuetudinis et puritatis commendabile, Deo devotum et peculiarem ejus poſſeſſionem, ſimul inbelle et Dei tutelae commiſſum, jam tunc valde numeroſum et firmae aetatis, in 12 vel 13 diviſum tribus, adumbrare potuit. *Inceſſus* vero Dei ſub hoc ſymbolo in mediis hiſce partibus, ex adverſo poſitis, apte repraeſentat Dei, arcte cum Iſraele juncti, ſingularem praeſentiam, inſtar inſpectoris et regis in medio ejus; nec non Iſraelitarum, a ſe invicem ſeparatorum, *unionem*, ab hac ad Deum relatione repetendam. Quo pertinet, quod Deus ſeſe per *columnam nubis et ignis*, haud abſimili modo, primum in deſerto, dein in Tabernaculo et Templo ſupra Arcam populo ſtiterit praeſentem, eaque ratione declaraverit, ſeſe poſteris Abrahami inſtar lucis rutilantis in mediis tenebris, nec non ignis inſtar, ſed *nube*, vel fumo, involuti, futurum, adeo ut ſeſe in virtutibus ſuis et operibus ſit ipſis revelaturus, ſimul bonitatis, juſtitiae, ſanctitatis ſigna daturus. Poſſem ulterius emblema perſequi, fata quoque nonnulla, et circumſtantias inhabitationis, duplicem etiam ſtatum poſterorum ejus, qui liberationem e terra peregrina praecede-

O ret,

ret, alterum laetum et proſperum, alterum triſtem et adflictum, hinc eruere. *Prior* duravit quam diu Abraham vigilavit, ſomno nondum ſopitus, et per avium rapacium, partibus ſectis imminentium, facilem abactionem ab Abrahamo ſolo flatu factam, delineatus eſt, ſeſeque uſque ad adflictionem in AEgypto extendit. *Poſterior* eſt triſtiſſima Iſraelitarum in AEgypto periodus, per gravem Abrahae ſoporem, et horridam caliginem ante Solis occaſum inmiſſam, praecipue depicta. Sed ſatius fuerit ad cit. Diſſ. provocaſſe, et in generalibus hiſce acquieſcere.

§. XCIV. 3. Praeter promiſſa, eorumque obſignationem, inter ſigna favoris Dei, ut in illis enarrandis pergam, locum omnino meretur familiare Abrahami cum Deo commercium, inſtar fere *amici* cum amico, quo titulo inſignitus eſt in ſcript. S. Jac. II: 23. variis modis demonſtratum. Teſtatur utique de eo, praeter multiplicem revelationem et manifeſtationem Dei ipſi factam, etiam more humano, ut Gen. XVIII. ubi Angelus Jehovae, duobus ſtipatus Angelis, humana adſumta forma ei adparuit, ut ex ipſa narratione liquet et notum eſt, familiare colloquium ejus cum Deo Gen. XV: 2. etc. interceſſio liberior et audacior pro Sodomaeis, Gen. XVIII. ubi Angelus Jehovae, ſeu ipſe Filius Dei, declarat quoque v. 17. *ſe nihil* eorum, quae facturus eſt, *celaturum* Abrahamo. Praeterea adpellatus eſt a Deo *Propheta*, et ad ejus preces ſeſe Abimelecho, qui Saram rapuerat, condonaturum eſſe, declaravit c. XX: 7. 4. Referri quoque huc debet, quod Deum per omne peregrinationis tempus expertus fuerit tutorem, et conſervatorem, ſicut ipſi promiſerat c. XV: 2. *ego ſum clypeus tuus*, et c. XVII: 1. *ambula coram facie mea.* Cujus protectionis exſtantiora proſtant indicia *tum* in victoria de invaſoribus et raptoribus Cananaeae reportata Gen. XIV. de quo caſu poſtea agam, *tum* in liberatione Sarae bis raptae, a rege AEgypti ſcilicet Gen. XIII. et rege Geraris Abimelecho cap. XX. Quae de ſingulari favore Dei erga Abrahamum eo quoque nomine teſtata eſt, quod Deus ſeſe ipſi *infideli* praeſtiterit

rit *fidelem*, ut Pauli phrasi 2 Tim, II: 13. huc recte quadrante, utar. Abrahamus enim, Saram duplici illo in casu non *uxorem*, sed *sororem* suam declarans, non quidem mentitus est, erat enim quoque *soror* ex Patre et non matre c. XX: 12. qualia conjugia tunc nondum erant vetita, nec ulla ratio est a proprio vocum sensu discedendi, attamen, sicut regibus eo ipso ansam praebuit suspicandi, eam non esse uxorem ejus, adeoque abripi posse, ita de fiducia in Deum, tutorem suum, posita, haud parum remisisse, censendus est, seseque et uxorem in praesentissimum conjecit discrimen. Quo non obstante a Deo est periculo liberatus, et Sara a vitiatione; simul cum honore a regibus dimissus, et liberali donatione; ita tamen, ut Sara fuerit ab Abimelecho monita, ut in posterum sese omnibus manifestaret uxorem Abrahae, velamine faciei inposito, tanquam nuptae et non virginis signo. Quo verba c. XX: 17. tendere videntur, et referri possunt, modo vertantur: *hoc* (donum Abrahae a me datum) *sit tibi tegumentum oculorum, omnibus qui tecum sunt signum, et demonstraberis* nupta, non virgo. Pro ואת legerim אות *signum*, duabus prioribus litteris transpositis, et כל vel ex praecedente irrepsit, vel potius, cum אות constructum, denotat *consummatum*, adeoque certum et indubium signum. Quod obiter suffecerit observasse.

§. XCV. Splendidum denique 5. favoris Dei indicium in eo fuit conspicuum, quod Abrahamus non tantum bonis, opibus, et honore in ipsa terra peregrinationis fuerit cumulatus, ita ut a Sodomaeis et vicinis populis, post victoriam de hostibus reportatam, celebratus sit, ab ipso Melchizedeco, sacerdote Dei altissimi, benedictus Gen. XV, a Pharaone, et deinceps Abimelecho honorifice tractatus Gen. XIII et XX et XXI., nec tantum numerosa ditatus posteritate ex Hagare et Kethura Gen. XVI et XXI, sed in primis e Sara, mirabili modo, Isaacum, bonorum patriarchalium haeredem, procreaverit, Gen. XXI. cum ipse fere centenarius esset senex, et Sara sterilis non solum, sed jam per aetatem ad concipiendum ac pariendum plane inepta. Genuerat quidem ex Hagare, oeconoma

domestica Sarae, Ismaelem filium, qui, qua primogenitus, et ex Hagare, a Sara ipsa in suum locum, instar uxoris, ipsi copulata, natus, jure primogeniturae videbatur gaudere; sed res aliter cecidit, et in Isaacum illud fuit translatum, Sara praebente occasionem, et Deo adprobante ac confirmante. Cum enim Sara Ismaelem vidisset *ludentem*, et genio indulgentem, die geniali Isaaci ablactati, forte et *illudentem* Isaaco, seseque tanquam primogenitum jactantem, ut habent LXX Interpr., qui forte legerunt מצחק את יצחק Gen. XXI: 9. Sara indignata, eum cum matre expulsum vellet domo, Abraham contraniteretur, Deus litem definivit, declarando, *in Isaaco vocandum esse semen Abrahae*, v. 12. quod idem est; ac ipsum fore haeredem bonorum patriarchalium, et in omnia jura ac privilegia Abrahae successurum. Dimissus itaque e domo est Ismael, sicut et postea reliquis filiis Abrahae ex Ketura contigit, Gen. XXV. ubi obiter observo, ne quis ad id obhaerescat, Abrahamum sibi Kethuram copulasse, variosque ex ea procreasse filios, variorum populorum progenitores, non post obitum Sarae, et Isaaci conjugium cum Rebecca, sed diu antea: erat enim jam tempore nati Isaaci centenarius, et ad procreandum inhabilis; ut ex script. S. constat. Narratur quidem historia post mortem Sarae et Isaaci conjugium, sed non suo, verum alieno loco, quod a Ligtfot. quoque est observatum, hic autem locum reperit, quod Kethurae et pellicum filios, donis cumulatos, e domo emiserit, post Isaaci conjugium, et ante mortem suam, quae hoc cap. narratur.

§. XCVI. Abrahamo, annos nato 175. mortuo c. XXVI. successit in linea patriarchali, et ejus privilegiis, Isaacus, filius ejus e Sara, praeterito Ismaele, sicut Deus, ut modo vidimus, declaraverat, adeoque haeres omnium promissorum Abrahae factorum; quae Deus quoque expresse ad eum transtulit, cap. XXVI: 3, 4. sed fidei simul et pietatis Abrahami imitator, qui aeque ac Abraham Deo credidit, et filialem timorem eximie praestitit; adeo ut Deus titulo *tremendae* Majestatis *Isaaci* fuerit a Jacobo insignitus, Gen. XXXI: 43 et 53.

Expertus

Expertus etiam eſt ſingularem Dei favorem cum in eo, quod ad ejus preces Rebecca, uxor ejus, facta fuerit gravida, et gemellos pepererit Eſavum et Jacobum Gen. XXV: 21. tum ex praeſentiſſimo periculo, cui uxorem inter incolas urbis Gerar expoſuerat cum inprudentia et diffidentia, fuerit liberatus, ſimul benedictione cumulatus, et ab Abimelecho honorifice tractatus, Gen. XXVI. Inpegit itaque Iſaacus ad eundem lapidem, ad quem bis Abraham offenderat, ut ſupra narratum eſt, nec eandem habuit rationem, quare uxorem adpellaverit *ſororem* ſuam, quam Abraham Gen. XXVI: 7. cum fuerit filia Bethuelis Syri, ſoror Labani: uti conſtat. Quam qua ratione acceperit, ex c. XXIV. notum eſt, nec aliquid habet, quod moras injicit.

§. XCVII. Notabilis vero inprimis eſt hiſtoria filiorum Iſaaci, quae ex nova ſchedula patriarchali prolixe traditur, uſque ad mortem Iſaaci, c. XXV: 19. ad c. XXXV. incluſum. Sed cui ſchedulae nonnulla inſerta ſunt a poſteriore manu: ex. gr. c. XXXII: 33. nec non XXXIV: 7. cujus verba, *quod ſcelus patraſſet in Iſraele, concumbendo cum filia Jacobi, quod fieri nefas eſſet*, redolent tempus, quo Iſrael in populum ſanctum jam erat formatus Deut. XXII: 21. Cujus etiam naturae eſt, quod de ſtatua ſepulchri Rachelis, *ſuperſtite ad hunc uſque diem*, habetur c. XXXV: 20. Continet vero ſchedula maximam partem fata Jacobi, omni animadverſione digna, paulo accuratius enarranda: (de Eſavo enim poſtea, ubi de Edomitis, agam) quae cum ex nativitate gemellorum, ac primogenitura ab Eſavo vendita Jacobo, originem traxerunt; utriuſque narratio praemittitur, c. XXV: 21—34. Ad quam pericopam nihil admodum habeo, quod hic obſervem, niſi, oraculum de *majore* natu *minori ſervituro* ſoli Rebeccae fuiſſe notificatum, uti ex c. XXVII. manifeſtum eſt, et primo ac directo ſenſu ad populos pertinere, ex duobus filiis, Eſavo et Jacobo, orituros: quod ex verbis ipſis clare eluceſcit. Nec tamen intercedo, quominus indirecte ad ipſos filios referatur, quatenus praeludium et ſignum pro-

 gnoſticum

gnosticum in illis foret. De quo hic non est disputandi locus. Fuerunt autem futurae Esavitarum subjectionis duo signa, unum in primogeniturae jure Jacobo ab Esavo vendito, alterum in benedictione paterna a Jacobo furtim rapta. Cujus signum] jam in modo nativitatis, quo Jacob calcaneum fratris, uterum perrumpentis, manu prehendit, unde nomen Jacobi, *supplantatoris*, accepit. c. XXV: 26. et quo respexit Esavus c. XXVII: 37. conspicuum fuit.

§. XCVIII. Sunt vero duo casus, qui vitam Jacobi maxime illustrant, et nonnulla, ad scopum nostrum pertinentia, habent, adcuratius tractandi; unus moram ejus in Mesopotamia, alter descensum in AEgyptum cum tota domo continet. In historia itineris ejus in Mesopotamiam, morae ac fatorum in ea, 1. sese offert *occasio*, quam praebuit ira Esavi in ipsum, ob praereptam primogenituram, ac benedictionem paternam ei adnexam, accensa, indeque ortum propositum eum e medio tollendi, eo magis, quod arte et fraude eam sibi vindicasse visus fuerit Jacobus: uti narratur Gen. XXVII. Facinus Jacobi, respectu *modi*, quo Patrem fefellit, quidem malum, sed *juris*, ipsi competentis, justum erat, *cum* quod divinitus ipsi fuerit datum, et Rebeccae seorsim revelatum Gen. XXV: 22. *tum* quod jus primogeniturae a fratre Esavo legitime emerat ib. v. 31. adeoque jus acquisitum habebat, quare mendacii non potest argui, quod v. 32. dixerit se esse *primogenitum;* uti Theodoret. dudum observavit, *tum* denique ab Isaaco fuerit postliminio agnitum et confirmatum. Fraudis autem usus inde ortus est, quod Isaacus *juris* istius nescius, (oraculum enim divinum soli Rebeccae contigerat, et venditio primogeniturae secreto facta erat,) et amori in Esavum litans, sponte sua benedictionem, cum primogenitura connexam, dare Jacobo recusasset. Postea tamen rectius instructus, benedictionem Jacobo, tanquam primogenito factam, ratam habuit, in quo acquiescere quoque debuisset Esavus: maxime cum non sine omni benedictione discesserit. Quo sensu Hebr. XI: 20. Isaacus dicitur *de futuris benedixisse Jacobo et Esavo.*

Quod

Quod effatum cum c. XII: 17. conciliandum est, vel vocem *benedictionis* c. XI. late sumendo, et c. XI. ad primogenituram restringendo, vel pro καὶ *et* c. XI. legendo κατὰ pro *super*, uti c. III: 3. XII. 24.

§. XCIX. 2. Visum nocturnum, in itinere versus Mesopotamiam ipsi oblatum Gen. XXVIII., nostra dignum adtentione, quo scalam, quae coelum et terram conjungebat, in cujus summitate Jehova, seu Angelus Jehovae, Filius Dei, legati officio sub V. T. functus, stabat, et per quam adscendebant ac descendebant Angeli, vidit, et benedictionem, Abrahae factam, ad se audivit translatam, sicut ipsum de praesentia ac cura Dei in hoc itinere adfutura certiorem reddidit, ita, quae promissi ipsi facti summa erat, Regnum Dei in posteritate ejus erigendum, cui Angeli inservirent, primo terrestre et externum, sicut in monte Sinai ab Angelo Jehovae per Angelos promulgatum, et dein in Cananaea, ab Israele jam occupata, conditum est, deinde spirituale ac coeleste in Messia jam manifestato; semine etiam Jacobi, in quo Gentes sibi benedicerent, praefigurasse censeri potest.

§. C. 3. Adventus Jacobi ad Labanem, ejusque mora in ejus domo, conjugium cum duabus ejus filiabus, Lea et Rachele, servitio gregi pascendo inpenso 14 annorum, acquisitis, liberi inde procreati, denique copiosi gregis acquisitio instar mercedis pro 7 adhuc annorum ministerio; haec, inquam, fata Jacobi digna sunt, quae nos paulum morentur, et nonnullis observatis, sed instituto nostro convenienter, illustrentur. α. In Mesopotamiam adpulit Jacobus annos 77 natus, quot itaque in domo paterna explevit. Nititur illa epocha duabus hypothesibus postea demonstrandis, *una*, Josephum esse anno aetatis Jacobi 91*mo* natum, *altera*, natum esse anno servitutis et morae Jacobi 14*to*. Anni autem 14, si summae 91 demantur, annus erit 77*mus*, quo eo venit Jacobus. β. Moratus ibi est ann. 20. Gen. XXXI: 38. qui anni in *tria* recte dividuntur *intervalla*, secundum tempora ministerii ejus. *Primum* est, quo *septem* annos serviit propter Rachelem filiam Laba-

nis, minorem quidem natu, sed ipsi dilectam: quo spatio expleto, a Labane deceptus Leam, loco Rachelis, sibi vidit copulatam. Contigisse illud post 7 illos annos ex Gen. XXIX: 21. manifestum est. Dixit enim Jacobus Labani Gen. XXIX: 21. *da mihi uxorem meam, quia dies mei inpleti sunt*, utique annorum septem servitii, et non, quod nonnullis placet, qui mox in principio servitutis id factum esse putant, *maturitatis* ac aetatis Jacobi: quippe de qua nulla hic est cogitandi ratio, sed et repugnat verbis Jacobi, quibus cum Labane expostulavit, ib. 25. *nonne propter Rachelem tibi servivi?* servierat itaque jam, et statutum inpleverat tempus.

§. CI. *Secundum* est, quo, *septimana* nuptiali finita, Rachelem quoque duxit, sub hac conditione, ut et propter eam novos *septem* annos servum Labanis ageret. Copulavit itaque eam sibi mox in principio novi istius septennii, et non, quod alii statuunt, in ejus fine. 1. Nititur ea opinio levi admodum, seu falso hoc fundamento tantum, quod verba Labanis ad Jacobum, *inple septimanam et dabo tibi Rachelem*, *de septem* annis capiant, cum de solennitate nuptiali, septem dies olim durante, Jud. XIV., manifeste agant; additur enim diserte, Rachelem ipsi, expleta septimana, esse tradendam *propter servitium aliorum* 7 *annorum:* inter *septimanam* itaque et 7 annorum ministerium distinguitur, et ab eo exigitur, ut *septimanam* expleat, quando mox haberet Rachelem, dein 7 annos postea adhuc propter eam serviret. 2. Cum ex vers. 31*mo*, et historia sequente filiorum natorum, clare constet, Jacobum *duas* jam habuisse uxores, antequam Lea *parere* coepit, et haec censeri deberet, quod falsum est, *sterilis* fuisse per 7 annos, si Rachelem demum, iis finitis, accepisset. 3. Denique, ne alia adferam, Rachel pro *sterili* haberi non posset, quod tamen fuisse constat, si finito demum septennio nupsisset Jacobo, cum Josephum anno servitutis 14*to* pepererit, et postea 6 tantum ann. servierit: uti ex cap. XXX et XXXI. constat.

§. CII. Durante hoc septennio servitutis pro Rachele, varios

rios procreavit liberos ex Lea, ejusque ac Rachelis ancillis; nominibus una cum eorum ratione ac significatione expressis, de quo fusius disserui ad Gen. XLIX., hic propterea, brevitatis ergo, nihil dicam, ex Lea ordine *Rubenem*, *Simeonem*, *Levi et Judam*, ex Bilha, ancilla Rachelis, ipsi ab ea data, ut, cum esset sterilis, ex ea aedificaretur, *Dan et Naphtali*, ex Zilpa, ancilla Leae, exemplum Rachelis secutae, *Gad et Ascher*; denique ex Lea rursus, quae concubitum Jacobi pro *dudaim*, (*ficu Indica*, Arab. Mauz. dicta, secundum Ludolfum ad Hist. Aethyop.) a Rachele emerat, *Issascharem et Zebulonem*, unamque filiam *Dinam:* quando tandem Rachel, a Deo benedicta, ipsi anno 14*to* servitutis peperit *Josephum*.

§. CIII. *Tertium* intervallum est, quo *sex* adhuc annos in opere pastorali in gratiam Labanis trivit, mercede certarum gregis partium pacta; eaque ratione ingentem sibi comparavit, singulari arte usus, gregem: Gen. XXX: 26. ad fin. Convenit inter Labanem et Jacobum, ut ejus rei, satis notabilis, brevem dem conspectum, ut 1. de grege Labanis omnes pecudes, ovilli sive caprini generis, semoverentur, quae vel respersae erant punctis nigris sive maculis, vel totae nigrae erant, 2. quicquid postea ovilli aut caprini generis nasceretur, sive notatum et maculatum, sive nigrum, id omne foret quoque Jacobi. Hunc enim sensum fundunt vers. 32, 33. modo voces ultimae, vers. 32. *et erit merces mea*, conjungantur cum vers. 33., et ita vertantur: *eritque merces mea*, *et respondebit mihi justitia mea a die crastino* (id enim hic denotat phrasis *in die crastino*) *quum veneris super mercedem meam* etc. scilicet ad eam mihi adsignandam, et visitandam. Hoc pacto inito, variegatis ac nigris quoque mox a grege separatis, ac Labani filiis in custodiam traditis, cum nullum variegatum pecus in grege reliquo, Jacobo commisso, nasci posse videretur, Jacobus, *somnio* admonitus, ut dicitur c. XXXI: 11. arte singulari usus, *virgas* sumsit *virides*, *ex populo alba*, *amygdala ac platano*, in iis interstitia alba, nudato virgarum alburno, decorticavit, easque ita decorticatas posuit in *canalibus et aquariis*,

 ante

ante oculos pecudum, ut, cum incalescerent, et hirci ac arietes inirent femellas, intuerentur eas virgas, eaque ratione similes foetus conciperent, ac parerent. Ne autem nimium defraudaret Labanem, *vegetiores* elegit, coram quibus virgas posuit, relictis *inbecillioribus* etc. Hac ratione, Deo benedicente, legibus naturae convenienter, cum visus et imaginatio gravidarum vim in foetus habere censeantur, ingentem sibi acquisivit gregem: sed simul vim nominis sui *Jacobi* rursus praestitit, Labanem arte defraudando, sed ab ipso licite adhibita, cum quod Deus monstraverit ipsi eam in somno, tum quod in pacto cum Labane nulla ars fuit vetita: accedit, eum debitam mercedem, a Labane retentam, ea ratione sibi procurasse.

§. CIV. Ad alterum celebriorem ejus casum, seu domus translationem in AEgyptum, antequam veniamus, itinera intermedia verbo recensenda sunt, donec venerit Hebronem, sedem peregrinationis Patriarcharum, simul spatium annorum notandum, quod ibi insumsit ante iter AEgyptiacum. Prius intervallum, itinera ejus complexum usque Hebronem, ab egressu e Mesopotamia usque ad venditum Josephum, 11 annorum esse, facile eruitur ex aetate Josephi. Is enim natus fuit anno servitutis Jacobi 14*to*, 6 annos ante egressum, venditus autem est 17 ann. natus Gen. XXXVII: 2. quibus si annos 6 illos demas, 11 restabunt pro hoc intervallo. Itinera, una cum fatis ejus, haec fuerunt. 1. Primus locus, ubi aliquandiu substitit, adpellatur *Succoth*, a tentoriis, quae ibi fixit, forte sic dictus Gen. XXXIII: 17. Moratus ibi forte fuit 8 annos; quod ad casum Dinae vitiatae rectius intelligendum adsumere licet, de quo mox. Inciderunt in hoc intervallum varii casus, in primis reconciliationis cum Labane, ipsum persequente, et cum Esavo ipsi obviam eunte: qui nobis moram non injiciunt. Ad priorem casum obiter tantum observo, *tumulum* non tantum, a Jacobo adpellatum גלעד *Galaad*, et a Labane nomine alio Chald. ejusdem significatus, tanquam *tumulum testis*, sed et *statuam* fuisse erectam, ut est

cap.

cap. XXXI: 51 et 52., dictam המצפה *speculam*, in signum Dei *speculatoris*, utrumque ad foedus mutuum firmandum: adeoque v. 49. legendum esse, והמצבה המצפה *et statua haec sit specula etc.* Ad posteriorem casum verbo a. notari meretur *lucta* ejus cum Angelo, paulo ante occursum Esavi, eo primo sensu tendens, ut de Esavo sibi devinciendo, omnibusque aliis periculis, favore Dei, superandis, simul de benedictione divina, ipsum ubique comitanda, persuaderetur, adeoque in fide et spe confirmaretur, cum b. Jacob Esavo dicit, c. XXXIII: 9. *vidi faciem tuam sicut faciem Dei*, nihil aliud velle, quam faciem maxime gratiosam et serenam per exaggerationem.

§. CV. 2. Inde progressus venit *Schelemum* urbem Sichemi, tristeque subiit fatum in domo sua, valde maculata, partim per Dinam vitiatam a Chamore, filio Sichemi, principis urbis viri, partim per fraudulentam et horribilem totius urbis caedem et direptionem, duorum filiorum, Simeonis et Levi, ope factam, quae summam Jacobo peperit indignationem, quam a morte proximus severe expromsit Gen. XLIX. ubi vid. comment. noster. Ceterum Dinam jam ejus fuisse aetatis, ut vitiari et nubere potuerit, facile colligitur ex modo dictis de mora Jacobi in Succoth, cum 15 jam annos habere potuerit. 3. Inde venit Bethelem, ubi amisit morte Deboram, nutricem Rebeccae, quae, quando et quare ad eum venit, incertum est, forte cum in Succot versaretur, sed et Deo vota, ante in itinere versus Mesopotamiam nuncupata, solvit, novaque Angeli Jehovae adparitione honoratus est, qui et nomen *Israelis*, quasi dicas heroa et principem luctatorem cum Deo et victoriosum c. XXXII: 29. et Hos. XII: 4, 5. ipsi ante in lucta cum eo promissum, solenniter dedit, ac promissum Abrahae ei confirmavit. Gen. XXXV. Ceterum cum Sichemo discedens domesticis jusserit *deos peregrinos* e medio sui removere cap. XXXV: 2. ne quis inde colligat in familia Jacobi toleratam fuisse idololatriam, observo, Deos fuisse eorum quos Sichemo abduxerant, quique nunc inter domesticos Ja-

cobi erant. Denique 4. Inde Ephratam petiit, sed in itinere Rachelem, in partu Benjaminis mortuam, amisit; concubinam quoque suam Bilham, ab ipso filio suo Rubene vitiari intellexit cum indignatione, quam tempore mortis quoque declaravit Gen. XLIX. ubi id. comm. noster vid. 5. Tandem adpulit Hebronem, ubi 22 ann. moratus est, antequam in AEgyptum cum domo sua descendit. Venit enim Hebronem ann. 108 natus, uti ex superioribus patet, ann. enim 77*mo* aetatis venit in Mesopotamiam, 20 ann. ibi moratus est, 11 consumsit in itinere Hebronem: cum autem in AEgyptum venit ann. 130 habebat, Gen. XLVII: 9. quibus si 108 demas, habes 22 pro habitatione Hebrone.

§. CVI. Dum Hebrone commoratus est Jacobus, *duos* expertus est casus tristes, *unum* in Juda, *alterum* in Josepho, sed qui posterior longe felicissimum habuit eventum. *Juda* narratur Gen. XXXVIII. secessisse e domo paterna ad virum Cananaeum, duxisse uxorem quoque Cananaeam, ac tres procreasse filios, quorum *duo*, statim ac Tamarem accepissent uxorem, unus post alterum ex lege leviratus, quae jam tunc in usu fuit, brevi sunt e vivis sublati; tertius cum succedere deberet, nec tamen ei nuptum fuerit data Tamar, meretricio sumto habitu, Judam in concubitum pellexit, et ex eo peperit duos filios Perezum et Zerachum. Quae num ex parte, an omnia post Josephum venditum, secundum seriem narrationis contigerint, disputatur. Nobis videtur verius, Judam jam aliquandiu ante coepisse seorsim habitare, ducta etiam uxore Cananaea, facta enim hic narrata majus requirunt temporis spatium, ut facile videre est, sed commercio cum domo paterna et fratribus sese non penitus subduxisse, nisi post venditum Josephum; adsuit enim iis, cum gregem Patris pascebant, et Josephum vendiderunt. Ceterum meruit haec historia posteritati commendari, et ideo, ut Messiam, ex Juda oriundum, ex eo originem traxisse constaret, Tamar, nurus ejus, ex ipso peperit filium *Peres*, ex cujus stirpe natus est Messias, teste genealogia Christ. Matth. I. singulare quoque

in

in ipso fuit, expresse in historia notatum, quod non sicut Jacob calcaneum Esavi tenuit, in signum primogeniturae fratri arte eripiendae, unde nomen *Jacobi* accepit, sed fratrem, jam *manum* extra uterum protendentem, inpetuose et alacriter repulerit, et ita ipsum anteverterit, et primogenituram rapuerit, unde nomen *Peres* accepit; quam vivacitatem exsuperantem phrasis Gen. XXXVIII: 29. minus intellecta, עליך פרץ exprimit, quippe vertenda: *exaestuationes tuae*, vel vivacitas vegeta et exsuperans tua, est *perruptio;* quam significationem עלי plur. constr. a עלים et alibi praefert, a primaria *exaestuandi* potestate rad. עלה.

§. CVII. Notabilior longe est historia Josephi, fusius quoque propterea narrata ex speciali schedula cap. XXXVII: 2. Natus fuit in Mesopotamia anno Jacobi 91*mo*, quod, supra adsumtum, hic demonstrabo. Quando Jacobus, ann. 130 natus, venit in AEgyptum, Joseph habebat ann. 39, quibus subductis remanent pro Jacobo anni 91. Eam autem aetatem tunc jam adtigisse Josephum, ex eo facile probatur, quod 30 ann. natus coeperit exaltari Gen. XLI: 6. secuti mox sint 7 anni abundantiae, et Jacobus anno 2*do* famis AEgyptum petierit. Fuit autem in AEgypto Josephus 22 annos ante Jacobum; quippe natus annos 17, cum pater haberet 108: ut vidimus. Duplex est vitae et fatorum ejus periodus, valde diversa, altera adflictissima, altera prosperrima. *Prior* ex fratrum odio, quia Patris amore ac favore prae reliquis gaudebat, tanquam *filius senectutum* h. e. senectutis Jacobi praecipuum columen, et praesidium; somniisque suis superioritatem suam, quin principatum in eos, significaverat, indeque orta conspiratione in eum ad necem, originem habuit. Commodam autem nacti occasionem, a nece quidem abstinuerunt, in lacum, aqua carentem, conjecerunt, mox inde extractum mercatoribus Midianiticis vendiderunt, et Patrem summa adfecerunt tristitia, ipsi falso laniatum Filium a feris nunciantes. Josephus Potiphari, principi satellitum Pharaonis in AEgypto, venditus a mercatoribus, valdeque honoratus ab eo, dein ad stuprum,

ab uxore ejus frustra sollicitatus, et falso ab ea accusatus in carcerem est detrusus: (octo exempla, ut id ad casum illustrandum in transitu observem, mulierum libidinosarum, quae calumniatae sunt eos, qui ad libidini satisfaciendum flecti noluerunt, produxit Muretus var. lect. l. I. c. 12.) ubi, pincernae et pistoris Pharaonis somnia dextre interpretando, fundamentum suae liberationis et exaltationis jecit, quam, occasione somniorum Pharaonis de summa primum fertilitate, dein sterilitate et fame, utraque septem annorum, feliciter ab ipso explicitorum, consecutus est; annos tunc natus 30. In qua tota narratione nihil est, quod nova luce indiget.

§. CVIII. Quantopere autem fuerit exaltatus, quam praeclare sese, et copiae et inopiae tempore, gesserit, quidve egerit, cum ex historiae lectione nemini non notum sit, uno alterove defungar observato. 1. Vestitu byssino amictus, ac torque collari aureo cinctus, annulo regis instructus, et curru regio vectus, publica populi adclamatione *benedictissimus est*, vel *sit*, fuit honoratus, Gen. XLI: 42, 43. Vox אברך est beneprecandi solennis formula, quae *benedictissimum* denotat; estque א signum comparativi, vel superlativi. 2. Dignitas ejus suprema et officium fuit, non, ut putatur, supremi Rectoris et Gubernatoris regni post Regem, sed rerum et opum regni, instar summi oeconomi et promi-condi, administratoris, ita ut hac parte principes et reliqui omnes in toto regno sese ad ejus placita componere debuerint: uti ad Ps. CVI: 21, 23. jam observavi, et ex eo loco, ac Gen. XLI. demonstravi, quare hic tantum notabo titulum, ipsi a Rege datum, ib. 45, צפנת פענח *Tsophnat-phahaneachum*, eo etiam tendere, et inde exponendum, videri: denotat enim, ex mea opinione, *thesaurum* reconditum *praeradiantis* excellentiae et abundantiae *recubationis* ad recreationem. Prior vox, a rad. צפן *condere*, ut quid lateat ac tutum sit, vel adservetur instar thesauri, recte ad thesaurum reconditum refertur, et Josepho, tanquam thesaurario, et collectori, et dispensatori, tribuitur: *altera* vox composita est ex פע a יפע cujus origo est in *eminentia*,

nentia, et praeminentia praeradiante, jubare omnis excellentiae et copiae, et נח a נוח, cujus primaria notio est *tendi*, *tendendo sterni*, unde ad animantia *recubantia*, ad refocillationem et potationem, transfertur, recte exprimit commodam recubationem et recreationem. Josephus itaque hoc epitheto sistitur, tanquam thesaurarius et promus-condus, qui praecellentem recubationem, et alimentorum abundantiam populo procurat: uti fecit. Aliorum opiniones de tituli significatione qui scire velit, adeat Simon. Onomast. qui bene multas et varias recenset.

§. CIX. Hoc munere quam praeclare functus fuerit, tempore copiae frugum, et inopiae, vel ex eo adparet, quod totius populi, licet ad inopiam et servitutem redacti, gratiam inierit, et laudes acceperit cap. XLVII: 25. Ut autem de hac servitute recte judicetur, nec Josephus inprudentiae aut duritatis accusetur, notari velim 1. populum non fuisse propriis agris orbatum, nec in alienas oras, aut urbes per AEgyptum translatum, sed retinuisse veteres suas possessiones. Vers. vero 21 non est legendus, ut in textu Masor. est, et vertendus *populum migrare fecit in urbem etc.* sed cum Samar. Graec. et Lat., *redegit eum in servitutem*, quod seriei sermonis unice convenit, et rectum fundit sensum, quem lectio Hebr. non habet, adeoque leg. העביר־לעבדים (sive potius העביר־לעבדים, *transire fecit in servos*,) uti 2 Chron. XXXIV: 33. Deinde 2. servitutem non fuisse omnimodam et absolutam, sed restrictam, relate ad agrorum proventus, tributo subjectos, ita ut *quinta* tantum pars cesserit Pharaoni; reliquae colonis et cultoribus, ut diserte traditur v. 20. *servire* itaque est agros colere in usum quoque Pharaonis.

§. CX. Quod vero ad fratres suos, et domum paternam adtinet, fratribus alimentorum causa in AEgyptum venientibus, postquam eos varie coram se humiliasset, in quo somnia ejus, quae eos exacerbaverant, inpleta sunt, sese tandem manifestavit, Patrem cum tota domo, famulitio et gregibus ad se invitavit, ac recepit, terra Gosen in habitationem ipsis inpe-

trata a Pharaone. Qui notabilis casus meretur, ut nos paulisper detineat, et respectu in primis *personarum*, quae in AEgyptum venerunt, ac *Regionis* Gosen, quam insederunt, illustretur. De *tempore* enim non necesse est agere, cum ex superioribus constet, Jacobum anno aetatis 130, et Josephi ann. 39*no*, eo venisse, qui est annus 220*mus* ab egressu Abrahami ex Ure, ut postea patebit.

§. CXI. Textum Hebr. Gen. XLVI. si consulamus, Jacobum cum filiis et nepotibus venisse 66 numero in AEgyptum, dein Jacobo ipso, una cum Josepho et duobus filiis, Ephraim et Manasse, ad eandem domum pertinentibus addito, 70 fuisse numero, facile constat. Historicus filios ac nepotes Jacobi 1. ex Lea recenset 31, et unam filiam Dinam, sed, ubi summam colligit vers. 15. numerat 33. quod conciliari potest, si ipse Jacobus addatur; quod fieri debere ex eo fit probabile, quia Jacobus ad numerum 70 inplendum, ut mox patebit, accedere debet, nec tamen usquam includi potest, quam hic, ubi unus est supernumerarius numerus, 2. ex Zilpa, ancilla Leae, 15 cum una filia. 3. ex Rachele 14. 4. Bilha, ancilla Rachelis, 7. Quibus recensitis, summam *bis* colligit, priore vice 66 vers. 25, posteriore 70 vers. 26 cujus diversitatis ratio est, quod altera vice Jacobum ipsum, Josephum et duos ejus filios una comprehenderit: uti expresse dicitur. Cum autem *omnes animae familiae Jacobi AEgyptum ingressae* ibi 70 numero fuisse dicuntur, ne quis ad id offendat, cum Josephus et duo ejus filii jam fuerint in AEgypto, notandum est, scriptores subinde *omnibus* tribuere in genere, quod illis, exceptis paucis, convenit, accedit, de *domo* Jacobi tradi, eam eo venisse, ad quam et ipse Jacob, tanquam familiae caput, et Josephus cum filiis, tanquam ejusdem quoque familiae, omnino pertinent, et facile referri possunt.

§. CXII. Quod observatum eo magis est advertendum, quod unam alteramve difficultatem, in recensione filiorum Jacobi obviam, e medio tollere possit. *Prior* residet in filiis Peresi, filii Judae, *Chetsron* et *Chamal*, qui vers. 12. memorantur, cum

illi

illi non in Cananaea, sed AEgypto nati fuerint: Pheres enim ante ingressum in AEgyptum filios censeri nequit habuisse, quippe ad summum 10 tantum annos natus; ut ex aetate Judae, quae tunc 44 annorum tantum esse potuit, cum in AEgyptum venit, colligitur. Filiorum Pheresi, licet in AEgypto natorum, mentio itaque fit, quia duobus Judae filiis, in Cananaea mortuis, substituti sunt, quod diserte tradit Historicus, qui, cum expresse addit eos in *Cananaea* obiisse, haud obscure innuit, filios Pheresi, ipsis suffectos, ibi non fuisse natos. Alteram difficultatem adfert numerus 10 filiorum Benjaminis vers. 21. qui omnes non videntur in Cananaea nati, cum Benjamin paulo ante reditum Jacobi Hebronem fuerit natus, et Jacobus ibi 22 annos tantum moratus est usque ad ingressum in AEgyptum. Statui itaque poterit, nonnullos eorum in AEgypto procreatos accenseri familiae Jacobi, quae venit in AEgyptum.

§. CXIII. Limpida haec turbarunt LXX Interpretes, qui 75 numerant personas, non, ut textus Hebr. 70; cujus diversitatis ratio in eo est, quod non 2 Josephi filios, ut in textu Hebr. sed 7 recenseant, 5 itaque aliis additis Gen. XLVI: 27. secundum veram lectionem; quae in MSS. Gr. vitiata prostat, habens non 7, sed 9 filios; sic enim non 75, sed 77 numerari deberent. Sed stamus et hic rursus textu Hebr., quippe cujus longe major est autoritas, eo etiam magis hoc in loco, quod is ubique sibi constet, non vero Graecus, haud uno mendo infectus, 1. vers. 23. filii Rachelis dicuntur 18, sed legi debet 19, ceteroquin 74 forent tantum personae non 75. 2. vers. 24. filii Josephi dicuntur 9, sed leg. 7, alioquin 77 forent, 3. Deut. X. fin. nonnulli Cod. Gr. 70, non 75, habent. Sed quid tum faciemus Act. VII: 14. ubi 75 etiam memorantur? si genuina sit loci lectio, et πέντε *quinque*, non irrepserit e margine, ubi glossator ponere potuisset ex LXX, in textum, nihil rectius videtur, quam ut Lucas, vel Stephanus, Graecum textum, satis tunc vulgatum, simpliciter expressisse statuatur, absque ut adcuratam numerorum notitiam

Q ad

ad animum revocaverit, cum res exigui eſſet momenti, nullius plane ad rem, quae tunc agebatur. Qualia non deſunt exempla alia.

§. CXIV. Inquiramus nunc in *ſitum* et indolem regionis, quam occuparunt Iſraelitae, et rationem ſeu *occaſionem* illam conſequendi. De *ſitu* terrae *Goſen*, quo nomine venit, cum ex ejus criteriis, in Script. obviis, judicium ferendum ſit, ea ante proferam. Deſcribitur 1. tanquam omnium optima, et fertiliſſima Gen. XLV: 18. XLVI: 11. 2. omni parte ſeparata, ſive montibus, ſive deſertis arenoſis: ſicut c. XLVI: 33. innuitur. 3. ad *occaſum* maris Rubri: quia *locuſtae vento occidentali* fuerunt in mare illud dejectae; quod vix intelligi poteſt, niſi mare illud ad *ortum* terrae Goſen fuerit. Exod. IX. Quod ipſum tranſitus Iſraelitarum per illud mare confirmat; cum inde pateat, ſitum terrae Goſen ibi eſſe ponendum, ubi ex ea terra rectum eſt ad mare iter, ad occaſum itaque maris. 4. Denique propinqua aulae Pharaonis. Gen. XLV: 10. Haec qui adverterit criteria commodiorem ſitum forte non reperiet quam in AEgypto, non *inferiore*, ut vulgo putatur, ſed *ſuperiore*, inter Thebaidem et inferiorem AEgyptum in nomo Heracleopolitico, ſeu inſula Nili ſupra Memphin, et toto tractu eam ambiente, et praefecturas Arſinoiticam ac Aphroditopolitanam ex parte continente, uti nuper docuit Cl. Jablonski in Diſſert. de terra Goſen; qui criteria, modo producta, in eam regionem optime et unice quadrare demonſtravit; ſimul obſervavit, regiam Pharaonis hoc tempore non *Tanin*, ſed Memphin fuiſſe, vel Heliopolim aut utramque. Concinit quoque nomen גשן *Goſen*, ſi e lingua Coptica derivetur, denotat enim *terram roboris ac potentiae*, ex χω *terra*, *et* χωμ *robur*; adeoque convenit nomini ἡρακλεοπολις *Heracleopolis*, quae eſt regio *Herculi Sacra*. Terra *Ramſes* cenſeri poteſt adpellata ab Iſraelitis, vitam agentibus *paſtoritiam*, ſecundum vocis ſignificationem in lingua Coptica.

§. CXV. *Occaſio* terrae Goſen Iſraelitis conceſſae cum inde repetatur

repetatur Gen. XLVI: 33. quod *omnis paſtor* ſit *AEgyptiis abominationi*, anſam praebuit *rationem* inveſtigandi hujus abominationis; eo magis, quod ipſe Pharao habuerit armenta et greges Gen. XLVII. Ingenioſa eſt Ill. Scaligeri opinio, qua eam in ſtatu civitatis politico AEgyptiorum quaerit; ſecundum quem *quatuor* erant hominum claſſes, ἱερεῖς *ſacerdotes*, quorum ſummus erat honor, μάχιμοι *militares*, honorati quoque, τεχνῖται *artifices*, nullo quidem in honore, attamen liberi, denique ποιμένες *paſtores*, infimae ſortis homines, advenae paſſim, qui duriter et abjectim habebantur, ſeſeque propterea in libertatem, cum inſigni damno populi, vindicare conabantur. Docta quidem eſt conjectura, magno Viro digna, ſed vereor ut vera ſit et ſe tueri poſſit, *cum* quod de cana hujus diſtinctionis hominum in AEgypto antiquitate non tantum non conſtet, ſed pluſquam probabile ſit, narrationem Manethonis de paſtorum dominatu in AEgypto, unde reliqui hiſtorici deſumſerunt, originem ſuam Iſraelitis, qui AEgyptum adflixerunt, debere, uti poſtea videbimus, *tum* quod *religionis* reſpectus hic plane excludi nequeat. Iſraelitae utique, *animantia* offerendo Jehovae, diſerte dicuntur *abominationem* AEgyptiis ſacrificaturi Exod. VIII: 22. Ex mea itaque opinione α. non omnes qualeſcunque paſtores, cum et Pharao greges habuerit ac paſtores Gen. XLVII., ſed exteri ſunt intelligendi, qui vitam unice degebant paſtoritiam, et quaquaverſum vagabantur, quales Hebraei et Iſmaelitae ex. gr. fuerunt. β. nec propter vitam ſolum paſtoritiam erant *abominationi*, ſed 1. quia λῃστρικὴν *latrocinalem* ſimul exercebant artem, uti cenſebantur: quales etiam fuerunt Iſmaelitae, 2. carnem promiſcue edebant, 3. quaevis animalia Deo ſacrificabant. Erant profecto nonnulla animantia jam tunc apud AEgyptios ſacra, uti vel ex eo liquet, quod ſacrificia Iſraelitarum dicantur ipſis *abominatio* Ex. VIII., Iſraelitae quoque in deſerto *vitulum* in idolum erigentes ſeſe ad AEgyptiorum mores adcommodaſſe cenſeantur. Tradit quoque Herodot. in Euterpe, AEgyptios hanc ob religionem noluiſſe *Graeci viri vel os ſuaviari*, aut *cultro-*

veru, ollave illius uti, aut pura bovis carne Graeco cultro incisa vesci; contra, boves ita mortuos sepelire.

§. CXVI. Septendecim annos cum ibi habitasset Jacobus, jam a morte proximus, ad se arcessivit Josephum, eumque jurejurando, manu femori Patris supposita, (qui antiquus ritus fuit, ab Abrahamo jam usitatus Gen. XXIV., et ad posteritatem ejus spectavit, quae, usitata phrasi, ex *femore nasci* dicitur, nec non ad signum foederis Dei in genitalibus, circumcisionem) ad sepulturam sibi in Cananaea procurandam obstrinxit c. XLVII: 18. quo facto juramento Jacobus capite deorsum flexo, testificatus est gratum erga Deum ac Josephum animum. Id enim verba significare videntur ibid. v. 31. *et reclinavit se Israel super caput deorsum*; uti mox c. XLVIII: 12. *et inclinavit se super facie sua versus terram.* Legitur quidem in textu Masor. הַמִּטָּה *lecti*, et vertitur *ad cervical lecti*, sed Gr. textus aliis cum punctis legit הַמַּטֶּה et vertit, *virgam, baculum*, uti et autor Epist. ad Hebr. XI: 21. adeoque alia puncta substituere licet; legerim itaque הַמַּטָּה *deorsum*; qui usitatus ejus est significatus. Deinceps, cum mors accelereret, et oculi Jacobi jam caligarent, Joseph. duos suos filios ipsi obtulit adoptandos ac benedicendos, quod ita praestitit Jacobus, ut Ephraimum, minorem natu, praetulerit Manassi primogenito, frustra renitente Josepho, declarans, minorem fore superiorem et excellentiorem, ejusque posteros *dominantes* in populis: quam emphasin praefert phrasis *plenitudo gentium* v. 19. ut Cl. Schultens observavit. Certiorem deinde fecit Josephum de Cananaea posteris danda, et in ejus signum ipsi quoque in posteris adsignavit terram Sichem in perpetuam possessionem, supra haereditatem, quam cum fratribus haberet communem, his verbis v. 22. *et ego do tibi Sichemum* possessionem haereditariam *unam*, seu eximiam, *supra fratres tuos, quam Amorrhaeis gladio et arcu meo eripui:* scilicet ante emtam, postea occupatam ab Amorrhaeis, recuperavi vi et armis meis.

meis. De quo casu licet non constet ex historia, non est quod dubitemus, cum facinus filiorum Jacobi vicinos Canaaeos facile excitare potuit, ad regionem illam, absente Jacobo, Gen. XXXV. invadendam. Utique hic locus aliam non admittit interpretationem. Ceterum vox אחד *una*, vel cum אחזה *possessione* haereditaria commutanda, vel per eam supplenda, ut sit *possessio una*, pro *eximia*, quem usum subinde habet, sicut LXX verterunt ἐξαίρετον.

§. CXVII. Tandem convocatis filiis, sortem, quam singulorum posteri, in totidem tribus distribuendi, haberent sequentibus temporibus, in benedictione paterna et patriarchali, praenunciavit, luculento illo ad eos prolato sermone Gen. XLIX. qui propterea simul prophetiae, simul benedictionis propheticae, certo inplendae, conspectum praefert; ut in prologo v. 1. et clausula historici v. 28. expresse traditur. Occurrit itaque hic Jacobus tanquam promissorum, Patribus factorum, haeres et possessor, qui morti vicinus de ipsis illis bonis disponit, cum *primogeniturae* praerogativarum, tum reliquarum haereditatis partium respectu. Quo fini, quid singulis eveniret, quae qualisve sors ipsis contingeret, qua ratione sese in ea gererent, exponit et praedicit. De quo ipsa oratio ejus clare testatur, ipse enim partim primogeniturae privilegia Rubeni adimit, nec in sequentes majores natu, Simeonem et Levi, sed in quartum ex Lea filium Judam, et Rachelis primogenitum Josephum transfert, partim proprias reliquis adsignat portiones in Cananaea, ejusque bonis. Quae omnia ex ipsa orationis explicatione evinci et illustrari possent, si hujus esset loci, sed feci illud prolixe in Comment. ad hoc cap. qui legi potest.

§. CXVIII. Quibus peractis omnibus, pie et fidei ac spei plenus *salutem Jehovae exspectans* c. XLIX: 18. exspiravit, natus ann. 147 c. XLVII: 28; more AEgyptiaco dein conditus, et 70 diebus solenni luctu *in AEgypto* defletus (ultimum enim cap. L: 3. membrum non est vertendum *defleverunt ipsum AEgyptii*, sed in *AEgypto*, ut מצרים sit pro במצרים) ac ingente comitatu, non totius tantum domus Ja-

cobi, sed et servorum Pharaonis, ac seniorum omnium AEgypti, deductus est in Cananaeam, et Patribus in spelunca Machpela, ab Abrahamo in sepulturam emta ab Hephrone Chittaeo Gen. XXIII. adpositus est, uti ipse praeceperat c. XLIX: 29. Expertus quidem est per vitam multa mala, ut ipse fassus est coram Pharaone c. XLVII: 9. sed et singularia tutelae ac favoris Dei signa, uti ex superiore historia satis elucescit, ipse quoque sub finem vitae, dum filiis Josephi benedixit, his notabilibus verbis, gratus agnovit et declaravit c. XLVIII: 15, 16. *Deus coram quo ambularunt Patres mei, Abraham et Isaacus, Deus qui meum egit pastorem, ex quo sum hucusque, Angelus qui me ex omni malo eripuit, benedicat his pueris etc.* Quorum sensus est, ut opinor, Jacobum eundum Deum, cujus fida tutela gavisi fuerant Abrahamus et Isaacus, (quod hic, ut c. XVII: 1. est *ambulare coram facie*) habuisse per omnem vitam *pastorem*, a quo ipse ut *ovis* errans fuit fideliter et tuto ductus, et per Angelum Jehovae, Goelem suum seu redemtorem, ab omni malo liberatus. Respicitur ad multiplices Jacobi oberrationes in Mesopotamia et Cananaea, periculi plenas, in titulo *pastoris et redemtoris*, quo usus est. Quo etiam digitus intenditur Deut. XXVI: 5. ubi Jacobus *Aramaeus* אבד *erro et periens*, seu periculo *perditionis* expositus, adpellatur, uti recte Wesseling. meus advertit Obs. l. II. qualis fuit in Mesopotamena Syria, et cum inopia pressus tendere debuit in AEgyptum. Nec alio sensu sese eo titulo insignivit Ps. CXIX: 176. David: ut in comm. ad Ps. exposui.

§. CXIX. Israelitis progressu temporis valde multiplicatis, et novo, seu alienae domus, Rege exorto, qui Josephi beneficia in regnum collata vel ignorabat, vel susque deque habebat, simul nimiam horum advenarum copiam invidis ac hostilibus oculis intuebatur, metuens, ne inde quid detrimenti patiatur AEgyptus, inciderunt in gravem adflictionem, quae sicut Israelitas ad querelas inpulit, simul desiderium AEgyptum deserendi suscitavit, ita Deum ad promissa Patribus facta in-

plenda,

plenda, et populum inde liberandum permovit, uti Exod. I et II. narratur. De qua *ſervili* et adflicta Iſraelis conditione, quae liberationem praeceſſit, et ejus occaſionem praebuit, adeoque ad hanc periodum pertinet, quaedam ſunt, praecipue *cauſarum* et rationum reſpectu, ad eam illuſtrandam, proferenda, maxime cum paſſim minus recte de ea judicari ſoleat. *Origo* ejus nec ab odio AEgyptiorum, nec a religionis diverſitate repetenda eſt, ſed ex *ratione ſtatus*, ut adpellatur, ſeu rationibus politicis, ne regnum aliquid damni pateretur, ſeu populus, numero ac viribus fere ſuperior AEgyptiis, ſeſe aliquando hoſtibus adſociaret, et AEgyptum deſereret: uti Ex. I. diſerte traditur. Habebat quoque Rex *rationes* hoc metuendi, quia Iſrael populus erat ab AEgyptiis diſtinctus, habitabat ſeorſim, erat numeroſiſſimus, et brevi tempore ſingulari benedictione factus ſupra ipſos AEgyptios: praeterea in oculis habebat promiſſa de terra Cananaea aliquando occupanda et poſſidenda: quod Regem forte quoque non latuit. Huic metui ut Rex ſuccurreret, duplicem inſtitit viam, ſed poſteriorem prudentiorem, ſeu aſtutiorem et magis politicam, ac ſcopo adſequendo longe aptiorem. *Prior* ſita fuit in dura ſervitute, et graviorum ac ſervilium operum exactione, dum aliis fuit magnorum lapidum, et laterum, conficiendorum copia inperata, aliis opera ruſtica, aliis alia ſervilia in exſtruendis muris ac pyramidibus: quae et quorum ſimilia magna cum ſeveritate exacta ſunt, exactoribus quoque ac praefectis ad id conſtitutis. Quae eo tendebant 1. ne otiando res molirentur novas. 2. ut animum ſervilem et obnoxium induerent: denique 3. mares, graviſſimis illis oneribus ac laboribus fracti, vel enervarentur, vel abſumerentur, quod in climate adeo ardente fieri debere putabatur, adeoque multiplicatio populi minueretur; et foeminae cum AEgyptiis copularentur. Sed haec politia optato caruit ſucceſſu, nec etiam apta erat deſiderio AEgyptum deſerendi exſtinguendo, potius accendendo, et animis ab AEgyptiis abalienandis. *Altera* itaque adgreſſus eſt longe aptiore, licet truculentiore, ratione cum populo agere; jubendo primum, ut

omnes masculi in ipso partu ab obstetricibus occiderentur; deinde, cum hae saevum illud edictum non exsequerentur, seseque apud Regem excusarent, mulieres Hebraeas, quippe vegetas, et robustas (quam potestatem vox חיות Ex. I: 19. vi originis in coagmentatione et firma compactione sitae continet) jam peperisse, antequam ad eas venerint, dictitantes, sive mendacio fuerint usae, sive potius non omne dixerint verum, procurantes, ut mulieres gravidae, ea de re certiores factae, paulo serius advocaverint solennes obstetrices, sibi invicem succurrentes: jussit Rex, ut omnes masculi aquis Nili suffocarentur; quae omnia eo collineabant, ut, marium defectu, foeminae cum AEgyptiis commiscerentur, eaque ratione tandem unus foret populus. Quod ipsum sicut liberationem populi reddidit citiorem, ita Mosis singularis et regiae educationis praebuit occasionem. De quo ad sequentem periodum.

§. CXX. Ad *chronologiam*, seu durationem periodi constituendam, quam, historia hic illic illustrata, adgredior, *duae* pertinent quaestiones, *una* de annis morae Israelitarum in AEgypto, *altera* de initio periodi. *Prior*, quae longe majoris est momenti, cum duratio periodi inde praecipue dependeat, longeque major fiat vel minor, originem praecipue habet ex loco Exod. XII: 40. ubi *filii Israelis in AEgypto*, secundum textum Hebraeum, *morati* dicuntur 430 annos. Quo in loco qui sese fundant, strictam ejus interpretationem secuti, uti faciunt multi, periodo dant annos 645; annis enim 430, reliqui, ex annis Abrahami, Isaaci, et Jacobi facile eruendi, de quo mox, additi, eam conficiunt summam. Sed alii, numero quoque et eruditione celebres, locum illum ad moram in AEgypto non restringunt, sed ad omne tempus peregrinationis Abrahami ejusque posterorum, in Cananaea aeque ac AEgypto, extendunt, sive per commodam interpretationem, sive per lectionem LXX Interpretum, quae voces *in Cananaea* insertas habet, adoptatam, adeoque totam periodum ann. 430 tantum continere statuunt, et morae Israelitarum in AEgypto 214, vel 215 annos tribuunt. Quod ad nos adtinet, licet in utramque

utramque partem magna cum probabilitate disputari posse agnoscam, *posteriori* tamen sententiae, tanquam fortioribus nixae argumentis, calculum adjicio, his potissimum motus rationibus.

§. CXXI. Paradoxis, quibus altera hypothesis premitur, ex. gr. quod Deus promissi, Abrahae facti, inplementum per 6 secula et dimidium distulisset, populum per duo ad minimum secula sub dura servitute ac adflictione gemere sivisset, missis; 1. primam rationem peto ex notabili loco Gen. XV: 13. ubi Deus Abrahamo dicit, *semen tuum peregrinum erit in terra non sua, et adfligent eos annos* 400. Quae verba non sunt ad moram in AEgypto restringenda, sed ad universum tempus peregrinationis seminis Abrahae a nato Isaaco extendenda, cum, quod eo phrases ducant, tum, in annos morae in AEgypto non quadrent. Phrases *seminis* Abrahae, ejusque *peregrinationis in terra non sua*, cum generales sint, exigunt, ut mox a *primo* Abrahami *semine*, adeoque Isaaco nato, in quo *semen ejus vocaretur*, teste Script. S., annorum eorum ducatur initium, praeterea ab eo tempore, quo semen illud coepit *peregrinum* esse in terra; quod utique, non Israeli in AEgypto privum, sed omnibus Patriarchis commune fuit, et ipsis tribuitur, uti 1 Chron. XVI. Ps. CV. ad Hebr. XI. et alibi. Excipitur quidem, nec sine specie, restringi peregrinationem seminis ad *terram non suam*, adeoque ad AEgyptum, cum terra Cananaea fuerit ipsis data in possessionem, et *terrae non suae* adnectatur adflictio 400 annorum, simul terra *non ejus* et *Cananaea* distinguantur, cum mox sequatur, *redibunt huc*. Sed cum *peregrinationis* exserta fiat mentio, eaque adflictioni praemittatur, Patriarchae quoque in Cananaea dicantur *peregrini* fuisse; statuenda hic omnino est aliqua ellipsis hac ratione supplenda, in *terra non sua et hac*, *et alia*, in qua adfligentur. Quales ellipses non sunt infrequentes, sicut et Exod. XII: 40. *in Cananaea* suppleri debet; uti mox patebit: alia exempla jam protuli in Dissert. sel. ad Gen. XV.

§. CXXII. Quod vero addidi, 400 annos in tempus morae Iſraelitarum in AEgypto non convenire, ex eo facile patet, quod 430 annorum ea fuerit. Reſpondetur quidem, 1. numerum occurrere *rotundum* Gen. XV., eoque comprehendi poſſe 30 annos; ſed ſine fundamento, et contra ſcopum loquentis, qui annos exacte definiri poſtulat, 2. 400 annos ab adventu Jacobi in AEgyptum, 430 vero a tranſlatione Joſephi, eſſe deducendos; ſed illud intervallum eſt tantum 22 annorum, ut ſupra vidimus, nec ſemen Abrahae cenſetur aut dicitur uſquam *peregrinatum* in AEgypto, antequam Jacob cum familia eo venit; nec Joſeph, eo abductus, ibi tanquam ſemen Abrahae fuit, verum AEgyptius, vel ſervus primum, dein regni oeconomus.

§. CXXIII. 2. Secundum argumentum ſuppeditat, quod Gen. XV: 16. *quarta generatio* in Cananaeam reditura dicatur: *quatuor* enim generationes, maxime cum *quarta* ſit ſuperſtes futura, 430 annos neutiquam explere poſſunt. Reſpondetur, ſecula, eaque 100 annorum, intelligi per *generationes*, ſatis infeliciter, cum ſtylo Script. adverſetur, nec ſic tollatur difficultas, cum non *quinto*, ſed *quarto* ſeculo redituri dicantur; quartae tamen generationi illud tribuitur. Dictis robur addit, et noſtram hypotheſin firmat, *genealogiarum* recenſio, unde 3. tertium petitur argumentum. Quatuor enim exhibentur generationes in AEgypto, et *quarta* inde exiit: ex. gr. Levi, Cahat, Amram, Moſes Exod. VI. Quorum totius vitae anni, uſque ad Moſis 80*mum*, quo egreſſus eſt, ſimul ſumti, efficere tantum poſſunt ann. 487. Quibus demendi ſunt, cum anni 43 Levi, quot habuit tempore deſcenſus in AEgyptum, tum, quos Cahat et Amram poſt generationem vixerunt. Generationes itaque illae ſpatium 430 annorum neutiquam explere poſſunt. Agnoſcunt illud viri Docti, quibuſcum diſputamus, ſed reſpondent, genealogias eſſe apud Moſen decurtatas, una alterave omiſſa, ſine ullo fundamento, et contra omnem veriſimilitudinem, cum, quod tam paucae adhuc fuerint generationes, tum, quod Moſes data opera non-

nullas

nullas reticuisse statui nequeat; quod tamen censeri deberet fecisse, cum eas facile scire potuerit. Sed huic exceptioni directe adversatur, quod Jochebad, mater Mosis et Aaronis, fuerit ipsius Levi filia; quod ex eo non tantum liquet, quia Amrami, patris Mosis, cujus uxor fuit, *amita* adpellatur Ex. VI: 20. adeoque soror Cahati, filii Levi; sed et ipsis verbis ex Levi dicitur nata in AEgypto Num. XXVI: 59. ubi *filia Levi* adpellatur, אשר ילדה אתה ללוי *quam peperit uxor ejus* (vox enim אשתו *uxor ejus*, vel supplenda est, vel textui post אתה *eam* inserenda, vitio librarii omissa) *Levi in AEgypto.* Addatur denique comparatio cum Gen. XV., ubi *quarta* generatio legitur reditura in Cananaeam.

§. CXXIV. 4. Accedat tandem Apostoli Pauli testimonium Gal. III: 17. ubi inter promissum de semine Abrahae et Legem, ad montem Sinai datam, interfuisse declarat 430 annos. Dubium enim non est, quin promissum Abrahae Charris factum in oculis habuerit, et inde epocham horum annorum duxerit, cum, quod de promisso seminis, Abrahae primum facto, Charris itaque versanti Gen. XII. loquatur, tum, de periodo promissionis agat, ejusque durationem definiat, cujus itaque initium ab initio promissionis, Abrahae factae, repetendum est. Firmius censeri potest hoc testimonium, quod Apostolus LXX Interpretes, qui Exod. XII: 40. addiderunt *in Cananaea*, non simpliciter secutus fuerit, uti excipiunt dissentientes, sed ipse sententiam suam expresserit, quia ex longo intervallo inter promissum et legem argumentatur; fecisset itaque longius, si licuisset, uti potuisset, si locum Exod. de sola mora in AEgypto, secundum textum Hebraeum, uti intelligi solet, interpretari potuisset.

§. CXXV. Sed quid loco Exod. XII: 40. faciemus salva lectione textus Hebraei? Dici quidem posset, excidisse voces *in Cananaea*, quae in Graeca versione et Cod. Samar., conservatae sunt, in uno cod. Hebr. a Kennicoto collato quoque exstant, sed, si commoda interpretatione ei succurri possit, ut idem inde oriatur sensus, illud praeferimus, ne sine necessitate textum

 Hebr.

Hebr. vitiatum fuisse statuamus. Loquitur quidem historicus de *Filiis Israelis*, sed majores ac progenitores ea phrasi comprehendi posse tralatitium est: sic ex. gr. *omnes animae* domus Jacobi, quae in AEgyptum venerunt, dicuntur 70 fuisse Gen. XLVI. scilicet una cum Jacobo: qualia exempla plura sunt, et satis nota. Difficilior est, ut videtur, nodus in eo, quod solius AEgypti fiat mentio, et filii Israelis in AEgypto legantur morati 430 annos, nulla expresse *Cananaeae* facta mentione: sed et ille per ellipsin historicam solvi poterit, ita ut mente suppleatur *in Cananaea et AEgypto.* Mora in AEgypto expresse tantum memoratur, quia Israel ibi adflictus fuit, praeterea ultimo moratus, et inde regressus in Cananaeam. Nec desunt similia exempla, alibi jam in Diss. sel. ad Gen. XV. producta, sic, ut aliqua adferam, Gen. XV: *semen tuum peregrinum erit in terra non sua*, scilicet *in terra hac et non sua*, seu AEgypto: 1 Sam. IV: 8. Deus AEgyptios percussisse dicitur *in deserto*, scilicet *in AEgypto et deserto:* ibid. c. IX: 16. Saulus populum liberasse traditur a Philistaeis, scilicet ab Ammonitis et Philistaeis, conf. c. XII: 12. sic et Matt. XII: 40. Christus cum dicitur tres dies *in corde* terrae fuisse, antecedens passio et mors, in sepulturam exiens, comprehenditur, adeo ut tres dies a tempore, quo captus est, repeti debeant. Quicquid sit, sive exciderit *in Cananaea*, sive suppleatur, certum mihi videtur, verum esse, quem dedi, loci sensum, quem insuper confirmant omnes Veteres Paraphrastae et Interpretes, ipse Paulus et LXX Interpretes, qui voces eas addiderunt, sive in cod. suo invenerint, sive suppleverint: quorum testimonium hic majoris est, quod tempus passim prolongare, non contrahere soleant, uti supra vidimus.

§. CXXVI. Provocant quidem nonnulli ad inmensam multitudinem Israelitarum in AEgypto, 600 scilicet millium, quando egressi sunt, quam majus longe putant requirere spatium temporis: sed illa difficultas ad superiorem periodum jam e medio est sublata: ita ut hic moras non necesse sit trahere. Obiter tantum observetur, satus primorum hominum

num fuisse, praecipue omnium consensu in AEgypto, foecundiores, Israelitas in specie, singulari Dei benedictione, secundum promissum Abrahae factum, fuisse mirabiliter multiplicatos.

§. CXXVII. Alterum de *initio* periodi quaesitum, quod tantum superest, moras non injicit. Etsi enim illud varie definiant, nihil certius nobis videtur, quam illud ab anno 70*mo* Abrahami, quo ex Ure exiit, et peregrinari coepit, esse ducendum, *cum*, quod ab initio peregrinationis sit, secundum Ex. XII: 40., convenienter explicationi supra datae, repetendum; quae utique ab Abrahami exitu ex Ure incepit; Gen. XII: 1. et Act. VII: 2. *tum*, initium connectatur cum promisso *seminis*, Gal. III. ipsi in Ure Chaldaeorum dato Act. VII. *tum*, denique, quod a nato Isaaco numerentur 400 tantum anni Gen. XV., ante quod tempus itaque oportet fluxerint 30 anni, ut 430, quot periodus duravit, inveniantur. Tot autem fuerunt ab egressu Abrahami ad natum Isaacum. Exiit enim, ut supra vidimus anno aetatis 70*mo*, et Isaacus anno ejus 100*mo* natus est.

§. CXXVIII. Hactenus disputata computum annorum periodi reddunt facillimum. 1. Ab egressu Abrahami ex Ure anno aetatis 70*mo*, ad natum Isaacum, anno ejus 100*mo* Gen. XXI., sunt anni — — 30. 2. Inde ad natum Jacobum, Gen. XXV: 26.—60. 3. Inde ad descensum Jacobi cum tota domo in AEgyptum, Gen. XLVII: 9. — —130. 4. Denique ad exitum Israelis ex AEgypto, seu pro mora in AEgypto, uti in superioribus demonstravimus — — 210. Quorum summa est 430 Ex. XII: 40.

§. CXXIX. Tractatione Historica et Chronologica finita, superest, ut, pro more, de *populis* vicinis, vel quorum aliqua fuit ad Israelitas relatio, et illustrioribus *aeris*, hac periodo ortis, agamus. De Assyriis et Babyloniis cum nihil aliud constet, quam regna illa fuisse et mansisse distincta, uti ex Gen. XIV., ubi Reges *Sinear*, seu Babyloniae, ac *Alasar*, seu Assyriae, memorantur, de AEgyptiis ad periodum seq. sit dicen-

dum: hic de terrae *Cananaeae* incolis, respectu *situs*, et duorum notabilium casuum in historia memoratorum, nonnulla proferam. Decem recensentur populi Gen. XV, sed Deut. VII. et Jos. III. tantum *septem*, qui videntur nobiliores fuisse, et Cananaeam proprie inhabitasse, cum reliqui, Gen. XV. additi, Libani et locorum ad Euphratem videantur fuisse incolae. De illis cum Bochartus et Relandus fusius exposuerint, paucis defungi potero, situm eorum monstrasse contentus. 1. Chittaei, Emoraei, et Jebusitae fuerunt vicini, et in tractu montano australi habitarunt Num. XIII: 29. *Chittaei* ex historia Abrahami, qui agrum Machpalae circa Hebronem ab iis emit Gen. XXIII, noti sunt. *Emoraei* in Chatzazzon Tamar, seu Engadi, resederunt Gen. XIV. et Jacobus refert, se iis eripuisse agrum, vicinum *Sichemo* Gen. XLVIII. Fuerunt itaque sedes eorum inter Hebronitas et Jebusitas. Qui posteriores Hierosolymam tenuerunt, usque ad Davidem. Jes. XV: 63. Jud. I: 21. 2 Sam. V: 9. quare *Jebus* fuit adpellata Jos. XV: 8. a *Jebus*, filio Canaanis Gen. X. sed et *Salem* videtur dicta, si verum sit, ut probabile est, ejus regem fuisse Melchizedecum Gen. XIV, vel ex eo, quod Adonizedecus memoretur rex Hierosolymae Jos. X. Quo admisso, arx Tsion nomen *Jebus*, et urbs reliqua *Salem* videtur tulisse: quo locus Ps. LXXVI. ducere quoque videtur. Unde praeterea confirmatur, *Salem* fuisse Hierosolymam, et Melchizedecum verum hominem, Dei altissimi sacerdotem, simul regem, quae utraque dignitas antiquitus fuit unita. Clamat quoque tota historia Gen. XIV. talem eum fuisse, quippe qui Abrahamo benedixit, et *decimis* ab eo honoratus est, sed illustrissimus simul typus fuit Messiae, secundum *ordinem* Melchizedeci sacerdotis, simul regis Ps. CX. ubi vid. Comm. noster: ex quo conspectu Apostoli Hebr. VII. gloriosum de Ipso effatum faciles nanciscitur explicatus. De quo hic non est agendi locus. Illud hinc obiter colligere liceat, fidem et cultum unius Dei, creatoris coeli et terrae, nondum exulasse in Cananaea. Fuit enim Melchizedecus, et rex et sacerdos *Dei altissimi*, et ei benedixit, quod Abrahamo dederit

dederit victoriam, ſimul Abrahamo in ejus, tanquam creatoris coeli et terrae, nomine. De Abimelecho regis tractus Gerar idem ex ejus hiſtoria Gen. XX et XXVI. elucefcit.

§. CXXX. 2. *Perizzaei* ad ſeptentrionem Jebuſaeorum videntur habitaſſe circa Sichemum Gen. XXXIV: 30. loca vicina Betheli Gen. XIII. Joſ. XI. ſed poſtea ſe latius extenderunt. 3. Miſſis *Girgaſchaeis*, de quibus nil aliud, ac eos cis-Jordanenſes fuiſſe, conſtat Joſ. XXIV: 11. *Chivvaei* ad limites boreales Cananaeae habitarunt Joſ. XI: 1. prope *Chermonem* montem, 2 Sam. XXIV: 7. *Cadmonaei* ſeu orientales, propterea, ut conjicit Bochart., dicti Gen. XV. Chermon enim ad orientem vergebat. 4. Denique populi, qui oras poſſederunt maritimas, ad mare Mediterraneum et Jordanem, generali nomine *Cananaeorum* inſigniti fuerunt, Num. XIII: 29. Joſ. XI: 3. Primitus oram maris Medit. tenuerunt a Sidone ad Gazam Gen. X: 19. quorum rex tunc fuit Abimelech, rex Gerar Gen. XX: 1. XXVI: 1. rex *Philiſtaeorum* per anticipationem dictus; hoc enim tempore ibi nulli erant Philiſtaei: de quo poſtea.

§. CXXXI. Ex hiſtoria belli, vulgo *pentapolitani* dicti, qui prior caſus eſt, Gen. XIV. verbo tantum memorandus, colligi nonnulla poſſunt, quae adtentionem noſtram merentur. 1. Kedarlaomerum, regem Elymaidis, primum fuiſſe regum illo tempore, cum reges Cananaeae ejus fuerint vectigales; non itaque Aſſyriae, aut Babyloniae reges primatum tenuiſſe in Oriente. 2. Trans-Tigritanos jam ab antiquiſſimo tempore ſe rebus Cananaeorum inmiſcuiſſe; ſicut poſtea Aſſyrii et Chaldaei ſaepiſſime fecerunt. 3. Regulos potius tunc temporis fuiſſe, quam reges potentes, urbium magis quam terrarum dominos, de quo etiam illud teſtatur, quod Abrahamus, parva tantum, ſeu 300 ſervorum ſuorum, et paucorum auxiliarium, manu ſtipatus, *quinque* reges illos profligaverit. 4. Illos a ſeptentrione intraſſe ac vaſtaſſe Cananaeam, ſicut poſtea quoque Aſſyriis et Babyloniis in more fuit. 5. Denique *decimas* jam hoc tempore fuiſſe e *ſpoliis* Deo conſecratas; cum eas ſacerdoti Dei altiſſimi

dederit Abrahamus: quod Apoſt. Heb. VII. diſerte adfirmat, et Gen. XIV: 20. etiam tradi cenſendum eſt: verba enim et *dedit ipſi decimas de omnibus*, ad Abrahamum, qui mente intelligendus eſt, omnino pertinent: Melchizedecus enim Abrahamo de propriis ejus ſpoliis ipſi decimas dici nequit dediſſe.

§. CXXXII. Alter caſus, qui quatuor urbium, Sodomae, Gomorrae, Tſeboin et Adamae ſubverſionem, una ſervata Tſoara in gratiam Lothi, et ortum lacus Aſphaltiditis, complectitur, Gen. XIX. prolixe narratus, majorem meretur animadverſionem, cum ſit plane ſingularis et ſtupendus, ſimul notabile tremendi judicii Divini ſignum praeferat, ad quod haud uno in loco reſpexerunt Prophetae. Fuerintne *urbes* illae *ſubmerſae*, indeque lacus iſte ortus, quod paſſim putatur, an *ſubverſae* tantum, et lacus iſte aliunde ſit natus, ex Jordane ſcilicet, cujus meatus obſtructi eo ſe exonerarunt, et vallem *Siddim* inundarunt Gen. XIV: 3. quod multis demonſtrare conatus eſt Relandus in Palaeſtin., diſputare hic non licet. Probabilius adhuc mihi videtur urbes fuiſſe ſubverſas, cum igni et ſulphuri, coelitus miſſo, id tribuatur, lacui quoque illae adjacere dicantur, denique, triſtia earum rudera ſupereſſe, tradatur vel innuatur Gen. XIX: 24. Deut. XXIX: 22. Tſeph. II: 9. Jer. XLIX: 18. 2 Pet. II: 6. Jud. vers 7. *Lacus* vero Aſphaltidi, ita a *bitumine* dictus, alias mare *ſalſum* ob inſignem ſalſedinem et ſalis copiam, etiam *mortuum*, tanquam piſcibus orbum, unde unde ortus, multis mirabilibus narrationibus, veris falſis, et ex confuſione cum ſimili lacu Babyloniae natis, famoſus eſt. Plura qui de hoc terribili caſu velit, adeat, praeter autores citatos, Cellarium in Diſſert. Academ., Clericum in Diſſ. Comment. ejus ad Pentateuchum inſerta, alioſque commentatores.

§. CXXXIII. Sed, ad verum tremendi hujus judicii conſpectum pandendum, non abs re fuerit obſervaſſe, illud illuſtre fuiſſe juſtitiae et bonitatis Rectoris univerſi ſpecimen ſimul, ſimul ſplendidum ſpeculum ſeu imaginem judicii Divini in ſimili caſu, ſine acceptione perſonarum, exercendi. 1. Juſtitiae

in

n sceleratis civitatibus, universaliter ac summo gradu corrup-
is, delendis, et bonitatis in eximie justis excidio eripiendis, a
Deo tanquam rectore et judice universi, in hoc seculo secun-
dum leges, ab Ipso in Orbe gubernando observari solitas, de-
monstrandae, singulare et notabile specimen sese hic offert;
dum Sodomam et vicinas civitates singulari hoc judicio fun-
ditus delevit, et Lothum cum familia mirabiliter eduxit sal-
vum: uti Petrus 2 Pet. II. expresse declaravit. Causa excidii
non fuit idololatria, cujus nec in historia, nec Ez. XVI: 49.
aut alibi ulla fit mentio, sed depravatio morum, non qualiscun-
que, verum universalis et summa, eaque incorrigibilis. Gen.
XVIII: 20. peccata Sodomae dicuntur *multa*, spissa, et gra-
via, et *clamor* eorum ad Deum traditur venisse, ut indicare-
tur, ea vindictam a rectore et judice universi postulare; qualia
peccata solent adpellari *clamantia:* additur, Deum ad *visitan-
dum* descendisse, more humano, instar justi et aequi judicis,
ut, ferri amplius, salva justitia, non posse, indicaretur. Qua-
lia vero fuerint, et ad quam venerint mensuram, cum ex col-
loquio Abrahami cum Deo ibid. c. XVIII: 24.—tum ex spe-
cimine c. XIX: 4.—facile colligitur. Priore loco, ubi ne *de-
cem justos* ibi inveniri traditur, corruptionem universalem esse
indicatur, non acsi nullus esset justitiae cultor, sed nullus ta-
lis, cujus gratia judicium differri, vel auferri debeat. Poste-
riore loco, cum Angeli duo, tanquam homines, essent a Lotho
in domum recepti, tota civitas Sodomae, *omnes viri*, habet
textus, *a pueris ad senes*, *universus populus ab extremo*, h. e
ad unum omnes, ut a Cl. Schultens jam est notatum, con-
currerunt, et viros eos postularunt, ut eos *cognoscerent*, sci-
licet tum praepostera venere, tum etiam quacunque alia vexa-
tione, vel ad mortem usque. Vid. Jud. XIX: 22. Coll. XX:
5. nec sese a scelesto proposito passi fuerunt ulla ratione di-
moveri. Cum enim Lothus, sese iis extra domum offerens,
blandis verbis eos demulcere tentaret, simul ipsas filias, satis
imprudenter, sed et desperabunde forte, obtulisset, majore ad-
huc correpti furore eum his verbis c. XIX: 9. repulerunt;

S incitator

incitator ulterius, cito curriculo temet apage (eam enim potestatem habet verbum נוע, cujus proprietas est *ciere*, cieri, h. e. celeri inpetu incitari vel incitare, inde accelerandi usus, nec tantum in accessu, sed et recessu: ut ad Jer. XXX. et alibi jam notavi) *unusne qui venit ad peregrinandum*, (unus hospes et peregrinus) *etiam judicabit judicando?* h. e. nobis et toti civitati leges ponet vivendi et agendi? hac enim ratione verba putaverim capienda. Quo ipso sese demonstrarunt incorrigibiles, cujus indicium in eo quoque fuit, quod generi Lothi, quibus filiae jam desponsatae erant, ipsum, de instante excidio eos admonentem, non sine contemtu repulerint, ib. 14. Addamus eorum descriptionem Ez. XVI: 49. *ecce haec fuit perversitas Sodomae, tumida elatio, satietas panis et oliquatio sidere faciens*, (prosperitas et securitas summa ac insolens, nulla Dei aut hominum habita ratione) *ipsi et filiabus ejus adfuit, et manum adflicti ac egeni non firmavit*, (nihil minus, quin potius contrarium, opprimendo eos. Negativa phrasis emphatica est, et contrarium involvit,) Denique 2 Pet. II: 7. *insolentium conversationem in lascivia* adpellat, et *opera legi* qualicunque contraria: Judas vero in Ep. 7. *abeuntes post carnem alienam*, seu peregrinam, a legitimo coitu abhorrentem; quae praeposterae veneris est descriptio, et παρὰ φύσιν, praeter et contra naturam, vocatur Rom. I.

§. CXXXIV. Bonitatis autem plane singularis haud unum signum dedit Deus in Lotho cum suis liberando, ut, pietatem ac probitatem sibi acceptam esse, et in hoc quoque seculo praemio non carere, palam in omnium oculos ingereret, quo Petrus l. c. respicit, ubi Lothum, tanquam eximie justum, et corruptionem grassantem deplorantem, ereptum fuisse dicit, indeque colligit, *Deum pios tentationibus subducere*. Triste uxoris fatum, quo *statua salis* dicitur facta, sive proprie et miraculose, sive figurate, quatenus protinus exspiravit, fulmine sulphureo suffocata, simul cumulus salis cum reliquis et ipso solo terrae facta, non disputo, ei contigit, non quod ulterius cum Lotho non fuerit progressa, sed retrogressa

sa ad locum, quem reliquerat, uti ipsa phrasis, *respexit uxor ejus a post ipsum*, scilicet discedens, et retro sese vertens, desiderio loci, unde abierat, extra se rapta, indicat, et Dominus Luc. XVII: 32. per seriem orationis haud obscure innuit. Alia ad Lothum, ejusque commercium cum filiabus pertinentia, postea, ubi de Moabitis et Ammonitis, exponam.

§. CXXXV. 2. Sed porrigit quoque sese stupendum hoc justitiae supremi Rectoris ac Judicis mundi specimen in futurum, eoque spectavit, ut civitates et societates, cujuscunque generis, sive foedere cum Deo junctae, sive non, hinc discant, quam sortem subiturae sint, si simili inficiantur corruptione, simul imaginem, et emblema, praeferret mundi, non ut antea per diluvium, sed ignem perituri 2 Pet. III: 7. Quo oculo hoc judicium intuiti sunt Prophetae, ad illud, ut modo observavi, saepe respicientes in propheticis suis interminationibus, ipse Dominus Luc. XVII: 28. et Apostoli Petrus 2 Pet. II: 6. et Judas vers. 7. ubi *ille* dicit, urbes eas subversas in exemplum impiorum esse positas, et *hic*, eas *exhibere instar ignis aeterni in incendio suo*. Qui verus verborum sensus est.

§. CXXXVI. Ad *Aeras* Exoticas antequam veniam, verbo hic notandum est, quod ad Historiae Sacrae illustrationem ex monumentis exoticis pertinet. Veterum Gentilium testimonia de Abrahamo, Isaaco et Jacobo prostare apud Euseb. Praep. Eu. l. IX. Berosi scilicet, Eupolemi, Artapani, Melonis et aliorum, sed Nic. Damasceni apud Jos. Ant. I. Memoria quoque Abrahami tres angelos hospitio excipientis, ac promissi de filio Isaaco, in fabula Hyriei et Orionis satis nota, ex Palaephato et Ovidio Fast. l. V. aliisque, superesse censetur, levi licet fundamento, sicut, forte solidiore, Isaaci, a Patre offerendi, ex Zanchoniatone et Philone Byblio apud Eus. l. c. lib. I et III. licet interpolato. Chronus, etiam Israel adpellatus, Phoenicius, obtulisse fertur filium *unicum*, ex Nympha procreatum, dictum Ἰεοὺδ יחיד *unicum*, pro salute populi.

§. CXXXVII. Incidit in hanc periodum *aera* Graecorum,

 inter

inter quos regna narrantur condita, uti Argivum, Atticum, et Boeoticum, ne de Sicyonio, superiore periodo, ut putatur, condito; dicam, quippe serioris temporis, cum Graeci Phoroneo non norint antiquiorem, praeterea sublestae fidei, quoad successionem regum apud Euseb. in Chron. Sunt quidem Graecorum res ante aeram Olympiadum, de qua postea, valde obscurae et incertae, solentque tempora illorum distingui in incerta, fabulosa et historica, quae cum aera illa incipiunt: attamen memoria eorum sese ulterius extendit, et Graeciae regna sunt antiquiora. Regum autem catalogi ex Castore Rhodio, qui Galata fuit, et sub Julio Caesare floruit, Pausania, Hygino, et aliis descripti sunt a Julio Africano et Eusebio in Chron., quorum aliquam dabo notitiam. Antiquissimum est *Argivum*, in Peloponneso ad sinum Saronicum, ubi est Argeia, seu Argolis, cujus conditor fuit, ut traditur, Phoroneus, seu pater ejus Inachus, sed anni ab illo putantur. Fueritne AEgyptius, an Phoenicius, dubium est, sed nomen redolet Phoenicium, quippe idem ac *Enak*, unde filii *Enack* ענק in Script. S. noti. Inacho successit filius *Phoroneus*, pro primo habitus hominum, quia homines in societates et urbes congregavit, ipsisque leges dedit: successit ipsi filius *Pelasgus*, unde Pelasgorum nomen, apud Graecos celeberrimum. De *epocha*, seu tempore regni conditi, diversa viget traditio. Tempori Mosis adligarunt communiter Veteres, sive Gentiles, sive Judaei, sive Christiani, de quo vid. Pezron. in antiq. temp. restituto. Sed Eusebius ad tempus Isaaci retulit, castigatus propterea a Syncello. Synchronismus rerum si numerorum, in quibus error facilis est, foret praeferendus semper, Eusebii seponenda esset opinio: quam tamen magni viri tuentur, uti Scaliger, Petavius, Marshamus, alii. Eusebius vero ex Castore Rhodio annos a Phoroneo ad Danaum numerat 332, ab Inacho ad Agamemnonem, seu excidium Trojae, seu annum P. J. 3505, annos 675, secundum quos calculos epocha regni figenda est in anno P. J. 2872. Duravit successio per plusquam 500 annos, quando ad Micenaeos translata est, licet

non

non continua ferie: Argivorum enim continuavit per ann. 332 usque ad Danaum; qui, tempore exitus Israelitarum ex AEgypto, sibi a rege AEgypti metuens, aufugisse cum 50 filiabus traditur in Graeciam, anno Aer. Att. 72, secundum Euseb. vero 82, quod nostro calculo est convenientius: cui mox regnum Argivum, expulso ultimo rege Gelanore, delatum est. Filiae vero ejus, ut Argivis arctius inmiscerentur, maritos suos occidisse narrantur, una excepta Clitemnestra. Ceterum tempore Phoronei, vel Inachi, celebre illud contigit diluvium Ogygicum, cujus descriptio maxime respondet universali apud Mosen, unde desumta est. Ogyges nimirum, Inacho jam in Peloponneso regnante, regnum cogitabat struere in Attica, jam condita Eleusine: sed molimina ejus per diluvium, inde Ogygicum dictum, disturbata sunt. Incepit vero Ogyges, secundum Eusebium in Chron., ann. 547 ante Trojae excidium, adeoque Per. Jul. 2935.

§. CXXXVIII. De Regno *Attico*, a Cecrope condito, antequam differam, nonnulla de primis Atticae incolis praemittenda sunt. Fuerunt Javanis, Gen. X. memorati, posteri; unde Ἴων, יון, et Ἴωνες adpellati sunt, vel Ἰάονες, Jones. Sed ipsi, ut antiquitatem suam jactarent terrae aequalem, se nominarunt αὐτόχθονας, γηγενεῖς, *in terra natos*, nec non τέττιγας *cicadas*, insecta ex ipso solo credita progigni. Ipsum nomen γραικος, unde *Graecus*, *antiquum* quoque exprimit; est enim γραιος *antiquus*, unde γερας, γεραιος. Verum ἕλληνες antiquitus, tempore Homeri, vocati sunt proprie illi, qui Thessaliae urbem, ἑλλαδα, incolebant, quare Thessaliam designat apud Homerum, quod nomen Pelasgis originem suam debet, quippe qui *Selli* fuerunt dicti, habitantes circa fluvium Acheloum; ab ἕλλοι enim sunt *selli*, ut ab ὁλὸς *solus*. Cum vero Hellenis progenies inclaresceret, nomen illud ad Graecos in genere transiit. *Atticā* vero olim dicta fuit κραναά ob soli *asperitatem*, κραναὸς enim exponitur τραχὺς asper, sterilis; quae ejus soli est indoles. Dein *Atticae* nomen accepit ab ἀκτᾶια, et ἀκτῇ *littore*, ab ἄγω, ἄγνυμι *frango*, quia fluctus frangit.

 §. CXXXIX.

§. CXXXIX. Conditor regni fuit Cecrops, vir maximi et solertissimi ingenii, unde fabula, eum supra esse *hominem*, infra *serpentem*. Dictus quoque fuit διφυής, forte quod AEgyptius, simul Graecus, haberetur, utique origine fuit AEgyptius et coloniam AEgyptiacam, in specie *Saitarum*, duxit in Atticam: unde etiam *Minervae* cultus, qui inter Saitas vigebat, ad Atticos transiit, et ipsum, nomen ἀθήνη *Athenae*, quia Minervae, cujus nomen erat ἀθήνη, sacra erat urbs; sed quod nomen non nisi Thesei tempore accepit, qui novam urbem adjecit *arci*, quo nomen plurale ἀθῆναι *Athenae*, urbem et arcem comprehendens, respicit. Cecrops vero *arcem* tantum condiderat, quae inde *Cecropia* fuit dicta, postea ἀκρόπολις, imo eximie etiam sola πόλις *urbs*. Nomen nacta est urbs a *Minerva*, sicut a Jove διόσπολις *Diospolis*, a Neptuno ποσειδωνία *Posidonia*, a Junone ἥραιον *Heraeum*, ab Hercule ἡράκλεια *Heraclea*. Nomen vero ἀθήνη est AEgypt. νηιθ, quae, a dextra ad sinistram lecta, est θηιν: νηιθ autem fuit nomen Isidis, quae est Minerva. Ceterum Cecrops, vir sapiens et prudens, Graecos, ferinam degentes vitam, ad humanitatem revocavit, in societatem collegit, leges et religionem iis dedit.


§. CXL. De *tempore* conditi regni quod aliquid certe possit statui, acceptum ferendum est Marmoribus, dictis *Arundelianis* a Toma Arundeliae Comite in Anglia, qui ea reperit, et cujus posteri reposuerunt in Academia Oxoniensi: sed ea una cum Seldenianis etc. publicavit H. Prideaux, suis, Seldeni, et Lydiati adjunctis notis: quae quantivis sunt pretii. Alio autem nomine adpellatur marmor *Parium*, ab insula *Paro*, una Cycladum. Series vero Archontum facta est Archonte Pario Astynacte, cum Archon Atheniensis esset Diognetes, uti marmor ipsum tradit; a quo tempore retro supputantur epochae: est autem series regum a Cecrope ad tempora Ptolomaei Philadelphi. Secundum haec marmora Cecrops regnare incepit ann. Per. Jul. 3132 circa tempus nati Aaronis; inchoavit enim aeram 86 fere ann. ante exitum Israelitarum.

§. CXLI. Ceterum, ut id obiter moneam, tempore Cecropis

regnavit

regnavit Deucalion apud Parnassum in Lycoria, 8 ann. post initium Cecropis, teste marmore Oxon. Fuit Deucalion filius Promethei, filii Japeti, filii Ourani, qui antiquissimus est in serie Heroum: fueritne AEgyptius, an Schyta, dubium est, et autores dissentiunt. Vid. Prideaux ad Marmor. qui genealogiam ejus in tabella exhibet.


§ CXLII. Ultimum regnum, cujus mentio facienda est, fundatum fuit in Boeotia a Cadmo, origine Phoenicio, ut probabile fit, cum ex nomine, a קדם, quo ipse cum sociis fuit insignitus, quod *orientales* essent, tum ex litteris, quas in Graeciam intulit, nominibus et figuris Phoeniciis. Cadmus, uti habet traditio, cum Agenor, rex Phoeniciae, filiam suam Europam raptu perdidisset, missus, ut sororem quaereret, addita interminatione, ne faciem Patris ante videat, quam eam invenerit, eam nusquam detegere valens, haesit in Boeotia et Thebas ibi condidit, regnique jecit fundamenta; ann. Aer. Att. 62, Per. Jul. itaque 3195. Ceterum de Cadmo, ejusque successoribus, vid. ex Veteribus Pausanias in Boeoticis, Apollodorus lib. III., Diod. Sic. l. IV., Eustath. ad Hom. Il. B.





PERIODUS QUARTA.

AB EXITU ISRAELITARUM EX AEGYPTO AD TEMPLI SALOMONIS FUNDATIONEM ANN. 648.

§. CXLIII. 

Historiae ex libris Mosis post Gen., Josuae, Judicum et Samuelis, petendae, quam omnibus arbitror satis notam, summa huc redit. Israelitae gravi servitute et adflictione pressi, et sub ea gementes, a Deo, foederis cum Patriarchis memore, fuerunt per Mosen, exserta manu, post tremenda judicia AEgyptiis inflicta, quia populum dimittere obstinate recusabant, educti, per mare Rubrum exsiccatum, quo AEgyptii suffocati sunt, in desertum Sinai, ubi in peculiarem Dei populum, solenni legislatione et foedere, formati sunt, sed simul ob rebellionem in Deum oberrarunt 40 annos, donec omnes, supra 20 annos viri, cum AEgyptum deseruerunt, nati, exceptis Josua et Calebo, morte fuerunt e medio sublati. Dein in Cananaeam per medium Jordanis, Duce Josua, introducti, incolas omnes vel bello trucidarunt, vel sibi subjecerunt, terras singulae tribus suas in perpetuam possessionem sorte, vel distributione Josuae, acceperunt. Verum, Josua et Senioribus defunctis, varia subierunt fata, laeta vel tristia, prout vel Dei leges observarunt, vel violarunt per multiplicem idololatriam, ita ut modo ab

ab his illisve vicinis populis fuerint oppreſſi, modo per Judices a Deo ſuſcitatos, in libertatem vindicati: donec, Judicum et regiminis Dei pertaesi, petierint *Regem*; quem primum nacti ſunt *Saulum*, bonum in initio, et hoſtium debellatorem ſtrenuum, ſed poſtea malum, et in Davidem tyrannum, propterea per Philiſtaeos devictum, et occiſum. Cui ſucceſſit, divino juſſu, David, Deo uſque ad finem vitae acceptus, et magnis promiſſis de regno in progenie ejus continuaturo, et Meſſia ex ipſo naſcituro mactatus, qui, omnibus populis vicinis ſubjugatis, regnum reddidit pacatum, divitiis plenum et proſperum, donec adulterii et homicidii crimine manum Dei caſtigatricem in ſe provocavit, qua et domus, et ipſe, coram Abſolomo ad tempus fugiens, et regnum varia ſubiit mala. Pie defuncto ſucceſſit, Deo expreſſe dirigente, Salomo filius ejus, Templi fundator et aedificator.

§. CXLIV. Hiſtoriae illuſtratio, quae *prima* eſt tractationis pars, ut facilior ſit, *tria* intervalla diſtincte ſunt conſideranda, *primum* ab exitu Iſraelis ad introitum in Cananaeam, *ſecundum* inde uſque ad regnum introductum, *tertium* ad Templum fundatum. Primi intervalli hiſtoria cum ex quatuor libris, qui cum Geneſ. conſtituunt, ſic dictum, Pentateuchum, Exod., Levit., Numer. et Deuteron., petenda ſit, de autore eorum paucis, pro more, diſſerendum videtur, eo tantum ſcopo, ut ſententiam exponam, et adſtruam; aliorum opinionibus ſuo relictis loco. *Materiam* quatuor horum librorum, de Geneſi enim ſupra ſuo loco egi, a Moſe ipſo fuiſſe litteris conſignatam, hae mihi perſuadent rationes. 1. Leges, in his libris occurrentes, litteris fuiſſe a Moſe mandatas, praeterquam quod res ipſa illud requirat, cum ſine ſcripto conſervari non potuerint, nec alius ad id eſſet aptior, diſerte illud de legibus jam tunc latis Ex. XXIV: 4, 7. traditur; quod idem, poſtquam multae aliae de Tabernaculo et Sacerdotio eſſent latae, repetitur, Ex. XXXIV: 27. Sic et *verba legis ſcripta in libro hoc* memorat Moſes Deut. XXVIII: 58. imo legem totam cum omnibus interminationibus et promiſſis ibid. v. 61. uti et c.

XXIX: 20. nec non c. XXXI: 9. ubi praelectionem praecipit feſto Tabernaculorum faciendam. Conf. etiam Joſ. I: 7, 8. Robur addit, quod Moſes de Chriſto dicatur *ſcripſiſſe* Joh. V: 46. et Sadducaei tradant, Moſen ſibi *ſcripſiſſe* Marc. XII: 19. Quo etiam facit, quod canticum Deut. XXXII. ipſi tanquam ſcriptori tribuatur. 2. Hiſtoricam horum librorum partem eundem habere autorem, non tantum ex mandato Dei Ex. XVII: 14. de bello Amalekitico conſcribendo a Moſe praeſumitur, cum inde ad reliquos caſus ſcribendos colligi potuerit, ſed et ex ſuperioribus, de legibus ab ipſo ſcriptis, ſponte fluit, cum leges variis fuerint latae temporibus, et in diverſis circumſtantiis, ſine quibus vix ſcribi aut intelligi potuerunt, ut ſequens docebit tractatio: denique ex Num. XXXIII: 2. ubi Moſes *conſcripſiſſe* dicitur *profectiones et exitus*, ſeu itinera et ſtationes, manifeſtum eſt, ut puto, hiſtoriam populi in deſerto eum habere autorem; referri enim illud non debet ad compendioſum itinerum catalogum, ibi recenſitum, a quo diſerte diſtinguitur, cum mox ſubjungatur, *hae ſunt profectiones* h. e. haec eſt earum ſummaria recenſio. De quo poſtea ſuo loco.

§. CXLV. Quod vero ad *formam* adtinet, quam libri illi habent, negari quidem nequit nonnulla in illis occurrere, quae non a Moſe, ſed Scribis ſequentium temporum profecta ſunt, qualia ex. gr. ſunt, praeter ultimum cap. Deut., ubi Moſis mors et ſepultura narratur, uti paſſim agnoſcitur, nomina recentiorum temporum, et nonnulla illuſtrationis cauſa inſerta, quae poſtea ſub manus venient, uti Ex. XVI: 35. Coll. Joſ. V: 12. et Ex. XXXII: 16. nec non Num. XII: 3. ubi Moſis manſuetudo extollitur ſupra omnes homines. Quale elogium ipſe utique ſibi non dediſſet. Sed, his non obſtantibus, forma horum librorum pro breviario prolixiorum commentariorum a Scribis poſtea confecto, habenda non eſt, verum Moſi ipſi, tanquam autori, adſcribenda. Nulla non tantum eſt ratio Moſi hos libros abjudicandi, quod vero de ſe in tertia perſona loquatur, cum aliis hiſtoricis, ut Xenophonte, Joſepho,

Josepho, J. Caesare, aliis, habet commune, sed est, quae ipsum requirit autorem potius, quam alium. Adpellatur utique *liber Mosis*, uti Ezr. VI: 18. Neh. XIII: 1. et alibi, et historia est ad circumstantias, in quibus Moses erat cum Israele in deserto, adcommodata: continet legum occasiones, uti inciderunt, repetitas et interruptas admonitiones, ac legum lationes, etc. Illud forte admitti potest, Mosen variis schedulis omnia conscripsisse, easque postea in unum volumen fuisse digestas, uti Moses ipse fecit in libro Genes. Ex qua hypothesi aptior reddi potest ratio variarum repetitionum, et explicationum additarum, nec non variationum in nominibus et rebus nonnullis. Quae latius non juvat deducere.

§. CXLVI. In *primo* intervallo, ut ad historiam pergam, ipse egressus occurrit una cum circumstantiis, dein transitus per Mare Rubrum, denique mora 40 annorum in deserto Arabiae. Cum de statu servili et adflicto Israelitarum in AEgypto, liberationis occasione, exposuerim ad praecedentem periodum, ipsum *egressum*, respectu *modi* et circumstantiarum *temporis* ac *locorum*, illustrare mox adgredior; posteaquam de Mose, duce populi, et ministro Dei, dixero, non ut vitam ejus fusius enarrem, quod hujus non est loci, et aliunde facile petitur, sed nonnullis tantum observatis eam, aliquibus in partibus, illustrem. 1. *Primum* est, ipsum ex Amramo, filio Kehati, filii Levi, et Jochebeta, filia ipsius Levi, fuisse natum, ut supra jam notavi, adeoque *quartam* constituisse generationem eorum, qui in AEgyptum venerunt; natum 80 ann. ante exitum Israelis Exod. VII: 7; saeviente jam aliquandiu adflictione Israelis in AEgypto; uti ex nativitatis ejus historia Ex. II. patet, et populo jam, per idololatriae AEgyptiacae et morum communionem, haud parum corrupto, uti ex Jos. XXIV: 4. Ezech. XX: 7. XXIII: 3, 19. et variis tempore morae in deserto signis, in vitulo aureo, ac murmurationibus, satis constat.

§. CXLVII. 2. *Secundum* varia continet signa prognostica destinationis ejus ad illustrissimum, ac gravissimum *munus*, ad quod divinitus deinceps vocatus est. Quorum α *primum* est

 mirabilis

mirabilis ejus per filiam Pharaonis ex aquis eductio, eamque secuta regia educatio in aula Regis AEgypti. Exod. II. Animum enim hac ratione non tantum induit generosum et magnanimum, sed et eruditus in omni genere sapientiae AEgyptiacae, ut est Act. VII., fuit, cujus partes jam antiquitus fuerunt, medicina, Gen. L: 2. Chemia, cujus ope vitulum aureum in pulverem redegisse censetur, politia, et Theologia emblematica. De quibus viri Docti abunde exposuerunt. β. *Secundum* est in ipso nomine *Mosis*, ipsi, non sine singulari Dei directione, occasione liberationis ejus ex aquis, dato Exod. II. Nomen, ut mentem simpliciter explicem, quidem ipsi ab ipsa filia regis fuit datum, adeoque AEgyptiacum, *μωυσῆ*, ex מו vel מוי *aqua*, et *ες* vel *υσης liberatum*, vel *servatum* denotans, uti Jos. Ant. II. Philo vit. Mos. et Clem. Alex. Strom. I. tradunt, attamen Hebr. linguae, olim ab AEgyptiaca non tam longe diversae, consonum; quae מים *aquam* et נשא capere, *tollere*, vel הושע *servatum* agnoscit, et in Hebr. formam, cum Moses redditus est Israelitis, flexum, indeque ortum משה *Mosis*, cujus rad. proprie dicit *tergere manu fricante*, extergere, inde ex aquis *extrahere* cum abstersione, et sic *recreare*, unde nomen, Mosi inditum, emphatice denotat *extersum*, vel ex aquis extractum ac refocillatum. Vid. Schult. ad Prov. XVII: 13. vel, si forma sit nominis, *extersionem*, sive passive, sive active sumtam, ita ut et ipse fuerit *extersus*, et extersionis causa vel medium; quo posteriore sensu ad Israelitas per ipsum ex aquis adflictionum eductos et recreatos referri, adeoque signum liberationis futurae praeferre, potest.

§. CXLVIII. γ. Ipsa pulcherrima Mosis forma, quae et parentes et filiam Pharaonis ad eum servandum movit Ex. II. celebrata quoque a Stephano Act. VII. et exteris, ut Justin. XXXVI, fuit, inter ea signa locum habere potest, cum pro virtutis, sapientiae et Majestatis signo haberi soleat, et reverentiam ac gloriam conciliet. δ. Huc quoque omnino pertinet, *percussionem* Israelitici viri ab AEgyptio, sive *caedem*, uti

ver-

verbum eodem Ex. II. loco sumitur, fuisse a Mose, ad populum suum visitandum exeunte, nece percussoris vindicatam, non sine Divino instinctu, et in signum liberationis Israelitici populi per ipsum, notante Stephano Act. VII. Quod licet facinori ejus sufficit justificando, addi tamen potest, eum convenienter legi AEgyptiorum id fecisse, quippe quae, tradente Diod. Sic. l. I., sub poena mortis jubebat, vel vindicare occisum, vel vim patientem, si pote, liberare.

§. CXLIX. 3. Divina ejus ad arduum hoc munus *vocatio*, cum efficace persuasione, qua volens nolens ad illud suscipiendum permotus est, hoc non solum nomine nostram meretur adtentionem, sed et eo, quod, ne alia memorem, Deus ipsi varia dederit divinae suae vocationis, ac populi per ipsum liberandi, signa. Quorum *primum* sese in *palma*, vel *rubo* ardente, nec aliquid ab igne damni ferente, conspiciendum praebuit Ex. III. Fueritne *palma*, uti disputavit Verestoi in Disput. Academ. inserta Thesauro novo Ikenii etc. an *spina* et rubus, uti Hasaeus in peculiari Differt., nobis nunc perinde est, nec inquirere lubet; scopum et conspectum visi verbo dedisse contentus ero; cum passim in eo aberretur, dum ad Israelem, in AEgypto adflictum, refertur. Ignis enim praesentiam Dei in medio populi simpliciter repraesentat, instar *ignis*, populum illustrantis, ac hostibus terrorem incutientis; et cum Gen. XV. tum Ex. XIX. et XXIV. respondet manifeste; adeoque eo tendit, ut ex hoc *signo* cognosceret et convinceretur Moses, Deum ipso eo in loco sese in simili symbolo manifestaturum Israeli, et foedus cum eo pacturum. Quo nos collatio locorum citatorum, nec non loci *sanctificatio* Ex. III: 5. memorata, denique nomen *signi* vers. 12. clare ducit. *Signum* enim ibi non est *promissum*, ut putatur, de Jehova eo in loco colendo, sed ipsa rubus ardens. Habuit itaque *ignis* in rubo idem mysterium, quod *ignis* in monte Sinai, tempore legislationis, cujus hoc signum fuit praenuncium.

§. CL. Hoc viso, quo de proxima populi liberatione certior fieri poterat, nondum contentus, novo *nomine*, a Deo ad-

 sumto,

sumto, ulterius fuit confirmatus. Exod. III: 13—*Rogabunt me*, inquit, *de nomine tuo* Israelitae, in generali titulo *Dei Patrum* non acquiescentes: h. e. cum varia nunc sint Numina, propriis insignita nominibus inter AEgyptios, populus quoque Israelis sit rudis ac ad idolorum cultum abstractus, scire volet, quodnam illud sit Numen, quod Patres coluerunt, et ex quo illud patescat signo? Ad quam quaestionem Deus 1. indirecte respondet, non tam adoptando nomen, quam generali titulo relationem suam ad populum, et virtutem veracitatis suae, exponendo, vers. 14. cujus sensus est: quid nomine proprio opus est? suffecerit dixisse populo, me esse illum, *qui ero quod ero* h. e. qui, quod me futurum esse dixi ac promisi, praestabo. Revocat itaque Mosi et populo in memoriam promissa, *Patribus*, Abrahamo scilicet, Isaaco et Jacobo, facta, seseque ea nunc inpleturum adserit. Sed, ut inbecillitati Israelis succurreret, seseque ad morem humanum ac receptum adcommodaret, mox 2. nomen proprium יהוה *Jehova* v. 15. adsumsit, sed tale, in quo virtus generalis illius tituli conspicitur, ut populus in eo nomine simul signum et pignus haberet suae liberationis, seu inplementi promissorum. Denotat enim *erit*, et ad promissa ipso facto praestanda respicit, ut idem sit ac *erit* qualis *erit*, seu se futurum pollicitus est. Ex quo simul eluceseit, hoc nomine Deum antea non fuisse insignitum, sed tunc coepisse, quum promissa erant inplenda, adeoque habere conspectum *signi memorialis* in *perpetuum* uti v. 15. nec non Hos. XII: 6. et alibi expresse traditur. Quod Deus ulterius confirmat, ubi c. VI: 3. declarat, se Patribus illis conspiciendum praebuisse nomine אלשדי *Elschaddai* ut est Gen. XVII: 1. *sed nomine Jehovae ipsis non innotuisse*, virtutis ejus seu veracitatis in promissis inplendis respectu non tantum, sed et ipsius *nominis*, quippe cum ea connexi; ita ut nomen Deo non ante conveniat, quam actu vim ejus praestet. Occurrit quidem in libro Genes., sed per anticipationem a Mose schedulis Patriarchalibus insertum, quod antea me observasse memini, cujus etiam in eo est indicium, quod personae et loca,

quibus

quibus nomen Jehovae legitur inditum, non illud, sed אל vel אלהים praeferant. ex. gr. coeptum dicitur Gen. IV: 26. *de nomine Jehovae adpellari*, sed vocati sunt filii אלהים *Dei* Gen. VI: 2. Sic et Hagar *nomen Jehovae* vocavit, tu אל ראי *Deus videns me*, et locum adpellavit *Deum vivum* videntem, seu אל חי ראי. Gen. XVI: 13, 14. Jacobus, licet dixisse feratur *Jehova est in hoc loco*, nomen traditur loco dedisse בית-אל *Bethelis* Gen. XXVIII: 15, 28. Alia mitto. Plura de augusto hoc nomine protulisse, nihil adtinet, cum non sit hujus loci.

§. CLI. Hac remota difficultate, novam mox movet Moses, e populi incredulitate petitam, tanquam ad proprium testimonium sibi non credituri. Cui ut Deus succurrat, duo jussit patrari ab ipso signa, addito mandato ea coram populo renovandi: quorum prius fuit baculi in serpentem mutati, et mox in pristinam formam restituti, posterius manus in sinum immissae, ac lepra infectae, et reductae in sinum, ac ab ea purgatae. Quae sicut in genere de divina Mosis missione testantur, simul Israelem de divina potentia, adeoque possibilitate liberationis convincere poterant, ita quaevis mala in specie ob oculos ponere videntur, quae tum AEgyptios ferirent, si populum detrectarent dimittere, tum etiam Israeli inminerent, a Deo se praestarent inmorigeros. *Serpentes* enim et *lepra* pro plagis divinis, exempli gratia memorantur. Tandem cum Moses inciperet missionem directe deprecari, dicendo c. IV: 13. *mitte quaeso per manum ejus quem mittes*, h. e. quemvis alium mitte (id enim phrasis denotat, uti 1 Sam. XXIII: 13. 2 Sam. XV: 20.) tardiloquentia etiam sua praetensa, Deus, ipsius tarditati ac timiditati succurrit, promittendo Aaronem, fratrem majorem natu, et disertum, ipsi fore adjutorem c. IV: 19. adeo ut Aaron ipsius *os* foret, ipse ejus *Deus*, v. 16. quo nihil aliud significatur ac ipsum nomine Dei Aaroni facienda vel dicenda injuncturum, et Aaronem ea executurum.

§. CLII. Vocatio, ad montem Sinai facta, mox altera vice non tantum repetitur in terra Midian, v. 18. ansam praebente

 mora

mora Mosis, reditum in AEgyptum metuentis, ut v. 19. innuitur, quippe ubi Deus ipsum hac parte ab omni metu liberat: sed et tertia vice cum jam esset in itinere, haud procul tamen a monte Sinai, ut ex v. 27. fit probabile. Quo tempore. 1. Deus Mosi revelavit, Pharaonem post omnia portenta cor induraturum, donec audierit et expertus fuerit *primogeniti* sui mortem; quem sensum, quod observo, fundunt verba Dei ad Mosen cap. IV: 21— Ex quo simul ratio patet, quare Israel *primogenitus* Dei adpelletur; quia *primogeniti* Pharaonis mors erat memorata, in poenam infligenda, quod Israelem, primogenitum Dei, dimittere recusaret; Israel vero ad Deum eandem habeat relationem, quam primogenitus Pharaonis ad patrem, cujus haeres foret in regno 2. Duo ipsi occurrunt casus, unus respectu filii, non circumcisi, alter occursus Aaronis. Prior plane singularis fuit, et ad signa quoque liberationis populi referri poterit, quare ejus conspectum verbo dabo.

§. CLIII. Casus est, quo periculum mortis, ab Angelo infligendae, incurrit in diversorio, et subitanea filii *circumcisione*, quam ipse neglexerat, per uxorem facta, evasit; Exod. IV: 15, 26. Qui casus ipsum admonuit, operam ipsi esse dandam, ut Israel, tanquam *filius Dei* primogenitus, a Deo nunc vindicandus cum morte primogeniti Pharaonis, uti praecesserat, *circumcideretur*, eaque ratione sese foederatum Dei demonstraret, cum *circumcisio* foederis Dei cum Abrahamo, ejusque semine, esset signum. Gen. XVII. sub poena mortis ipsi injunctum. Voluit itaque Deus, ut Israel ante *circumcideretur*, quam ex AEgypto educeretur, sicut, in deserto circumcisione omissa, eam subire debuit Cananaeam occupaturus Jos. V: 7. Quid vero verba Tsipporae Ex. IV: 25. *tu mihi sponsus sanguinum*, sibi velint, difficile explicitu est, nec hujus loci. Illud verbo tantum observo, eam ipsum *praeputium*, jam abscissum, adloqui, uti cum ex praeputio ante pedes Mosis misso, tum ex vers. 26., ubi de praeputio eam loqui traditur, liquet. Sensus esse videtur, si lectio חתן *sponsus* sana sit, medio praeputii,

putii, ſanguine fuſo, abſciſſi, Deum ſibi deſpondere velle populum, ſicut nunc Moſes vivus relictus, et de novo ipſi datus fuit maritus.

§. CLIV. Demus nunc *muneris*, Moſi injuncti, et *perſonae*, quam in Iſraele geſſit, conſpectum. Triplex licet munus, *Propheticum*, *Sacerdotale* ac *Regium*; ei aliqua poſſit aptari ratione, quatenus nonnulla trium munerum officia et actus praeſtiterit; uti *prophetici* in populo inſtituendo, lege explicanda ac inculcanda, populo per quaevis motiva ad legem obſervandam compellendo, ac fatis laetis ſeu triſtibus praenunciandis, quare *prophetae titulo* quoque fuit inſignitus Deut. XVIII; praeterea *ſacerdotalis*, ſi non ſacrificia offerendo, de quo non conſtat, utique in precibus pro populo fundendis, quod frequenter fecit, eique ſolenniter benedicendo Deut. XXXIII. denique *regii*, in populo liberando, ducendo, defendendo, legibus ornando et judicando; uti nemini non in promtu eſt: attamen, licet haec omnia vera ſint, nullum ei proprie loquendo, ſecus ac vulgo putatur, convenit, ne nomine tenus quidem datur. Audit quidem *propheta*, ſed longe eminentiore ſenſu, quo reliquorum prophetarum ordine eximitur Deut. XXXIV. quatenus cum Deo fuit familiariſſime, ut amicus cum amico, converſatus, ejuſque intimum ac primarium miniſtrum honoratiorem egit, Num. XII., in voluntate Dei cum populo communicanda, et nomine Dei omnia agendo, populoque in ſocietatem civilem ac religioſam formando, uti conſtat. *Sacerdotis* vero titulo nuſquam ornatur, nequidem Pſ. XCIX. ubi כהן adpellatur; illud enim nomen ibi, ſicut et alibi, interioris admiſſionis virum, miniſtrum honorarium et familiariſſimum, deſignat: uti ad Pſ. obſervavi; ſic nec uſquam *Regis* nomen ipſi datur; Deut. XXXIII: 5. *Deus* per *regem in Jeſchurun* intelligendus eſt, uti in Diſſ. S. l. I. c. 3. p. 46. nov. edit. demonſtravi. Eſt quoque haec perſona a Moſe alienior, quia Deus ſolus fuit *rex* Iſraelis, regimen vere Theocraticum, Moſes vero ejus primarius miniſter, et vicarius. Quae itaque vera perſona eſt, quam Moſes geſſit, relate ad Deum, quare

Deus Ex. IV. adpellatur, et *servus Dei in tota ejus domo fidelis* Num. XII et Heb. III. Hoc ejus σχῆμα *schema*, seu habitus est, quo sese in omnibus actionibus et gestis conspiciendum, et dijudicandum praebuit; uti in Ep. Jud. vers. 9. habetur, si ibi pro σώματος, cui nullus, qui satisfacit, dari potest sensus, legere liceat σχήματος. Verum si simul relate ad populum Israelis consideretur Moses, pro ejus Duce, intercessore et judice, recte habetur, adeo ut Dei nomine omnia egerit apud populum, et populi rursus nomine apud Deum. Quare *Mediatoris* persona ei recte aptatur, uti Gal. III. diserte adpellatur, qualem sese in foedere Sinaitico erigendo Ex. XXIV. solenniter praestitit.

§. CLV. Plura de Mose, ejusque indole, pietate et virtute omnigena, in specie modestia, superbiae contraria, qua excelluit Num. XII: 3. licet ab omni infirmitate et vitio non libera, gestisque, cum nihil adtineat dixisse, de morte et sepultura verbum suffecerit addidisse, respectu *temporis*, *loci et modi*: Defunctus est annos natus 120, Deut. XXXIV: 7. anno 40mo morae Israelis in deserto. *Locus*, ubi vitam cum morte commutavit, est mons Nebo, et collis Pisgha Num. XXVII: 12. Deut. III: 27. e regione Hierichuntis Deut. XXXIV. Denique mortuus legitur *secundum os Dei* h. e. jussu Dei, qui ipsum ante ingressum populi in Cananaeam mori voluit; uti constat, sed et ibi a Deo *sepultus*, absque ut *sepulchrum* ejus innotuerit. Qui cum singularis plane fuerit mortis et sepulturae modus, ansam praebuit, et praebere potest, cogitandi, Mosen, ut alterum Henochum et Eliam, fuisse e vivis sublatum, et divino quasi tumulo conditum, seu in coelum sublatum; cui robur addere videtur, quod una cum Elia fuerit Christo in monte manifestatus Matt. XVII. Sed illud suo loco relinquamus.

§. CLVI. Hisce de Mose praemissis, ad *egressum* Israelis ex AEgypto narrandum accedo. Ad *modum* egressus tria pertinent observata. 1. *Primum* est, Israelem a Pharaone non fuisse dimissum, nisi post multas plagas, divinitus ad Mosis declarationem

claratιonem inflictas, quibus regnum AEgypti varie est adflictum, idololatria et superstitio magica prostituta, Jehovae, Dei Israelis, Majestas, potentia et justitia luculenter demonstrata ac vindicata. Quae plagae, decem numero, his versibus, in memoriae gratiam, comprehensae, exstant.

Prima rubens unda, ranarum plaga secunda.
Inde culex tristis, et musca nocentior istis.
Quinta pecus stravit, antraces sexta creavit.
Post sequitur grando, post bruchus dente nefando.
Nona tegit solem, primam necat ultima prolem.

Quarum plagarum intellectum et scopum, cum vario effectu, quem in Pharaone habuerunt, cum institutum non patiatur tradere, uno alteroque defungar observato. 1. Prima tria signa, baculi in draconem conversi, aquarum in sanguinem, et ranarum, etsi Deus permiserit, ut Magi AEgyptiorum per artes fraudesque Magicas, oculos spectantium *praestringentes* (quam significationem habet להט Ex. VII: 11. proprie, *percussit pressa manu*, flixit vehementius, unde inter alia ad praestigias transfertur, quibus oculi vehementi flictu quasi praestringuntur, uti apud Lat. *ferire oculos*) variisque offuciis rem involventes ac dolos conglutinantes, coloremque inducentes (quae est alterius vocis לאט et לט ibid 22. et VIII: 3. potestas a propria *adglutinandi*, obducendi et oblinendi) fuerint specie tenus imitati, curavit tamen, ut veritas miraculorum Mosis fuerit in lucem protracta, ac praestigiae Magorum prostitutae, cum, quod baculus Mosis absorpserit Magorum, tum, non aliqua aqua, ut Magi fecisse videbantur, sed omnes per AEgyptum in sanguinem versae sint per Mosen, et pisces mortui, nec una alterave rana, ut per Magos, sed inmensa earum producta per Mosen copia, tum denique per solum Mosen plaga ranarum fuerit ablata. 2. Quartam plagam pulveris in pediculos, aut similia noxia insecta, ut culices (vox כן est paulo generalior, et in genere dicit, quicquid calido fotu producitur aut vegetatur, a כנן *calido sinu tectum fovere* ac vegetare) conversi, cum Magi praestigiis non poterant imitari,

 vim

vim tamen demonstrationis eludere conati sunt, dicentes *digitum Dei*, seu Numinis superioris, insinuatum voluerunt, Mosen tantum ab aliquo Numine tanquam instrumentum adhiberi ad AEgyptios aliqua adficiendos plaga; absque ut inde colligi possit, Deum Israelis, in favorem populi sui, id fecisse: sicut Philistaei, Arcam Jehovae tenentes captivam, experimentum ceperunt, essetne plaga sua aliqua tantum, an causa Arcae a Jehova inflicta: 1 Sam. VI: 9. Quae ratio est quare Pharao a proposito non fuerit dimotus. 3. Hucusque cum rex partim praestigiis, partim sinistra interpretatione plagae Magorum censeri possit delusus, Deus alia adhibuit signa, quae ne speciem dubitationis relinquebant, discrimine posito inter AEgyptios et Israelitas, certissimo argumento, non Numen aliquod in genere, sed Jehovam Deum Israelis eorum esse causam. Quo factum est, ut Pharao subinde nutare coeperit, et Israelem dimittere velle visus fuerit; sed cum identidem, plaga aliqua cessante, ad veterem redierit animum, incidit in judicium obdurationis, et totalis sui excidii fundamenta jecit; Deo obdurationem ejus permittente, et dirigente, simul ipsum tolerante ac *stare* faciente contra merita ejus, ut majore cum potentiae ac justitiae demonstratione ipsum suo tempore funditus deleret. Quod ipsum Deus quoque per Mosen ipsi ob oculos posuit c. IX: 16. Ubi cum Deus dicit, *propterea te stare feci, ut tibi conspiciendam praebeam vim meam* &c. idem est acsi dixisset, Te in summa prosperitate collocavi, firmamque tibi dedi stationem, qua huc usque nondum excidisti, teque in ea firmitate positum a me, contraque me concitatum ac obfirmatum, mihi publicum constitui adversarium, ut summa mea in te debellando eluceret potentia, nomenque meum in tota terra fiat celebre. Quam paraphrasin ex verborum potestate illustravi in not. ad St. de Brais ad Ep. Pauli ad Rom. IX.

§. CLVII. 4. Decimam et ultimam plagam, caedis primogenitorum Pharaonis et reliquorum civium per totam AEgyptum, antequam inflixit Deus, eam Pharaoni per Mosen denunciavit non tantum, una cum eventu exitus Israelitarum,

c. XI:

c. XI: 4—8. (verba enim fuiſſe coram Pharaone pronunciata a Moſe c. X. verſ. 8. manifeſtum eſt; quare cum verſ. 4. legitur *et dixit Moſes*, addi omnino cum textu Samarit. debet אל פרעה *ad Pharaonem*) ſed praeterea inſtituit feſtum Paſchatis, ita tamen, ut non hoc tempore obſervaretur, verum poſtea in hujus rei memoriam, nunc tantum *agnus* mactaretur et comederetur inſtar ſacrificii, ſanguine adſperſo ſuperliminari ac poſtibus aedium Iſraelitarum, inter duas veſperas; qua ipſa nocte plaga fuit inflicta, et Iſrael feſtinanter eſt AEgypto egreſſus Exod. XII. Feſtum ipſum non fuiſſe obſervatum, ſed agnum tantum mactatum et conſumtum, quod unum hic tantum obſervo, α. inde patet, quod panem *fermentatum* dicantur non ſumſiſſe ſecum Iſraelitae, propter *nimiam feſtinationem* c. XII: 39. cum alioquin dici debuiſſet, eos ob feſtum non fuiſſe *fermento uſos*. β. Feſti celebratio expreſſe adſtringitur terrae Cananaeae c. XIII: 5. γ. Accedit, illud in memoriam hujus liberationis inſtitutum eſſe. Agnum itaque nunc mactarunt et comederunt, tanquam *ſacrificium*, cujus virtute hoc liberationis beneficio gaviſi ſunt, ſed poſtea conſpectum quoque ſigni ſacramentalis praetulit, quo hoc beneficium fuit in memoriam revocatum, ejusque continuatio obſignata. Plura ad feſti illuſtrationem nunc non proferam. Quem ipſum ſcopum primogenitorum Iſraelis conſecratio, Deo etiam in Cananaea facienda, habuit, ſignum enim memoriale fuit liberationis primogenitorum a communi illa clade. Lex illa, una cum feſti paſchatis repetitione, mox ſubjungitur cap. XIII.

§. CLVIII. *Secundum* obſervatum habet, Iſraelitas, jam jam egreſſuros, ſpoliaſſe AEgyptios, vaſis argenteis, aureis, et veſtibus pretioſis, non tam petitis, minus *mutui* nomine, cujus in hiſtoria nullum eſt indicium, quam poſtulatis, et inpetratis, ad durum et ſervilem laborem, ſine juſta mercede AEgyptiis praeſtitum, compenſandum; quare illa omnia, ut ſibi debita, jure ſuo cenſeri poſſunt exegiſſe, ſimul conſecuti, quod Iſraelitas retinere nollent, nec, niſi hac conditione, ab iis liberari poſſent. Ex quo ne ſpeciem quidem fraudis, aut furti, patet in

in hoc facinore adparere: accedit, populum, bona eum gratia AEgyptiorum postulata inpetrasse, Exod. XII: 36. Nec obstat verbum נצל *spoliare*, quippe quo simpliciter indicatur, Israelitas bona AEgyptiorum fuisse nactos: quo sensu Paulus dicit, se alimenta sumendo *spoliasse* Ecclesias; 2 Cor. XI: 8. Quod si titulo *mutui* dederint AEgyptii, et sumserint Israelitae, eos, interveniente hostili AEgyptiorum inpetu, jure belli retinere potuisse, tanquam spolia, non tanquam justum dixerim; nec illud ad spolia bello capta referri potest; nec ullo constat inter Israelitas exemplo. 3. *Tertium* est, egressum fuisse valde festinum, AEgyptiis, ingente pavore ex primogenitorum nece correptis, urgentibus, et compellentibus, ut historia l. c. diserte adnotavit, et ritus in paschatis celebratione, hinc maxime explicandi, edocent: uti Clericus, post Maimonidem, recte advertit et explicuit. Quo etiam facit, *festum* paschatis non fuisse celebratum, sed agnum tantum mactatum, et sanguinem adspersum superliminari ac postibus domuum, agnumque comestum. De quo modo egi.

§. CLIX. Annus, quo egressi sunt, ut circumstantias *temporum et locorum* adcuratius exhibeam, est 430*mus* peregrinationis in Cananaea et AEgypto, morae in AEgypto 210*mus*, ut ex supra disputatis patescit, *mensis* Nisan, primus anni, AEgyptiis *Thot* dictus, denique *dies* mensis 15*tus*, qui *Jovis* fuit, quod probe notari velim, cum haud unam praebeat utilitatem. Colligi autem illud ex eo potest, quod dies 15*tus* Mensis II*di* fuerit *Jovis*, uti historia Mannae edocet Ex. XVI. Cecidit vesperi die 15*to*, et mane diei 16*tae* prima vice collectum est; quod per 6 dies continuatum est, sed die 21*mo* duplum collegerunt, Deo ita disponente, ut sequente, qui *Sabbati* foret, quiescerent: quae prima est *Sabbati*, *et quietis* eo die, mentio; dies itaque 22*dus* Mensis II*di* fuit *Saturni*. Hoc admisso, et retronumeratione facta, dies 15*tus* ejus mensis quoque fuit Saturni, ut et dies ejus *primus*: unde patescit, 29*num* mensis I*mi* fuisse *Jovis*, cum mensis fuerunt 30 dierum; nec non 22*dum*, 15*tum*, *et* 8*vum* primi mensis, ac

1*mum*,

ximum. Qua jacta hypothesi, tempora itineris Israelitarum, ad egressum pertinentis, sese facile offerent. *Primo* die mensis primi, seu Nisan, qui fuit Jovis, egressus fuit solenniter promulgatus, cum Deus jusserit, ut sese ad pascha celebrandum, ac AEgyptum deserendam, praepararent. Exod. XII: 1. Unde ortum est, quod novilunia manserint sacra apud Israelitas. Die *decimo*, qui erat Saturni, agni sunt a grege abducti, et sepositi, die *decimo quarto*, qui est Mercurii, comederunt agnum inter duas vesperas, et eadem nocte primogeniti AEgyptiorum occisi sunt, Israelitae festinanter egressi, et congregati sunt in *Ramses*, seu ultimis finibus terrae Gosen, ubi erat planities Ramses. Hujus autem tam celebris noctis memoria ut conservaretur, festa Judaeorum in posterum cum nocte coeperunt, seu vespera praecedente. Die *decimo quinto*, qui fuit Jovis, terra Gosen egressi venerunt in *Succoth*, ita dictum a fixis *tentoriis*. Die *decimo sexto*, qui est Veneris, venerunt in Etham desertum, de quo mox; Sequente, seu Saturni, et Sabbati, Migdolum, inde ad mare Rubrum, quod ipsa illa nocte transierunt, quae, cum ad diem praecedentem tunc adhuc pertinebat, Israelitas ipso die Saturni mare superasse, manifestum est, sed eo magis notandum, quod ratio instituti Sabbathi in memoriam liberationis ex AEgypto Deut. V. hinc illustretur: cum ea per hunc demum transitum fuerit consummata. Transierant itaque jam primo mane diei sequentis seu solis; quo jam perfecta erat liberatio. Quod mystice ad Christi resurrectionem, eo die factam, post baptismum mortis, referri potest.

§. CLX. Contemplemur nunc ipsum illum transitum, *secundum* hujus intervalli casum illustrem, postquam de ipso *mari* paucis dixero. Adpellatur in Script. S. ים סוף mare *Suph* ab *algae*, vel junci, copia, AEgyptiis *Sari*, ejusdem significationis: LXX vero *mare Rubrum* verterunt, unde illud nomen manavit. Quo nomine cum totus Oceanus Australis, Asiam et Indiam adluens, alias veniat, indeque in specie ad sinum Arabicum et Persicum transierit, ab Edomo nomen non fuisse

 ortum,

ortum; facile patet, licet terra *Edom* eousque se porrexerit, et LXX forte ejus quoque aliquam rationem habuerint, dum mare *Edom* seu *rubrum* adpellarunt: sic 1 Reg. IX: 16. *ad mare rubrum in terra Edom.* Putatur vero nomen hoc Oceano adhaesisse a propinquitate solis, quia zonae torridae subjacet. Vid. Relandus in peculiari Dissert. de *Mari Rubro.* Ceterum habet sinus Arabicus, seu mare rubrum, duos recessus, unum minorem Elaniticum, ubi est urbs Elan, alterum majorem versus Heroopolin; per priorem, seu linguam ejus maris transitus fuit factus. De quo *tria* sunt quaesita ventilanda: quorum *primum* est de *modo*, quo factus est, num per ejus medium ab una ora ad alteram oppositam, an per modum circuli in ipso mari, ita ut ad eandem oram redierint? Quod *posterius* nonnullis duas ob rationes visum fuit probabilius, *unam*, quod Num. XXXIII: 8. dicantur deserto *Ethan* egressi, et venisse in desertum Ethan, *alteram*, quod tam brevi temporis spatio transitus, ab una ora ad oppositam, fieri vix potuerit a tanta hominum copia. Sed *prior* ratio nullius est, cum desertum illud fuerit spatiosissimum, in quo per triduum oberrarunt, Num. XXXIII. nec unius nominis, vocatur utique etiam *Sur* Ex. XV. denique ad utrumque sinus littus, ubi mare terminatur, ipso nomine indicante, denotat enim *Etham* in lingua AEgyptiaca *terminum maris.* Nec altera ratio tanti est, cum lingua illa fuerit longa quidem, sed arctissima, teste Strabone, et Petro Vallensi, qui locum visitavit: addatur, spatium sinus exsiccati satis amplum esse potuisse, ita ut Israelitae se late potuerint extendere.

§. CLXI. Sed fundamento non tantum ea caret opinio, verum gravibus insuper premitur difficultatibus. 1. Historia non tantum nusquam ejus meminit, sed Israelitas dicit *transiisse*, et quidem *per medium maris* Num. XXXIII: 8. Inproprie valde, si non absurde, *transiisse* dicuntur, qui, circulo facto, ad idem redierunt littus. 2. Collatio locorum Ex. XV: 22. et Num. XXXIII: 8. haud obscure docet *a.* Israelitas non legisse oram maris, sed a mari esse profectos *b.* desertum Sur et

Etham

Etham esse unum idemque. c. per tridui spatium venisse in Mara: quod fieri non potuit, si ad oppositam non venerint oram. Denique 3. si ad candem oram redierint, intelligi nequit, quare AEgyptii, circulum observantes, mare fuerint ingressi, ipsosque, ad idem littus reversos, non fuerint adorti.

§. CLXII. *Secundum* quaesitum est, fueritne exsiccatio maris *miraculosa*, an a caussis naturalibus repetenda? Posterius probabile reddere conatus est Clericus in Diss., in comment. ejus ad Pentateuchum obvia, et, qui ei consentit, Vignolius in Chron. S., his adsumtis hypothesibus, 1. ventum non flasse orientalem, sed septentrionalem vehementissimum 2. fuisse circa vesperam in illo mari fluxum et refluxum ingentem. 3. Israelitas illa occasione arrepta transiisse, AEgyptios idem tentantes fuisse suffocatos, quod ventus fuerit mutatus, vel cessaverit. In quo singularem providentiam agnovit Clericus, uti et in vento, solito inpetuosiore. Quae hypotheses admitti quidem possunt, absque ut miraculosae Dei directioni ullum creetur praejudicium, nec negari prorsus debent. 1. Ventus licet קדים *orientalis* adpelletur, talem tamen fuisse, necesse non est statuere, cum vox vehementiorem, omnia *antevertentem*, quae rad. est proprietas, in genere denotet, et de aliis etiam ventis usurpetur, uti Ps. XLVIII: 8. Ez. XXVII: 26. quod satis constat; nec hoc tempore fuisse videtur, cum in faciem Israelitarum tunc incurrisset; fuisse vero Septentrionalem, non videtur probabile, potius occidentalem. 2. Fluxum et refluxum huic mari convenire agnosco, et res est testata. Sed talem tunc temporis ibi fuisse, talem effectum per eum praestari potuisse, ut solum fuerit plane exsiccatum, probabile nemo fecerit: ne dicam, exponi plane non posse, quare AEgyptii, ejus phoenomeni probe gnari, sese mari commiserint. Obstat praeterea huic sententiae 1. quod Script. S. diserte adpellet *miraculum*, et eo nomine celebret Ex. XV. Ps. CVI. et alibi, simul tradat, Deum dixisse Mosi, ut manum extendat ad aquas reducendas Ex. XIV. 2. Aquae fuerint *fissae*, et ab utraque parte steterint instar *muri*, Ex. XIV. Ps. LXXVIII.

CXXXVI. ubi notio *figmenti* adhibetur. Quo hypothesis plane destruitur.

§. CLXIII. *Tertium* quaesitum versatur circa *rationes*, quare populus non juxta mare Mediterraneum, quae longe compendiosior via erat, fuerit ductus in Cananaeam, sed trans mare Rubrum per desertum Arabiae. Rationes hujus rei non sunt longe quaerendae; sequentes enim, ne de militibus praesidiariis AEgyptiorum apud Pelusium, et in extremitate sinus Arabici, muroque ingente a mari Mediterraneo ad sinum, contra incursiones Arabum, aliquid dicam, cum incertum sit, num jam hoc tempore illud locum habuerit, murus utique Sesostri tribuitur a Diod. Sic. l. I. cujus aetas incerta est; 1. Iter versus et juxta mare Mediterraneum fuit longe difficillimum propter solum salebrosum; de quo mox. 2. Trans mare Rubrum ductus fuit populus in desertum, ne poenitentia ductus rediret in AEgyptum, quod per mare hoc, ei objectum, vix posset. Quam rationem ipsa Historia S. diserte memorat. 3. Quia Deus populum in Rempl. formare et indolem ejus explorare voluit, adeoque praeparare, antequam terram promissam occuparet. Quod tam cito, nec commode nisi in deserto, fieri poterat. 4. Denique miraculoso illo transitu AEgyptios delere, et ab ulteriore persecutione Israelis deterrere, potentiam suam demonstrare, Israelitas sibi devincire, Mosen, tanquam servum suum, honorare, populos vicinos, et Cananaeos, in pavorem ac terrorem conjicere, ne Israeli se opponant, voluit. De quibus omnibus canticum satis testatur Ex. XV. populus quoque c. XIV: 31. Deo, et *Mosi ejus servo*, hoc miraculoso transitu, et AEgyptiorum clade excitatus, *credidisse*, seu fidisse, legitur.

§. CLXIV. Statim ac mare superassent, AEgyptiis submersis, cecinerunt celebre illud canticum, a Mose compositum Ex. XV. inter tympana et choros Mirjamis et reliquarum mulierum, cujus argumentum est celebratio virtutum potentiae, justitiae et bonitatis Dei Israelis Jehovae, demonstratarum in AEgyptiis prosternendis et Israele liberando, modo plane miraculoso,

raculoso, per aquas maris Rubri: in certissimum omen hostium vicinorum Philistaeorum, Edomitarum, Moabitarum et Cananaeorum terrore percellendorum, ac Israelitarum introductionis in Cananaeam, qua terram inhabitationis Dei, in perpetuum.

§. CLXV. De *mora* Israelitarum in deserto, et casibus illustrioribus, quae *tertia* pars est primi intervalli, antequam disseram, *naturae* et indolis deserti aliqua praemittenda est notitia, eo magis, quod minus recte de ea cogitari soleat, acsi totum esset arenosum et salebrosum, cui ne vestigia quidem, ob leves arenas, inprimi possent. Historia sacra et exotica longe aliter desertum hoc depingit, nec intelligi potest, si tale fuerit, Ismaelitas, Amalekitas, et alios in eo versari potuisse, uti fecerunt, sicut et Moses ibi greges soceri sui pascere solebat Exod. III., praeterea Israelem tanta multitudine, et cum tanta gregum ac foeminarum copia per tot annos, vitam trahere potuisse. Historia exotica si consulatur, iter a mari Mediterraneo, seu ab Occidente, in Orientem instituens, offendit, 1. ad mare haud exigui spatii solum plane arenosum, vix peragrandum, 2. His arenis superatis, solum durius et solidius, attamen infrugiferum, vaste extensum, et medium inter fauces extremas Sinus Arabici ac Cananaeam, 3. Denique solum petrosum, variis et sublimibus instructum montibus ac rupibus; quales memorantur ex. gr. Pharan, Sinai et Horeb, inter quos montes *valles* sunt, haud steriles. Per hunc autem tractum ducti sunt Israelitae. Plura, qui de indole hujus deserti velit, adeat Vitring. in libris Observ. ubi indolem ejus adcurate descripsit, et adfirmavit.

§. CLXVI. Mora Israelis in Deserto fuit 40 annorum, Ex. XVI: 35. Deut. II: 7. Jos. V: 8. Neh. IX: 22. Act. VII: 36. XIII: 8. Quod ex annis vitae Mosis quoque elucescit; cum, ut supra vidimus, annos 80 natus populum eduxerit, et ann. 120, paulo ante ingressum populi in Cananaeam, fuerit mortuus Deut. XXXIV: 7. Sed illud addendum est, annos 40 esse completos intelligendos: Moses enim anno

 40mo,

40*mo*, primo die Menſ. XI*mi*, recitavit Deuteronomium: Deut. I: 3. Quod etiam adſeruit Joſ. Ant. IV: 7, 8. Fuerunt autem *manſiones* ſeu ſtationes Iſraelis in univerſum in deſerto 42, quae Num. XXXIII. recenſentur. Quarum *quatuor* ante tranſitum per mare rubrum miſſis, octo numerantur inde uſque ad Dei adparitionem in monte Sinai, quippe quae ſtatione 12*ma* contigit, die 50*mo* ab exitu. Inter quas memorabiles ſunt 1. *quinta* in Mara, propter aquas amaras factas dulces, 2. *octava* in deſerto Sin, quando השלו *coturnices et manna* Deus ſubminiſtravit in cibum. Licet enim *locuſtas* voce illa intelligendas eſſe erudite diſputet Ludolfus ad Hiſt. Aethyop., *coturnicibus* tamen, quae communior eſt ſententia, aptius reſpondet vox Hebr., ſi ad earum avium *pinguiorem* naturam reſpiciatur. Radix enim שלה *liquatum, et pingue* pellucidum, denotat, ſunt autem coturnices pinguiſſimae aves, quare Arab. voce שמאני, quae *pinguiculam* dicit, eas inſigniunt. De *manna*, cibo coelitus inſtar panis et *mellis* dato, nihil habeo, quod hic obſervaſſe operae fuerit pretium, niſi nomen מן *man* videri eſſe ex obſoleta radice מנן, quae a primaria *praecidendi* poteſtate frequentatur in *donis*, ſpeciatim divinis, uti Rev. Hackman animadv. ad Exod. jam advertit. Duravit hoc donum uſque ad ingreſſum in Cananaeam, ejuſque in memoriam fuit amphora mannae in aede Jehovae conſervata Ex. XVI. Inſtitutum quoque eſt *Sabbatum*, occaſione mannae duplicis portionis die ſexto, ceſſantis die ſeptimo: ut ibid. traditur, 3. *Undecima* in Raphidim, ubi ex percuſſa petra Horeb rivus aquarum fluxit, et caſtra Iſraelis ſecutus narratur: accidit quoque praelium victorioſum, duce Joſua, cum Amalekitis; victoria vero *divina* ope inpetrata, uti ex *manu* Moſis extenta cum *virga* Dei manifeſtum eſt: non enim manus extenſio, ut putatur, fuit *precantis* geſtus, nec precationis ulla fit mentio, ſed *baculi Jehovae* ad hoſtes feriendos protenſio, vel inſtar *vexilli* Jehovae, quo populus in hoſtes ductus victoriam reportavit. Qua occaſione declaratum eſt, Amalekitas perpetuo pro hoſtibus habendos, et ad internecionem

[redacted]

cionem usque delendos esse, ficut a Saulo 1 Sam. XV. et Davide ib. XXX. est effectum; sed simul illud erecto altari, ac inscriptione, *Jehova est vexillum meum*, obsignatum, quo verba Mosis tendunt c. XVII: 15. *quia manus supra* (h. e. elata et excelsa est, manetque, respicitur ad *manum* Mosis protensam et elatam cum *virga Jehovae*) *vexillum Jah* h. e. altare, eo titulo insignitum, est ejus rei monumentum: legi enim debet נסי pro נס, quod alii jam viderunt.

§. CLXVII. Denique hic cum versarentur, Jethro, socer Mosis, una cum uxore et filiis ejus ad eum venit, et laetitiam suam super populi liberatione, ad laudes Jehovae ore et opere, seu sacrificio et convivio, testificatus est, simul salutare de praefectis ac judicibus eligendis, qui Mosi in onere ferendo opem ferrent, consilium dedit, quod postea tamen executioni demum dedit, ut ex Deut. I. mox observabo. Quae historia cap. XVII: narrata, censetur a multis alienum locum occupare, et post legislationem Sinaiticam contigisse, sive tribus mensibus post, ut nonnulli autumant, sive anno 2do exitus, quo tempore quod Num. X. narratur, contigit, ut alii. Quae opinio maxime fundata est in loco Deut. I: 6, 9. etc. Proferuntur quidem nonnulla serioris temporis in ipsa narratione obvia indicia, ut, quod Israel castrametatus dicitur v. 5, ad *montem Dei*, *et coram Jehova* convivium habitum, v. 12, sed illa tanti non sunt, cum prope montem Horeb fuerint in Raphidim, c. XVII: 6. et *comedere coram Jehova* generalior phrasis sit, quam ut ad montem Horeb restringi debeat, licet ab eo prope afuerint. Quod vero ad locum Deut. I. adtinet, notari velim, inter consilium datum et ejus executionem distingui posse, ita ut nunc ante Legislationem quidem fuerit Mosi datum, sed postea demum a Mose cum populo communicatum, et introductum, cum politia et religio jam esset ordinata, de quo Deut. I. agitur. Subjungitur quidem exsecutio c. XVII: 24.—sed non additur, num mox, an aliquandiu post accidit, narratur quoque discessus Jethronis v. 27. qui tamen postea demum contigit Num. X. Te-

 nere

nere autem historiam hanc suum locum, et ante Legislationem contigisse, praeterquam quod nulla ratio excogitari possit, quare huic loco fuerit tunc inserta, illud etiam evincit, quod Legislationis et adparitionis Dei in Sinai nulla fiat mentio, sed tantum liberationis ex AEgypto, et molestiarum in itinere, cum tamen Jethroni dicatur Moses narrasse praeclara Dei beneficia in Israelem collata, v. 8. Accedit, sacrificium a Jethrone fuisse oblatum, non ab Aarone aut sacerdotibus, nec hos ad convivium fuisse invitatos, sed Aaronem solum ac seniores populi, v. 12, 13. argumento, sacerdotium nondum fuisse institutum.

§. CLXVIII. Ceterum, ut de Socero, uxore et filiis Mosis hac occasione aliquid moneam, socer ejus hic et c. III: 1. Jethro adpellatus, alibi ut c. II: 18. *Reguel*, et Num. X: 29. ac Jud. IV: 11. *Chobab* vocatur: non enim diversarum personarum sunt nomina, ut nonnullis videtur, qui Reguelem fuisse patrem Chobabi, et Jethronis, adeoque uxoris Mosis avum, volunt, sed unius ejusdemque, cum c. II. avus nequeat nomine *soceri* intelligi, et mox c. III: 1. pater uxoris: quae nimia foret styli in eadem narratione varietas. Nec abhorret eum fuisse trinominem, cum Reguel et Chobab nomina vicina sint, prius enim *amatum* Dei, et posterius *amabilem* denotat, et *Jethro* cognomen, seu nomen dignitatis videtur fuisse; dicit enim *excellentem*, instar primogeniti. Chobabus quidem filius Reguelis occurrit, sed Pater soceri Mosis ejusdem potuit esse nominis. Fuit autem *Sacerdos* inter Midianitas, et non princeps, cum filiae ejus tunc tam male non fuissent a pastoribus tractatae, ut cap. II. traditur, attamen non falsi, sed veri Dei: ut ex cap. XVIII: 9. et seq. ubi Jehovae benedixisse, ei sacrificium fecisse, refertur: ne dicam, Mosen ceteroquin ejus filias non ducturum fuisse. Uxor ejus, Zippora dicta, quam mox in principio morae in Midian duxit, Ex. II., postea, a Deo ad populum liberandum vocatus, in itinere AEgyptum versus domum dimisit, occasione circumcisionis filii, Ex. IV: 24. Coll. XVIII: 2. cum Patre ad eum reversa, et

ab

ab eo recepta, mansit cum filiis Gersomo et Eliezere apud eum, et occasionem dedit Mirjamo et Aaroni cum eo expostulandi, Num. XII. si eadem sit, quod mihi videtur probabile, et non alia, ei adsociata: eam enim denuo repudiasse, vel novam superinduxisse, cum in deserto versaretur, verisimile non sit. Nec obstat, quod *Cuschita* vocetur Num. XII. cum Cuschitae tenuerint Arabiam, cujus urbs est Madian, vel regio, sic et alibi Cusch ac Madian confunduntur Hab. III: 4. De quo postea.

§. CLXIX. 4. *Duodecima* fuit omnium illustrissima ad montem Sinai, quando Deus solemniter, et cum multis Majestatis terribilis signis, adparuit, ac Decalogum promulgavit die *6to* Mens. III*tii*, adeoque 50*mo* exitus. Quae Rabbina est, sed probabilis, traditio, et aliunde confirmatur. 1. Factum illud esse die *Sabbati* verosimile est, vel ob praeceptum de Sabbato Decalogo insertum. Fuit vero dies *Sextus* Mens. III. Sabbatum, uti ex eo liquet, quod, uti supra ex historia Mannae observavi, dies 22*dus* Mens. II. fuerit Sabbatum: ergo etiam dies ejus 19*nus*, ac Mens. sequentis III. dies *sextus*. 2. Exod. XIX: 1. Israel ad montem Sinai venisse legitur die 3*tio* Mens. III; quando *triduo* post Deus adparuit. 3. Momentum addit festum Pentecostes, die *quinquagesimo*, in memoriam quoque Legislationis, celebrari solitum. Tot enim dies sunt a 15*to* primi Mensis, quo AEgypto egressi sunt, usque ad *sextum* Mens. III*tii*.

§. CLXX. Illustrissimus hicce casus paulo adcuratius mereatur enarrari et illustrari: quod tamen, quantum pote, paucis, pro instituti ratione, faciam. Foedere praeparatorio inter Deum et populum, per Mosen internuncium, pacto, quo Deus declarat Israelem, licet tota terra sit Jehovae, (eum enim usum ibi c. XIX: 5. habet כי *quia*, ut alibi) sibi fore populum peculiarem, si vocem suam audiat, populus se ad id inclinatum ac paratum profitetur, c. XIX: 3—8. Deus Mosi significat, se in montem Sinai esse descensurum, et legem coram universo populo solemniter promulgaturum, ut Jehovae et

Moſi tanquam ejus miniſtro fidem habeat, modo populus ad majeſtuoſam hanc manifeſtationem debite ſeſe praeparet, veſtes lavando, ab uxoribus abſtinendo, ut pro more illius temporis eximie purus ſit, ſed et inprimis ab acceſſu montis cavendo v. 9—13. Quod ultimum interdictum tantum habuit, ut paulo remotius ſeſe ab eo monte teneant, donec tubae ſonitu ad propiorem acceſſum vocentur: quo ultimum membrum v. 13. *cum tractim tuba clanget, ad montem illi adſcendant*, ſeu propius quam in initio, tendere videtur. Quibus executioni mandatis, Deus, inter tonitrua et fulgura, tremore quoque montem concutiente, in denſiſſima nube deſcendit, et tuba ſonante Moſes populum propius ad radices montis eduxit in conſpectum Dei v. 14—18. Quando Moſes Deum adlocutus, roganſque, quid ulterius ſibi ſit agendum, reſponſum, audiente populo, accepit, ut ad Deum in verticem montis veniat. Hunc enim ſenſum habere videtur verſ. 19 et 20. cum Moſes v. 19. dicitur *locutus*, et Deus ipſi voce ſonora reſpondiſſe, abſque ut addatur, quid Moſes dixerit, et Deus regeſſerit, et verſ. 20. ſubjungatur, Jehovam eum ad ſe in verticem montis vocaſſe, probabile mihi ſit, Moſen Deum rogaſſe, quid ſibi faciendum ſit, manere aut propius accedere, et reſponſum tuliſſe, ut adſcendat montem. Quod ſi diſpliceat, ſtatuendum eſt, verba, *Moſes locutus eſt et Deus ei* reſpondit, ſimpliciter et in genere ſignificare, publicum fuiſſe Dei cum Moſe colloquium, et eo ſpectare, ut Moſes interioris admiſſionis Dei declaretur miniſter. Quod ex v. 4. confirmatur. Quo facto, novo inſtruitur mandato, ne aut populus, aut ſacerdotes ad propiorem conſpectum prorumpant, v. 21, 22. cujus interdicti mox adcuratiorem petiit, et inpetravit, explicationem, v. 23, 24. Eſt utique prior pars v. 23. interrogative capienda, *poteritne populus*, abſolute nemo ex eo, *adſcendere?* ad quod Deus reſpondet, neminem, praeter Aaronem, cui propter ſacerdotium ſummum, mox in eum conferendum, hic honos habetur, ut cum Moſe adſcendat.

§. CLXXI.

§. CLXXI. Legislatio, mox secuta, duplice modo facta est, primum quippe inmediate a Deo, dein mediate per Mosen, in montem admissum. Deus ipse solenniter, toto populo audiente, promulgavit legem, *decalogicam* adpellari solitam, quippe ex decem constantem praeceptis, quinque adfirmantibus, de solo Jehova pro Deo agnoscendo, eoque sine imaginibus colendo, nomine ejus reverenter in jurejurando, ac alio quocunque sermone, habendo, Sabbato stricte per quietem observando, et parentibus debite honorandis; quinque aliis negantibus, seu interdictis de nemine occidendo, adulterio non committendo, a furto abstinendo, ac falso testimonio, et uxore, servis, aut bonis proximi adpetendis. Quae praecepta, decem saepe verba dicta, tanquam fundamentales et radicales leges societatis Israeliticae haberi debent, et considerari solent. De quo hic non est disserendi locus, ut nec de eorum sensu et vero conspectu. Alter modus, quo Mosi ad se vocato, et intra densissimam nubem in monte admisso, leges dedit Deus cum populo communicandas, originem a terrore populi, et fuga a montis vicinia, propter tonitrua, faces ignitas, quas mons evomebat, sonumque terribilem, seu fremitum tubae similem, indeque orta deprecatione populi, ne amplius vocem Dei audiat, sed per Mosen accipiat leges, repetiit: uti a c. XX: 15. narratur. Adnuit Deus petitioni, postquam Moses populum esset consolatus, et de scopo terrificae hujus manifestationis Dei admonuisset, ut scilicet Deus *eum tentaret*, simul *metus Dei ei incuteretur, ne peccet:* v. 17. Unde, quod notari meretur, elucescit, tremendam illam Dei adparitionem eo spectasse, cum, ut Jehovam discerent revereri, et a peccando sibi solicite caveant, tum, ut occasio ipsis praeberetur, interiores animorum adfectus erga Deum et legem ejus explicandi. Si enim, post tam solennem et terribilem Majestatis manifestationem, a Deo et lege descisscerent, protervae et obstinatae indolis indubium darent signum. Erat itaque haec adparitio, vero suo conspectu, *exploratio* populi.

§. CLXXII. Prima lex, quam Deus per Mosen, ad se admissum,

missum, praescripsit, ad modum Dei colendi, purum et simplicem, pertinet, in quo nullum est superstitionis indicium, adeoque sine imaginibus, arisque excelsis, coelum versus erectis, ut Deo cultores ejus viderentur propiores. Quae summa est et ratio pericopae c. XX: 19—23. Quicquid itaque de altaribus, Deo erigendis, ibi occurrit, eo spectat, ut, Deo non excelsas placere aras, sed humiles, sciret populus, ne Deum in coelis tantum habitare putaret, cum sese ei ubique sisteret praesentem, sicut modo fecerat in monte Sinai. Eo tantum fini, ut excelsa arceret altaria, jussit *terrenum*, vel *lapideum* sine lapidibus caesis, ac sine *gradibus* erigi altare; nec aliud hic quaerendum mysterium, aut alia ratio: secus ac vulgo putatur. Fundamentum vero praecepti est, quod Deus ubique praesens adsit populo, adeoque nec imaginibus, quibus colatur, nec excelsis aris, opus sit. Quam interdicti rationem Deus ipse exponit. Verba itaque, de *nuditate sacerdotis* non *retegenda*, non necesse est pro *ratione* interdicti de excelsis aris habeantur, cum terminum altitudinis earum exprimere possint, adeoque verti; *nec adscendas gradibus altare meum*, *super quod non retegetur nuditas tua* h. e. non enim altum erit, ut id fieri possit. Si vero rationem censeantur verba continere, non sequeretur, eam esse solam, aut praecipuam. Insuper notetur de aris, ab ipso populo erigendis, et non de altari in Tabernaculo aut Templo, hic agi: ut ex ipso textu patet. Arae intelliguntur his illisve in casibus tumultuario exstruendae; quas *subitas congesti cespitis aras* adpellat Lucanus l. IX. et Tertull. Apolog. c. 25. *temeraria de cespite altaria*, Romanis olim usitata.

§. CLXXIII. Sequuntur, c. XXI, et duobus aliis, variae leges, societatem civilem ornantes ac munientes, ad interdicta in primis secundae tabulae decalogicae, ut homicidii, furti, falsi testimonii, et adpetitus alieni, explicanda, amplificanda, et poenali sanctione firmanda, quae nonnulla adhuc luce perfundi quidem possent, si instituti ratio ferret. Quando Legislator, qui cum praecepto de Sabbato illustrando inceperat c. XXI:

1—11.

1—11. (eo enim ſpectat lex de ſervis et ancillis, ut ex ſervitutis et laboris termino, ſeptimo anno, facile liquet) ad illud redit cap. XXIII: 14—et ad tria feſta alia Paſchatis, Pentecoſtes et Tabernaculorum extendit, tanquam ejuſdem ſcopi et finis, ad populum in veri Dei cultu, per continuam praeteritorum beneficiorum renovatam memoriam, retinendum et corroborandum. Praecepta vero de ſanguine ſacrificii, omni fermento remoto offerendo, et adipe feſti ad matutinum tempus non conſervando, directe quidem ad feſtum Paſchatis, licet non tam agni, quam reliquorum ſacrificiorum reſpectu, pertinent, ſed ulterius ad omnia alia ſeſe porrigunt ſacrificia, cum fermento carere debeat munus illis addi ſolitum. Eodem modo primitiae v. 19. primo quidem ad feſta Pentecoſtis et Tabernaculorum ſpectant, ſed dein ad quaſvis primitias extendi debent. Quid vero ſibi velit, quod de *hoedo in lacte matris non coquendo* mox ſubjungitur v. 19. vix expediri poteſt: interdictum forte ad res referri poterit, quae Deo erant propriae, et Iſraelitis vetitae, quales erant ſanguis, adeps et primitiae, utique ad cibum Iſraelitarum pertinet, ut ex Deut. XIV: 21. elucefcit. Videtur itaque vetari eſus et uſus hoedi recens nati, qui lacte matris unice, ſine alio alimento, fruitur. Quales agni Deo poterant offerri, ut de primogenitis habetur Exod. XXII: 29. et Lev. XXII: 27. et de ſacrificio 1 Sam. VII: 9. ſed Iſraelitis in cibum vetantur, ſicut adeps, ſanguis et primitiae. Sed hiſce immorari non licet.

§. CLXXIV. Legiſlationi poſtquam Deus praecepta de Angelo Jehovae, quippe majeſtatis et virtutum Jehovae participe, (quod phraſis, *nomen meum in ipſo eſt* v. 22. quoque involvit) duce itineris et defenſore populi, religioſe obſervando, de hoſtibus Cananaeis exterminandis, idolis et ſimulacris deſtruendis, ſibique ab omni commercio familiariore cum iis cavendo, ſubjunxiſſet, ſimul promiſſa longaevitatis et proſperitatis repetiiſſet, c. XXIII: 20—fin., *foedus* ad montem Sinai, inde Sinaiticum dictum, ſuper illis legibus, tum a Deo de monte publicatis, tum Moſi in eo datis, ſolenniter fuit inter De-

um et Iſraelem, Mediatorem agente Moſe, pactum; et multis modis confirmatum, per ſacrificia, ſanguinis adſperſionem, convivia, poſt Deum a ſenioribus ſine laeſione viſum, cum laetitia celebrata, denique per ſtatuas in memoriam erectas. Quae ſumma eſt narrationis cap. XXIV: 1—11. Pactum eſt foedus per legum, decalogicarum et reliquarum, ſupra recenſitarum (memorantur etiam expreſſe v. 3. *verba Jehovae*, quae decalogum conſtituunt, et *jura* vel judicia, quo nomine c. XXI: 1. veniunt leges c. XXI. ſeq. comprehenſae,) libro inſcriptarum, qui inde *liber foederis* v. 7. adpellatur, publicam praelectionem, a parte Dei per Moſen, et per conſenſus publicam teſtificationem a parte populi, qui ſe omnia verba, ſeu praecepta, Jehovae eſſe obſervaturum declaravit v. 3. voce *verborum* hic latius ſumta, ſive a Deo ipſo, ſive per Moſen fuerint prolata, cum *judicia* etiam, ut dixi, huc pertineant, nec ea tantum, quae jam erant promulgata, ſed et poſtea ex ore Dei profluerent per Moſen. In genere enim profitentur, ſe omnia, quae Jehova dixerit, obſervaturos.

§. CLXXV. Confirmatum mox fuit 1. per *ſacrificia* ſuper altari, eum in finem ad radicem montis a Moſe conſtructo, quale c. XX: 24. erat praeceptum, ut probabile eſt, per *juvenes* a Moſe ſelectos, non itaque primogenitos, oblata, holocauſta et ſalutaria; quae in foederibus pangendis ſolita erant fieri: ut in libr. Diſſ. S. obſervavi, 2. per *ſanguinis* non tantum effuſionem ſuper altare, ut alias in ſacrificiis, ſed et *ſparſionem* verſus Iſraelem totum: quod hic plane ſingulare erat, et eo ſpectabat, ut populus de favore Dei, quo ſacrificium tendebat, et confirmatione foederis a parte Dei, cujus ſymbolum erat altare ſanguine conſperſum eodem, certior fieret, ſimul admoneretur de foedere exacte obſervando, alias reatum ſanguinis ſibi contracturus. Quo mactatio animantium, in foederibus poſtea uſitata, quoque ſpectavit Jer. XXXIV. Praeterea 3. per *ſeniorum* Iſraelis admiſſionem ad Dei conſpectum, in ſignum amicitiae ac familiarioris commercii inter Deum et populum. Viderunt autem Deum, praeter Moſen, etiam Aaron,

ron, ejusque filii, ac seniores populi seu nobiliores, eximii ac e populo *selecti* et separati; quare אצילי vocantur v. 11. de quo vid. Diss. sacr. l. I. c. 7. in fin. totum Israelem repraesentantes; qui expresso Dei mandato fuerunt in montem vocati, sed ut Deum e longinquo viderent, soli Mosi interiore accessu permisso: ut c. XXIV: 1, 2. traditur: quae verba, ut illud obiter observem, non ibi, sed inter vers. 8 et 9. proprium habent locum. Ceterum viderunt quidem Deum in externo Majestatis symbolo, sed sine figuris et *imaginibus*, Deut. IV: 15. Viderunt autem *sub pedibus Dei opus instar laterculi sapphirini, et tanquam ipsum coelum in summo nitore*, v. 10. h. e. infra majestatis symbolum, seu columnam ignis et nubis, thronum Dei, coeruleum et splendidum expansum: uti Ez. I: 22. et X: 1. in signum Majestatis regiae, quam Deus in Israele gereret et tueretur, tanquam Rex populi justus, sanctus et aequus, 4. Denique confirmatum fuit foedus per convivia celebrata de partibus sacrificiorum, adeoque quasi in conspectu Dei, postquam Deum vidissent salvi et laeti v. 11, 5. Postremo per publicum aliquod monumentum, in perpetuam rei memoriam. Quo tendere videntur duodecim statuae, totidem tribuum Israelis, Deo foedere junctarum, signa.

§. CLXXVI. De hujus foederis natura, et vero conspectu, cum hujus non sit loci disserere, verbo tantum observabo, illud *late* sumtum quidem fuisse gratiae Euangelicae anticipatae, cum heterogeneis seu terrestribus bonis et legibus ritualibus mixtae, foedus, duplicis generis promissis, spiritualibus et carnalibus, Abrahamo datis, superstructum, quippe quorum haeres erat Israel, qua semen Abrahami, sed *stricte* acceptum, primo et directo sensu, totum esse litterale, et externum, cujus 1. partes foederatae sunt, ab altera parte Deus, tanquam supremus populi rex, gubernator et judex, ab altera vero totus Israel, carnalis et circumcisus 2. bona sunt terrestria, in longaeva, et prospera Cananaeae possessione, et fructuum ejus fruitione, sita. 3. Leges sunt morales, politicae et rituales, partim a

Deo ipſo promulgatae, partim miniſterio Moſis praeſcriptae, a quarum obſervantia bonorum illorum fruitio ſuſpenſa eſt. De quibus omnibus prolixius egi in Diſſ. Sacr. quare hic plura non addam.

§. CLXXVII. Hac foederis pactione peracta, Moſes cum Joſua denuo jubetur montem adſcendere, populo cum Aarone et Senioribus infra relicto, ut tabulas foederis, ſeu legum decalogicarum, digito Dei conſcriptas, acciperet, et perſonarum, locorum ac rituum ſacrorum notitia inſtrueretur: ſicut ſpatio quadraginta dierum, quot in monte trivit, a Deo ſuſtentatus, factum eſt, et cap. XXV—XXXI. narratur. Quae tota pericopa nihil habet, quod ad forum noſtrum pertinet, cum antiquitates Iſraeliticas hic tractare non liceat. Typus Tabernaculi, omniumque ejus partium et vaſorum, ipſi et monſtratus et expoſitus eſt, c. XXV—XXVII. ubi ordine de arca, menſa, candelabro, tabernaculo, altari holocauſti et atrio agitur: deinde mandatum de Aarone ſummo ſacerdote, ejuſque filiis ſacerdotibus, eorumque veſtitu accepit c. XXVIII, ut et de conſecratione eorum ſolenni c. XXIX. tunc de quotidiano ſacrificio matutino et veſpertino, c. XXIX: 38.—de altari ſuffitus et ſuffimento in eo accendendo, de tributo dimidii ſicli ſingulis Iſraelitis, cum recenſentur, inpoſito, de labro aeneo, et confectione unguenti Sacri, quo perſonae et res ſacrae ungerentur c. XXX. Quibus tandem, praeter Bezaleelis et Aholiabi electionem et inſtructionem ad omnia illa opera efficienda, c. XXXI: 1—11. ſubjungitur praeceptum de Sabbato obſervando, addita poena mortis voluntariae violationi, v. 12:—fin. forte, quia Moſes eo die de monte deſcendit, uti poſtea, cum de novo legem, poſt hiſtoriam vituli aurei, inde detulit, factum traditur Ex. XXXV.

§. CLXXVIII. Tabernaculum, ut ejus externum, et legali oeconomiae congruum, paucis dem conſpectum, quod ab inſtituto non abhorret, ſepoſito nunc ſpirituali et myſtico intellectu, qui non eſt hujus loci, tanquam ſupremi Ducis et Regis praetorium, ob oculos ponit ejus praeſentiam apud populum,

pulum, formam quoque regiminis, quam habiturus est, bona ab ipso exspectanda, et denique officia, ipsi a populo praestanda. 1. Dei, tanquam externi regis, praesentia fuit in symbolica inhabitatione super arca conspicua. 2. Fundamenta regiae relationis et dignitatis nonnulla praebuerunt insignia in sancto sanctorum, uti *columna* nubis et ignis, qua AEgyptios prostraverat, populum liberaverat et duxerat, *virga* Mosis hic conservata, qua miracula erant patrata, Num. XX: 9. *tabulae* legis, ab ipso Deo exaratae, et in quas populus juratus consenserat, *urna* denique Mannae, quo cibo eum aluerat. 3. Formam regiminis exhibebant Cherubini, ministri invisibiles seu Angeli, quibus Rex uteretur, tabulae quoque foederis, quas tanquam in arca custodiebat, denique virga Aaronis, amygdalis plena, Num. XVII. perpetuum summi sacerdotii Aaroni adstricti, quo summo uteretur ministro, et quasi vicario, regio erecto sacerdotio, Ex. XIX: 6. monumentum. 4. Bona, ab ipso exspectanda, repraesentabant candelabrum et mensa panum propositionis, tanquam emblemata veritatis, prosperitatis, et abundantiae omnium hujus vitae bonorum. 5. Officia, ipsi praestanda, exhibebant duo altaria, suffitus et holocausti, emblemata cultus sacrificiorum et precum, ut et labrum aeneum, multiplicis purificationis indicium. Quae duo cultum constituerunt ritualem. 6. Quod denique ad structuram Tabernaculi, ejusque partium, ac vasorum situm, adtinet, α. Sanctum sanctorum, velo obducto clausum et separatum, sacrarium erat Regis, ejusque non promiscuum esse aditum, aut familiare cum omnibus commercium significabat, cum, ut ejus sarta tecta maneat reverentia, tum, ut oeconomiae legali convenienter sese gereret. Quare autem liber legis, ac reliqua monumenta ibi locum habuerint, facile elucet. Arca ibi erat propter tabulas legis, et quia arca foederis erat, super qua propterea fuit erectus thronus Majestatis. β. Sanctum constituebat aedem regis, in quo ministris tantum licebat versari, ubi erat altare suffitus, mensa panum et candelabrum, in signum bonorum, quae erant domus Dei, et officiorum,

Deo gratorum. γ. Atrium denique cultus reliqui instrumenta complectebatur, et a populo frequentabatur; quo significabatur, quibus mediis populo patebat ad Deum, sub hac Oeconomia, aditus.

§. CLXXIX. Sequitur historia rupti foederis per idololatriam populi, et Dei per Mosen placati, ac foederis renovati, Ex. XXXII—XXXIV. quae nostram omnino meretur adtentionem. Quod ad ipsum *vitulum aureum* adtinet, a populo petitum, et ab Aarone formatum, Ex. XXXIII: 1—6. observari velim 1. populum voluisse ducem loco Mosis, de cujus reditu desperabat, et columnae nubis ac ignis, tunc etiam non conspicuae, adeoque visibile aliquod Jehovae praesentis simulacrum, non itaque idolum aliquod Jehovae abnegato substitutum. De quo ratio petitionis non tantum v. 1. testatur, sed et illud, quod festum Jehovae adpelletur, tempore erectionis simulacri celebratum, v. 5. Vitulum vero 2. electum esse a populo, ad imitationem idoli alicujus, cui in AEgypto fuit adsuetus. Quod licet prae defectu historiae demonstari nequeat, ex eo probabile fit, quod cultus boum obtinuerit apud AEgyptios, et Stephanus Act. VII. illud haud obscure significet. 3. Inaures aureas mulierum videtur flagitasse Aaron, quod eas in tam difficilem conditionem forte putaverat non consensuras, adeoque ut populus ab eo postulato absterreretur. Accedit, ornamenta muliebria, inaures praesertim, pro Sacris, et quasi amuletis, fuisse habita, Gen. XXXV: 4. Observavit illud jam, praeter et ante August. Quaest. ad Genes. 111, Ephraem Syr. ad h. l. qui addit, Aaronem metu compulsum, ne lapidaretur, id fecisse, sicut Hur propterea erat modo occisus: quod ex conjectura, quia ejus nulla amplius fit mentio, depromsit, sed Jacobus Edessenus apud Ephraem. Oper. tom. I. ex traditione. Sed qua ratione formatus fuerit inde vitulus 4. dicere non habeo. Historia in genere tradit v. 4. formatum fuisse vel reconditum בחרט *in marsupio*, vel *stylo* scalptorio: quem utrumque significatum admittit vox Hebr., cujus radix primigeniam habet potestatem in *distractione* rapidiore

pidiore

pidiore et vehementiore, quae fit longiore tractu, ansam praebente *sono*, quem talis destrictio exprimit, sicut in צרר et צור, unde ad crumenam, varie constringi et destringi solitam, transfertur, et ad stilum a figura tereti tornata, et in longum destricta. Conferatur Cl. Schroederus ad Jes. III: 17. qui originem quaerit in *decorticare*, et varios usus late deduxit. Ceterum, usus est hoc instrumento Aaron, postquam vitulum jam fecisset fusilem; verba enim, *et fecit* v. 4. recte vertuntur, *postquam fecit* fusilem vitulum, medio *ignis*, ut Chimici solent: quod ipse c. XXXII: 24. declarat.

§. CLXXX. Statim ac Moses, in monte adhuc versatus, notitiam defectionis a Deo accepisset, iramque Dei vehementer accensam intellexisset, intercessit pro populo, ne mox e vestigio deleretur precatus, votorum quoque compos factus c. XXXII: 7—14. ubi illud tantum observo, ex v. 7., ubi ratio descensus Mosis de monte ab ea petitur defectione, colligi, ut videtur, posse, Legislationem per eam fuisse interceptam, ita ut, si ea non intercessisset, Deus in legibus ferendis perrexisset. Secuta mox est, cum Moses descendisset, tabularum foederis confractio, Aaronis severa increpatio, denique poena mortis per Levitas praecipuis autoribus inflicta v. 15—30. Quae omnia eo collinearunt, ut ad peccati agnitionem et resipiscentiam populus adduceretur, sed et per eam vindictam via ad Deum ulterius placandum sterneretur. Quare mox de novo Deum supplicare instituit Moses. Ad quam pericopam unum alterumve habeo observatum. 1. Tabulae foederis fuerunt a Mose projectae et confractae, non ex aliquo Dei mandato, cujus nulla fit mentio, sed ex justa indignatione, v. 19. ex populi defectione concepta, ac zelo gloriae Dei, ejusque foederis, quo populus sese praestiterat indignum. 2. Vitulo per ignem, ut probabile est, et a Doctis jam est illustratum, calcinato et in pulverem redacto, cinerem sparsit in fontem, qui e monte Horeb fluebat, Deut. IX., unde bibere solebant, cum, ut eo magis prostitueretur vitulus, et populus de ejus vanitate convinceretur, tum, ut intelligeret, sese poena com-

 molitionis

molitionis in pulverem esse dignum. 3. Aaronem reprehendens, ubi dicit v. 25. eum *denudasse*, vel potius *disturbasse* ad modum spherulae disjectae, populum, vi potestatis verbi פרע, eum indicat per hoc facinus omni decore, et *tutamine*, esse privatum, ac hostibus fore ludibrio. 4. Levitae hic tanquam Zelotae considerandi sunt, uti postea Pinehas, qui legis egerunt vindicias; quare praerogativam sacerdotii, in ipsos conferendi, meruerunt: quo v. 29. tendit, et Moses in benedictione Levi respexit Deut. XXXIII.

§. CLXXXI. Quibus peractis, resumsit Moses intercessionem apud Deum pro populo, et plenissimam inpetravit reconciliationem, c. XXXII: 31. usque ad fin. cap. XXXIII. spatio 40 dierum Deut. IX: 18. per sequentes gradus factam. *Primus* gradus est, quo liberationem populi a totali excidio, et renovationem promissi de terra Cananaea, inpetravit, sed sub gregarii Angeli ductu, sine praesentiae Dei symbolo, quod castra Israelis hucusque erat comitatum; hac data ratione, quod populus, propter continuam rebellionem, inhabitationem Dei ferre amplius nequeat, quippe per iram Dei in ipsa via, ut modo in plaga expertus erat, consumendus c. XXXIII: 31—35. Cum Deus dicit, se Angelum missurum, et *tempore visitationis suae visitaturum peccata populi*, significat, ut opinor, se cum populo in posterum acturum, sicut cum aliis gentibus, peccata ejus ordinario visitationis tempore, et non mox, sicut praesentiae Dei symbolo in medio ejus manente contingeret, vindicando; patet ergo hic ratio, quare non ipse Deus, sed Angelus aliquis ei adesset. *Secundus* gradus reconciliationis est, quo Deus, se rationem resipiscentiae populi habiturum, declarat, et Mosi ulteriorem concedit intercessionem. Qui verus est pericopae c. XXXIII: 1—11. conspectus, ut ex v. 5. in fin. patet, *videbo quid faciam tibi:* quippe quo populo spes fit ejus rei, cujus memini. Cum populus luctus et poenitentiae signa dedisset, propterea quod non Deus, sed Angelus dux esset, ut ex v. 4. cum superioribus connexo, liquet, benignior secuta est declaratio, de ratione luctus a se habenda, et Mosis intercessione

terceffione admittenda. Quo fini populus jubetur procul a monte ftare, fordido indutus habitu inftar reorum, et Mofes *tentorium* extra caftra erigere, quo Deum conveniret: quare *tentorium conventus* adpellatur, quia Deus ibi a Mofe adiretur, et populus Deum ibi procul adoraret, et quaereret. De quo vid. Cl. Vitringa Syn. V. l. I. p. II. c. 3. Quibus confidentior factus eft Mofes in fua interceffione, et Deus fe ulterius fivit placari, qui *tertius* eft gradus, eo etiam ufque, ut *praefentiam* fuam denuo promiferit populo v. 12—17. Quando audacior factus Mofes, ad intimius cum Deo in monte commercium denuo admitti fupplicat, ut *gloriam* Dei oculis ufurpet, foedufque perfecte inter Deum et populum renovetur, nec fruftra, cum Deus ipfi ex parte, quod petiit, promiferit, fcilicet ut pofteriora gloriae Dei videat, cum anteriora, feu faciem Dei, nemo videre queat. Quae fumma eft pericopae v. 18—23. quam fufe in libris Diff. Sacr. illuftravi.

§. CLXXXII. Finita interceffione, et Deo perfecte placato, ac cum populo reconciliato, Mofes novas tabulas foederis parare, et montem confcendere juffus, *pofteriora* Dei vidit, et vias Dei audivit a Deo pronunciari, leges decalogicas novis tabulis infcriptas a Deo recipit, et praecipua praecepta renovantur. Sed fimul in fignum commercii cum Deo, et foederis interceffione fua denuo pacti, *faciem* retulit de monte *corufcantem.* Quae fumma eft cap. XXXIV. Quae omnia cum fufius in Diff. Sacr. pertractaverim, et eadem fint praecepta, quae antea fuerant lata, hic nihil habeo quod obfervem, praeter illud unum, verba Dei v. 10. quibus declarat, fe *mirabilia* facturum *coram univerfo populo*, *qualia nufquam* et nullibi in terra vifa funt etc.: ad foederis promiffa effe referenda, fed quae conditionem, in fequentibus narratam, fimul involvunt. Tota quoque gubernatio Dei, refpectu Ifraelis, fuit miraculofa, five populum duxerit in deferto, five in Cananaeam introduxerit, five a poteftate hoftium liberaverit, five in ftatu profpero collocaverit, et quae funt alia, nihil fere nifi *mirabili* modo factum eft.

§. CLXXXIII. Deo reconciliato, ac foedere solenniter renovato, Moses, coetu populi convocato, exponit, in sermone ad eum, typum Tabernaculi, quem in monte acceperat, eoque facto, omnia, ad illud pertinentia, sunt confecta, et Tabernaculum erectum, et a columna nubis ac ignis, symbolo inhabitationis Dei, occupatum est *primo die primi mensis anni secundi exitus ex AEgypto*, c. XL: 17. Descendit autem de monte ann. I. mens. VII. die 12*mo*, qui erat dies *Sabbati*, uti Vignolius observavit Chron. S. tom. I. p. 682. unde ratio peti potest, quare praeceptum de Sabbato fuerit praemissum cap. XXXV: 2. Sed cui addi meretur alia, ut scilicet in Tabernaculo conficiendo scirent, ab opere diebus Sabbati quiescendum esse: singulare vero est, quod *ignis* quoque vetetur accendi in tentoriis Israelitarum, ignis nimirum tantum ad *coquendum et operandum* Ex. XVI: 23. excepta tamen semper necessitatis lege. Quae deinde in libro Levit. narrantur, acciderunt spatio unius mensis; cum lib. Numer. mens. II*do* anni II*di* exitus incipiat, quo ipso tempore Israel montem Sinai deseruit, Num. I. ac in Kadesch, ad austrum Cananaeae, venit, ejusdem anni mense secundo: quando missi sunt exploratores Num. XI: 20, 35. XII: 15. XIII: 20. secum collatis, simul ob murmurationem et rebellionem condemnati ad 40 annorum oberrationem in deserto, adeo ut ab eo tempore annos 38 adhuc triverint in eo. Quid vero tam longo spatio fuerit peractum, silet historia, quae ingentem patitur eclipsin, ab anno exitus *tertio* usque ad *quadragesimum*, a quo filum historiae resumitur Num. XX. quod cap. XIV. fin. abruptum erat. Redierunt in desertum Tzin, seu Kadesch, altera vice anno 40*mo* mens. I*mo*. De mense ex Num. XX: 2. constat, sed de anno ex morte Aaronis mens. V*to* anni 40*mi* in secunda statione, eam in Kadesch mox secuta Num. XXXIII: 38. Prolixior est historia prioris biennii, sed sequentium 38 annorum longe contractior, utique a statione 15*ta* usque ad 32*dam*; quibus quid contigerit silетur, et inde a statione 34*ta* usque ad mortem Mosis continuatur narratio.

§. CLXXXIV.

§. CLXXXIV. Cum vero, antequam ad diuturnam illam in deſerto oberrationem condemnatus eſt populus, nonnulla acciderint memorabilia, eorum aliquem dediſſe intellectum, ab inſtituto cenſeri nequit alienum; ſed faciam, ut brevis ſim. Iſraele ad montem Sinai adhuc morante, omnia illa quae in tertio Moſis libro *Levitico*, ab argumento ejus adpellato, narrantur, contigerunt ſpatio unius menſis, ut modo notavi. Comprehenſae autem eo libro ſunt leges, ad Tabernaculum, et inhabitationem Dei in eo, pertinentes, quarum aliae *ſacrificiorum* cultum exponunt, aliae *perſonas* definiunt, quae cum Deo exhiberent, aliae *populi* deſcribunt qualitates, per quas ſe Dei inhabitatione dignum praeſtaret, ſimul cultum ſuum religioſum Deo gratum, aliae *tempora* ſacra, ſeu feſta, deſignant. Sed interſeruntur comminationes et promiſſa, ut populus ad Legis obſervantiam magis adſtringeretur. *Prima* libri pars c. I—VII. cultum ritualem ſacrificiorum, et oblationum adcurate tradit. Quas leges Deus mox, cum ſedem in Taberculo capeſſivit, et ante Tabernaculi ac ſacerdotum inaugurationem tulit, ut ex c. I: 1. patet, et quidem ex ipſa aede, quae nomine *tentorii conventus* intelligitur, et ſedes erat Divinae Majeſtatis. Ex quo, inter alia indicia, liquet, ut id obiter obſervem, ultimam pericopam c. VII: 35—fin. non eſſe hujus loci et temporis, ſed poſtea a Moſe, vel alio, qui ſcripta ejus recenſuit, additam, inſtar clauſulae, qua omnes leges, ad ſacrificia pertinentes, ſive nunc, ſive antea datae, concluduntur. Mentio utique ibi v. 37. fit ſacrificii *inpletionum*, antea in ipſo monte Sinai inſtituti; quare v. 38. additur in *monte*.

§. CLXXXV. Ipſa ſacrificia cum inſtituti ratio non ferat exponere, eorum verum conſpectum, et ſcopum, ſed litteralis oeconomiae legalis tantum reſpectu, ſalvo ſpirituali et myſtico intellectu, tradam, ſed paucis, cum in libr. Diſſ. S. l. II. c. 7. fuſius id fecerim. *Holocauſtum* reſpicit, ex mea opinione, ad Deum, qua creatorem et omnium Dominum, omnique honore colendum, eoque ſpectavit, ut illud, qui offerebat,

publice confiteretur, ſimul favorem ejus, cui offerebat, inpetraret, denique ſe Deo ad omnia officia, ad mortem uſque, obſtrictum teſtificaretur, poſtremo, ſi foedus violaret, dignum fateretur, qui per ignem juſtitiae divinae conſumatur. *Munus farreum* e tritico, admixto oleo, thure et ſale, ſed ſine fermento et melle, nec non *primitiarum* ex ariſtis toſtis et contuſis, addito oleo et thure, eo tendebat, ut Iſraelitae cum profiteantur, ſe omnia terrae bona a Deo habere, eique debere, tum favorem Dei hoc munere ſupplicarent, ac benedictionem ſuper fructibus terrae. Thus boni odoris gratia et tanquam ſymbolum precum adeſſe debebat, et ſal ſingularem ad foederis perpetuitatem habuit relationem. Fermentum vero et mel, tanquam menſae hominum propria, a menſa Dei exulare debebant, ut inter humanam et divinam diſtingueretur. Sacrificia, *ſalutaria* dicta, ſive ex grato, ſive ex bene adfecto, ſive voto ligato, animo facta, tot enim erant ſpecies, eo tendebant, ut vel gratiae Deo pro bonis inpetratis agerentur, vel adfectus boni erga Deum daretur ſignum, vel bonum aliquod inpetraretur, in ſpecie ad familiarius aliquod hominis cum Deo commercium relationem habuerunt, quare offerentes de iis quoque coram Deo comedebant. Sed et illud obſervatu dignum eſt, holocauſta ac ſalutaria ſacrificia in *foederis* cum Deo pactione locum habuiſſe, et ad eam ſpeciatim reſpexiſſe, ita ut per *holocauſtum* foedus fuerit pactum, et per *ſalutare* illud eſſe ictum ſignificetur, erat enim *εἰρηνικὸν pacificum*, et convivium aliquod foederale Deo quaſi et populo inde inſtruebatur, ut l. c. expoſui.

§. CLXXXVI. Sacrificia, piacularia pro *peccato* חטאת, et *delicto* אשם dicta, expiandis peccatis externis, ſeu transgreſſionibus deſtinata, expiationem non veram et plenam, quod facile cernitur, ſed externam, typicam ac legalem, convenienter oeconomiae legalis indoli, effecerunt, quatenus transgreſſor a poenis corporeis fuerit liberatus, et juri ad commercium cum Deo legale reſtitutus; quod effectum ſacrificia non per ſe, ſeu inſitam vim ac virtutem, habuerunt, ſed per *arbitrari-*

am

am Dei institutionem, qua Deus sese ad seculi mores, et genium Israelis, ob sapientes adcommodavit rationes, quae, partim ex rei ipsius natura, partim ex ultimo oeconomiae legalis fine, derivandae, fuerunt, quantum nobis patet, hae duae. *Prior* est, quod in animalium mactatione, et sanguinis effusione, publicum fuerit testimonium et argumentum, Deum esse justum ac sanctum, et a peccatis ita abhorrere, ut sine tali demonstratione nullum possit cum peccatore habere commercium. Ipse peccator illud per manuum inpositionem non tantum palam confitebatur, sed et ipsa sanguinis effusio, quid meritus erat, et sanctitas Dei exigebat, expinxit. Erat interea haec levis et legalis tantum demonstratio, quae nudam *speciem* satisfactionis praetulit, simul *typica* solummodo. Unde altera ratio majoris momenti sese offert, in *relatione* ad Filii Dei, veri sponsoris ac mediatoris, sacrificium, suo tempore offerendum, sita, quo nomen Dei perfecte sanctificaretur: quae relatio in aliqua convenientiae inter victimas legales et Christi specie ut sese conspiciendam praeberet, ejusmodi, cujus memini, expiandi via per victimas Deo non displicuit, nec aliquid habet ipso indignum: maxime cum aliquae notae distinguentes in sacrificiorum legalium defectu exstiterint, unde, quantopere a vera expiatione abessent, constare poterat. Cujus defectus et illud fuit argumentum, quod animi vitia purgare, omnes actiones quoque vitiosas expiare non possent, quin conscientiae adflictae, ne quidem actionum externarum respectu, ita mederi, ut reatus plene expungeretur. Quae omnia verbo tetigisse suffecerit, cum ex sana Theologia satis constent.

§. CLXXXVII. Ceterum pro cujus generis peccatis, non internis animi, sed externis, sacrificia illa fuerint oblata, et quid discriminis sit inter sacrificium pro *peccato* dictum חטאת et *delicto* אשם, ut verti solet, hic non est locus inquirendi; exposui illud Diss. s. l. II. c. 6. ubi demonstrare conatus sum, in *gravioribus* delictis locum habuisse חטאת, in *levioribus* אשם. Peccata, quorum ratio in sacrificiorum piacularium oblatione

 haberi

haberi solebat, erant *vel* legales et rituales inpuritates, ex. gr. ex lepra, et leprosi contactu, ex seminis fluxu extraordinario, ex menstruo, puerperio, cadaveris aliorumque inpurorum contactu etc. *vel* vitiosa facta moralia, ex. gr. si quis testimonium dare recusaret, falso aut temere juraret, nec praestaret, sacrilegium commiserit, depositum negaverit, aut aliquid proximo vi extorserit etc. Lev. V. Sed si ex ignorantia juris aut facti commiserit delicta, vel, inprudentia et inadvertentia abreptus, postea tamen eum poeniteret, Lev. V: 21—

§. CLXXXVIII. Secuta deinde est solennis *consecratio* altaris et sacerdotii, ejusque *confirmatio* cap. VIII—X. erecto jam Tabernaculo facta quidem, ut facile patet, sed, quod observo, non diverso tempore, acsi post altaris consecrationem, septem diebus peragendam, Exod. XXIX: 37. Sacerdotii facta sit, verum eodem tempore, ita ut utriusque simul contigerit, quod vel ex eo patet, quod iisdem sacrificiis, eademque unctione utraque legatur facta consecratio c. VIII: 10, 14, 15. Facta vero est consecratio *Tabernaculi* per unctionem, altaris quoque per eam et sanguinis adspersionem, *sacerdotii* per vestium solennem indutionem, denique septem dierum continuam moram in Tabernaculo. Cum vero Tabernaculi, ejusque partium, litteralem supra dederim conspectum et scopum, modo etiam sacrificiorum, hic autem personarum sacrarum solennis occurrat inauguratio, earum eundem tradam intellectum, fusius in lib. Diss. l. II. c. 7. expositum, adeoque quasi in transitu. Ritus in *sacerdotum* inauguratione fuerunt sequentes. Deo in Tabernaculo propositi, cui consecrandi erant, et bene loti, ut sine sordibus puri officio fungerentur, *vestes fuerunt* induti et *uncti*, ut ad animum revocarent, se Deo esse sacros, ac per Spiritum ad munere bene fungendum aptos reddendos. Dein *juvenco*, in victimam piacularem oblato, peccatis per manuum inpositionem ei inpositis, a peccatis et inmunditia legaliter expiati sunt, quando *aries* holocausti oblatus est, quo per manuum quoque inpositionem publice professi sunt, se Deo, ejusque servitio, esse totos devotos. *Aries* dein, dictus inple-

inpletionum, quia manus eorum interioribus ejus partibus, in altari comburendis, ut et armo dextro cum placentis, *inplebantur*, et ita coram Deo agitabantur, mactatus, significavit, potestatem ipsis esse datam victimas et ferta Deo offerendi. Ut autem in munere se debere versari adtente, et omnibus viribus, scirent, extrema pars auris dextrae, ut et manus ac pedis dextri pollex *sanguine* ejus fuit oblitus. Denique, quod peculiarem meretur animadversionem, *sanguine* altaris conspergebantur, indicio, eos cum sanguine illo habere communionem, suoque modo ad expianda populi peccata concurrere debere: quo facit, quod de piacularibus victimis edere debebant, et peccata populi *ferre* dicuntur Lev. X: 17. Cum vero numerus septenarius ad creationem septem dierum spectet, *septem* dies durabat consecratio, ut vero Deo, creatori coeli et terrae eos esse sacros, demonstraretur.

§. CLXXXIX. Excepit mox hanc inaugurationem signum publicum divinae adprobationis, et confirmationis per *ignem*, in primas Pontificis et Sacerdotum oblationes inmissum, quo consumtae sunt Lev. IX. Declaravit enim Deus, hac ratione, sacerdotium Aaronis, ejusque filiorum, sibi et nunc esse, et in posterum fore, acceptum, simul eorum *benedictiones*, quae oblationes eorum secutae erant, ratas habiturum; modo Legibus et institutis divinis sese conformes praestent. Quod si negligerent, per eandem Divinam Majestatem, in Tabernaculo habitantem, severė tractarentur. Cujus notabile, simul tremendum, specimen mox editum fuit in duobus Aaronis filiis, Nadabo et Abihu, *igne* hoc absumtis, cum sanctuarium igne peregrino contaminassent, uti cap. X. narratur. Crimen eorum cum in eo situm fuisse traditur, quod sumserint quisque *acerram* suam, *ignem* indiderint, et suffitum inposuerint *coram Jehova*, eaque ratione ignem *peregrinum* adduxerint: reos sese praestitisse mihi videntur, quicquid nonnulli contra disputent, horum trium peccatorum, phrasi ad *ignem* non restricta, sed et ad modum, quo adductus est, extensa; quae fuerunt 1. quod ignem non ab *altari*, sed aliunde sumserint, adeoque vulga-

Aa rem

rem et *peregrinum:* quod diſerte dicitur, 2. alieno loco et tempore accenderint ſuffitum, in *ſancto* ſcilicet *ſanctorum;* quod nec ipſis, nec diei conveniebat. Quo haud obſcure phraſis, *coram Jehova*, ducit, et cap. XVI: 1, 2. manifeſte reſpicitur. Denique 3. proprio motu et ſua id fecerint autoritate, Moſe et Aarone non conſultis. De quo ipſe textus quoque teſtatur. Quae cum enormia fuerint, in primis in hac oeconomia et principio erectionis ejus, peccata, eos ſevere fuiſſe punitos, mirum accidere non debet, ut diſcant ſacerdotes, hoc ſtatuto exemplo, majore cum ſollicitudine verſari in cultu Dei, ſimul populo reverentia Dei, ejuſque cultus, ac metus incuteretur. Quo diſerte tendit, v. 3. Deum *ſanctificari velle in adpropinquantibus, et coram populo glorificari*, ut facile intelligitur.

§. CXC. Triſtis hicce caſus ſecum traxit alium, licet leviorem, in violatione legis de comedendo ſacrificio pro peccato a ſacerdotibus ſitum, qui poſt nonnullas leges, occaſione prioris caſus latas, v. 4—11. quae nobis hic moras injicere non debent, narratur v. 12. et ſeq. et ideo noſtram meretur adtentionem, quod v. 11. generalis occurrat nota ſacrificiorum pro peccato, comedendorum nec ne, deſumta ab introductione ſanguinis in ſanctum, quae locum unice habebat in ſacrificiis piacularibus, quae extra caſtra comburebantur; verba hunc fundunt ſenſum: *ecce cujus ſanguis non eſt in ſanctum illatus illud comedetis.* Cujus legis ratio mihi a myſterio videtur quaerenda, ut Vet. et Novae oeconomiae diſcriminis hac parte quaedam exſtaret nota: ſub Vetere obtinuit aliqualis in ſpeciem expiatio peccatorum, quare ſacerdotes de ſacrificiis pro peccato comedere tenebantur, ſed non *perfecta*, quare de nonnullis id non licebat, ſcilicet, quorum ſanguis in ſanctum inferebatur; quod typicum erat ſignum ſacrificii expiatorii Meſſiae, ad cujus communionem ſacerdotes Novi Teſt., ſeu credentes admittuntur, in ſignum perfectae expiationis. Quod ipſum latet myſterium in *ſanguine*, vetito ſub Vet. Teſt. ſed cujus uſu fruuntur fideles Nov. Teſt. ut in ſacra euchariſtia repraeſentatur. Sed hoc obiter; cum ejusmodi obſervationes ab inſtituto noſtro alienae ſint.

§. CXCI.

§. CXCI. Sequuntur leges ad Pontificem et ſacerdotes propius ſpectantes, cap. XVI et XVII. quae mox poſt triſtem filiorum Aaronis caſum latae ſunt, ut cap. XVI: 1. diſerte traditur, adeoque ante leges de inmunditie c. XI—XV. De quo poſtea. Fuſe autem cap. XVI. deſcribitur tempus et modus, quo Pontifex, cui ſoli id licebat, ingredi debeat ſanctum ſanctorum, non niſi ſemel in anno, ſolenni illo expiationis die, cum ſanguine ſacrificiorum, tum pro ſe domoque ſua, tum pro populo, et cum ſuffitu. Inter ſacrificia expiatoria pro populo ſingulare eſt, quod aries ſit offerendus, et magis adhuc, quod duo hirci ſumendi ſint, quorum alter erat mactandus, alter peccatis onuſtus dimittendus in deſertum, dictus *Azazel*, quatenus loco *ſejuncto* erat deſtinatus, ut ibi libere vagetur in deſerto, et terra ſeparata, inſtar ſacri piaculi. Radix enim עזל, unde עזאזל Azazel ex 12*ma* conjugatione, quae mediam rad. duplicat, inſerta una ex litteris אוי, uti a Rev. Hackman in animadv. jam eſt occupatum, in ling. Arab. denotat, ſeparationem, diſceſſum, receſſum; nec ſimplicem, ſed cum violentia et deteſtatione; adeoque Azazel expulſionem violentam, qualis eſt animalis, quod cum deteſtatione, et execratione ejicitur, tanquam ſacrum piaculum. De quo hic non eſt locus differendi. Subjunguntur leges, ad Tabernaculum, recens erectum, et ſacerdotium quoque ſpectantes, cap. XVII. quibus alibi, quam coram Jehova in Tabernaculo, vetatur offerre ſacrificia, cum, ut Jehova ſolus colatur, tum, ut omnis prava ſuſpicio et anſa idololatriae vitetur, ut eſt v. 7. Praeterea leges de ſanguine non comedendo renovantur, vel extenduntur ad cibos vulgares, quia ſanguis erat expiandis peccatis deſtinatus, et ideo vetitus vulgaris ejus uſus in cibum.

§. CXCII. Quibus, ad ſacrificia et ſacerdotium pertinentibus, ordinatis, Legiſlator ad ipſum populum propius accedit inſtruendum, ut ſeſe inhabitatione Dei dignum praeſtet, praeterea ſeſe in religionis exercitio Deo adprobet, ne in cultu ſacrificiorum cuncta eſſe ſita, et perinde eſſe, quaecunque

ſeſe ratione habeat, geratve, opinaretur. Leges, cap. XVII. comprehenſae, ſunt duplicis generis, aliae enim ad honeſta reſpiciunt conjugia, aliae ad concubitus nefandos. *Prioris* generis, v. 6—18. ſunt matrimoniales, ſive de nuptiis contrahendis, quae omnem prohibent inceſtum, et promiſcuum concubitum, quarum legum ratio a propinquitate nimia carnis repetitur, inter quas nonnullae occurrunt, quae antea nequidem inter Patriarchas, et in Iſraele locum habuerunt, uti *amitam aut ſororem* non ducere. Habuit utique Abraham ſororem ſuam ex Patre, et Moſis mater fuit Patris ejus amita: Jacobus quoque duas ſorores ſimul, quod hic v. 18. vetatur. Deinde quod de *uxore* fratris non ducenda v. 16. habetur, exceptionem admittit in uxore defuncti fratris ſine prole, a fratre non uxorato ducenda, uti conſtat. Ex quibus, ne alia memorem, colligi poſſe videtur, has leges non eſſe aeterni ac perpetui juris, in conſcientiae legibus fundatas, quae juris naturae, ſtricte ſumti, dicuntur, et in ſtatu naturali quoque obtinere debent, ſed ad ſocietatem honeſtis legibus ordinandam, ac rite ſtabiliendam, pertinere, adeoque eo ſpectare, ut omnis ſuſpicio et anſa ſcortationis, quae in tam familiari propinquorum cohabitatione et converſatione, ſi conjugia inter eos contrahi poſſent, vitari nequeat, auferatur, ſimul ſocietates per mutua conjugia, extra tam propinquos ineunda, magis coaleſcerent. De quo hic pluribus non licet agere, nec etiam quouſque hae leges ſint extendendae, et num qualiſcunque polygamia ſimultanea prohibita ſit verſ. 18., an duarum ſororum ſimultaneae nuptiae: licet poſterius mihi videatur verius ex ipſis vocibus, et ex nexu, nec non quod prius nuſquam fuerit vetitum, paſſim contra probatum et uſurpatum. De loco Mal. I. in comment. expoſui.

§. CXCIII. *Poſterioris* generis leges ſpectant ad illicitos concubitus cum uxore v. 19. et nefandos cum proximi uxore, magis abominandos cum beſtiis et viris, inſerta obiter lege de ſemine non conſecrando Molecho per ignem v. 19—22. Quando ſubjungitur ratio ad leges eas obſervandas movere

vere

vere apta, quae a Cananaeis, propter illa crimina extermi-nandis, deſumta eſt v. 23—fin. Ubi illud tantum habeo, quod obſervem, crimina Cananaeorum non tam ad inceſtus eſſe referenda, quem ad deteſtandos concubitus, tum adulterii, tum cum ejuſdem ſexus hominibus, et beſtiis, nec non ad ſeminis conſecrationem Molecho, eſſe reſtringenda. Cujus obſervati rationes mihi ſunt praecipue ſequentes. Praeterquam quod apud omnes gentes, etiam bene moratas, omnes illae leges de inceſtu non obtinuerunt, nequidem, ut modo notavi, apud ipſos Patriarchas, nec omnes inceſtus ſint aeque deteſtabiles 1. Nexus ſermonis requirit, ut pericopa v. 23— ad proxime praecedentia, quibuſcum connexa eſt, referatur, maxime 2. quia phraſis, *propter omnia haec*, ad crimina proxime memorata directe reſpicit. Denique 3. quod rem definit, adpellantur *abominationes et inpuritates*; quibus epithetis de inceſtu non fuit uſus Moſes. Conferri tamen debent, quae c. XX. occurrunt, et hinc explicari ac reſtringi. Quibus inmorari non poſſum.

§. CXCIV. Poſt leges matrimoniales, et nefandos concubitus, ad reliqua pergit officia ſocialia Legiſlator, quae Iſraelitae ſibi invicem, poſt Deum, et ſalvo ejus cultu, praeſtare debeant, ex amore proximi quoque fluentia, in tota converſatione et omni commercio; cap. XIX. Quae licet aliquo lumine illuſtrari poſſent, ne nimias traham moras, ab iis abſtineo. Ut autem hae omnes leges ſupra latae, rectius obſerventur, poenalibus ſanciuntur ſtatutis, cap. XX. ubi nihil quoque hic obſervandum habeo: ſicut nec ad cap. XXI. quo Legiſlator ad ſacerdotes et Pontificem redit, eorumque requiſita et qualitates exhibet. Tantum notetur, cum v. 24. dicitur, Moſen ea omnia eſſe locutum *coram Aarone, ejuſque filiis et toto Iſraele*, recte colligi, omnia, quae a cap. XVI. hucuſque prolata fuerunt, uno eodemque tempore et tenore, fuiſſe promulgata. Leges vero, quae cap. XXII. continentur, ad eas omnino pertinent, quae a cap. XI. uſque ad c. XV. de multifaria Iſraelitarum inmunditie erant latae, quaeque cum hujus

cap. XXII. conjungendae sunt. Tempus itaque illis adsignandum est, quod legum cap. XVI—XXI. promulgationem proxime secutum est; adeoque haud diu post duorum filiorum Aaronis triste fatum in Tabernaculo, et mandatum de eorum sepultura extra castra. Quod ipsum forte occasionem praebuit, inpuritates accuratius recensendi. Utique latae fuerunt circa hoc tempus, propter sacrificia, inmunditiae causa offerenda, nec non propter sacerdotes, quorum erat de inmunditia pronunciare, et populum ejus notitia adcurate inbuere: cap. X: 10, 11. et XI: 4. denique inhabitationis Dei causa, ad quam legalis haec puritas specialem habuit relationem, c. XI: 44. sine qua nemo in aede Dei comparere debebat.

§. CXCV. Agunt autem leges de multiplice inmunditie, ciborum respectu cap. XI. partus muliebris c. XII. leprae c. XIII, XIV. fluxus inordinati genitalium c. XV. Praeterea de personis quae, et tempore quando, sacra comedere poterant, de victimarum integritate, sine aliquo vitio, quod inpurum reddebat sacrificium, etc. cap. XXII. Quae omnes leges, cum, instituti ratione vetante, hic exponi nequeant, de inpuritatis vero conspectu et scopo in oeconomia legali et externa, mentem paucis explicuisse suffecerit, cum fusius id praestiterim Diff. S. I. III. c. 7. Cum personarum et rerum illarum inmundities non fuerit interna, sed *externa* tantum, ut facile patet, ea non tam realis habenda est, quam *relativa*, in eo quippe sita, quod a commercio cum hominibus vel cum Deo in sacrorum exercitio quem arcebat. Rationes vero *litterales* (nam de sensu mystico, quem salvum esse volo, hic non ago,) quare ejusmodi personae ac res a communi commercio ac usu fuerint segregatae, mihi sese offerunt; oeconomiae legalis habita ratione, sequentes. 1. Primam suppeditat externa *puritas*, sorditiei et spurcitiei opposita. Sordidum autem innuo, non tantum, quod humana id abominari videatur natura, sed et quod consuetudo et mores seculi, adeoque opiniones hominum tale constituerunt. Ad qualem sorditiem referri possent, ex. gr. fluxus menstruus, seminis inordinati,

ordinati, lepra, excrementa, cadaver etc.: Sordidum vero quod puerperio adhaeret, non est, uti putatur, in ipso partu, sed fluxu sanguinis cum eo conjuncto, quaerendum, ita ut ejusdem naturae sit pollutio, cujus est fluxus menstrui: uti ex Lev. XII. haud obscure liquet. Ceterum, ut illud hac occasione obiter observem, sicut partus ipse nullam adferebat inpuritatem, ita nec concubitus matrimonialis, secus ac vulgo ex Lev. XV: 16. putatur, quia vir *inmunditiem ex semine coitus exeunte* contraxisse, et ipsam uxorem polluisse, dicitur. Eo enim in loco non de concubitu maritali, sed de viro, in somnio et imaginatione nocturna ejiciente semen, agitur: quo omnes phrases ducunt, maxime quae Deut. XXIII: 11., ubi *casus nocturnus* adpellatur, occurrunt. De quo vid. Diss. S. l. c.

§. CXCVI. 2. *Secunda* ratio ex honore et reverentia erga cultum Dei recte derivatur. Cum enim Deum, qui personam externam Regis induit, tali modo honorare debeant Israelitae, eos sibi ab ejusmodi rebus, quae ex consuetudine et opinione hominum aliquid de contemtu trahunt, cavere debuisse, facile cernitur. Quo facit, quod per inpuritatem a sacris debuerint abstinere: quibus eo ipso honor accedebat. Sed 3. aliquae harum legum, quod observo, officium aliquod *morale* pro scopo quoque habuerunt, adeo ut per res inpuras declaratas absterrerentur a rebus nonnullis turpibus. Sic ex. gr. uxor a partu recens inmunda declarata est ad aliquod tempus, sicut et mulier menstruum passa, ac vir seminis laborans fluxu, ut libidini ponerentur limites, et concubitus redderetur ordinatus: porro cum cadaver polluerit, multo magis a caede et crudelitate abstinendum erat. Quo etiam pertinet, quod hac occasione observo, quod nonnullae leges, ad politiam ornandam latae, et litteraliter observandae, propter fines morales fuerint, ut videtur, praescriptae, ut populum humanitate, aliisque virtutibus civilibus inbuerent, quales leges ex. gr. Lev. XIX: 19. et Deut. XXII: 9. occurrunt, de pecudibus cum alterius generis animantibus coitu non commiscendis,

de agro non ſerendo diverſo ſeminum genere, de bove et aſino in arando non copulandis, de veſte diverſo filorum genere non contexenda etc. Quae eo ſpectarunt, ut inculcaretur, ex. gr. cultum idololatricum non eſſe cum divino copulandum, Iſraelitas et gentiles unam in ſocietatem coadunandos non eſſe, nec conjugia cum gentilibus contrahenda, libidinem non eſſe contra naturam exercendam, nec viros in mulierum officium, aut has in illorum, involare debere. De quo Diſſ. S. l. c. fuſius expoſui. 4. Denique leges illas et eo probabile eſt collineaſſe, ut ſanitati et felicitati populi conſuleretur, cui illae inpuritates cenſeri poſſunt fuiſſe noxiae, in primis in calidioribus regionibus, et gente ſalaciore. De menſtruatae mulieris infectione contagioſa, de funeribus et cadaveribus, quid minus ſani ſpirantibus, conſtat, et de lepra quoque probabile. Tandem 5. has leges Iſraelitis a gentibus ſeparandis, et ab idololatria arcendis inſerviiſſe, ſatis exploratum eſt. Sed hiſce diutius non licet inhaerere, nec neceſſe eſt, cum alibi id factum ſit.

§. CXCVII. Pergit Legiſlator cap. XXIII. ad ſolennia et ſtata cultus tempora, quibus Iſrael ſeſe Deo, tanquam Regi et benefactori ſuo, ſiſtere debebat praeſentem, ut beneficia accepta gratus et laetus celebraret, favoremque Dei in poſterum inpetraret, ſimul ſubjectionem ſuam denuo ſolenniter teſtificaretur. Quae feſta, licet in prima legiſlatione Sinaitica *jam* inſtituta, hic ob alium ſcopum repetuntur, relate ad cultum ritualem, ut traderetur, quibus ſacrificiis et ritibus eorum celebratio ſit peragenda: quare hic recte locum inveniunt in libro Levitici. Erant autem, praeter *Sabbatum*, quod hic ordinis cauſa renovatur, feſta Paſchatis, Pentecoſtes, clangoris novi anni ruſtici, diei expiationis, et Tabernaculorum. Quorum finis et ſcopus in genere fuit, quem modo memoravi, ſed in ſpecie habebant ſingula peculiarem aliquam rationem, praeter ſenſum myſticum, quam in libr. Diſſ. l. c. expoſui, hic verbo adtingam. Creationis opus, ſicut per numerum ſeptenarium, cujus per omnes fere leges erat religioſa ratio, fuit

con-

continuo inculcatum, ita in specie, una cum redemtionis AEgyptiacae beneficio, per *Sabbatum* Ex. XX. et Deut. V. cui luculentius inserviit *Paschatis* festum, eo scopo speciatim institutum Deut. XVI: 3. Quo etiam solennis confessio, oblationibus primitiarum addenda, spectavit Deut. XXII. Legislationis Sinaiticae memoria fuit per *Pentecosten* continuo renovata, ut et foederis inter Deum et populum per arcam, et tabulas foederis in ea. Quo etiam, ut opinor, *dies expiationis* inter alia collineavit. Sicut enim Moses olim montis apicem, nunc Pontifex sanctum sanctorum intrabat, et coram Deo in nube supra arcam se sistebat, arcam sanguine conspergebat, sicut Moses per sanguinis sparsionem foedus sanciverat Ex. XXIV. populo quoque benedicebat, in signum foederis pacti; *Tabernaculorum* festum memoriam habitationis populi in deserto in tentoriis, sub tutela Dei secure degentis, et ab ejus cura dependentis, refricabat Lev. XXIII: 13. Sed remota non tantum, verum et praesentia beneficia a populo grata mente erant celebranda; quo Pentecostis et Tabernaculorum festa etiam tendebant, ut scilicet pro larga messe, et frugum felice collectione, per divinam benedictionem gratiae agerentur. Denique, licet cuncta novilunia fuerint festa, illud mensis VIImi seu Tisri, cujus hic fit mentio sub nomine *festi clangoris*, quia clangore buccinae celebrabatur, erat celebrius, cum quod annus rusticus, finita omnium terrae frugum collectione, tunc incipiebat, et omnia ad novam collectionem, suo tempore faciendam, praeparabantur, tum duo festa, *expiationis* die 10*mo*, et Tabernaculorum die 14*to*, in hunc mensem incidebant, ad quae hoc novi anni festum quasi erat praeparatio Lev. XXV: 9.

§. CXCVIII. Hac legum latione finita, accidit, ut filius matris Israeliticae et Patris AEgyptii, nomen *Jehovae* expresse defixerit et contumeliose tractaverit, qua occasione hoc crimen non tantum lapidationis poena vindicandum declaratur, sed et aliae leges poenales fuerunt latae, quia duo illi viri, unus modo memoratus, alter Israelita, secum *litigantes* se vul-

neraverant cap. XXIV: 10—Crimen, tali poena luendum, ubi *nomen Jehovae proferre* adpellatur v. 16. non simpliciter in temeraria nominis pronunciatione censeri debet situm fuisse, sed in ejus devotione cum execratione: verbum enim נקב proprie *figere*, *ferire*, hic non in genere expresse *nominare* denotat, sed nominatim *figere*, defigere, devovere, tanquam *nota* compungere vilipendii et execrationis. Ratio autem tam severae poenae unice a relatione Dei ad Israelem, cujus rex erat, repetenda est, adeo ut crimen in ea Theocratia sit pro laesae Majestatis crimine habendum: cujus in eo etiam est indicium, quod inter maledictionem *Dei et Jehovae* expresse distinguatur v. 15, 16. ubi, qui *Deo suo* maledixerit, in genere tantum dicitur inpune id non laturus, nulla addita poena a Magistratu aut populo infligenda, sed qui *nomen Jehovae* defixerit, lapidandus pronunciatur. Ex quo manifestum est, *Jehovae* maledicere esse regi Israelis notam blasphemiae inurere, sed *Deo*, esse in genere divino Numini id facere: Jehova erat quidem Deus, sed, qua *Jehova*, rex Israelis, seu Numen, cujus populus foederatus erat Israel; blasphemiae itaque crimen alium habuit in Republica Israelitica conspectum, ac in aliis Rebuspublicis, et pro laesae Majestatis habendum. Errant vero, qui per אלהים *Deos* intelligunt Magistratus, quippe eo nomine insigniri non solitos, ne quidem Judices in Theocratia, nisi ubi de tribunalibus sermo est, uti Ex. XXII. et Ps. LXXXII. ubi vid. Comm. noster.

§. CXCIX. Sequentia duo capita XXV et XXVI., comprehendunt leges de annis Sabbaticis ac Jubilaeis, nec non interdictum qualiscunque idololatriae et superstitionis, denique promissa et interminationes, quibus legum sancitur observantia. Quae omnia hoc quidem tempore a Mose promulgata, sed antea lata, et ipsi revelata, fuerunt dum in monte Sinai fuit versatus. Quod posterius ex titulo et clausula horum cap., scilicet c. XXV: 1. et XXVI: 46. manifestum mihi videtur, cum voces, *in monte Sinai*, alium non ferant sensum, et nulla adpareat ratio, quare, si ea cum reliquis aliis supra

pra traditis in Tabernaculo accepisset, traderetur in monte Sinai id factum esse. Prius vero, quod de promulgatione hoc tempore facta dixi, conjectura tantum est, in ordine hujus libri fundata, non temere turbando, maxime cum post festa solennia superioris cap. haec recte sequantur. Quod nisi admittatur, nihil superest, quam ut haec duo capita, una cum ultimo, quod etiam statuta in monte Sinai data continet, statuantur per modum adpendicis fuisse libro Levitici addita. Quod tanti non est. Anni *Sabbatici* v. 2—8. solennitas erat quies terrae, cessatio sementis et messis, nec non abstinentia a frugibus sponte natis, fructibusque vineae colligendis, ac in usum proprium seponendis, concesso omnibus promiscuo usu fructuum et frugum. Anni vero *Jubilaei*, v. 8—fin., seu *quinquagesimi*, seu septem septimanarum annuarum, de quo postea quid monebo, institutum exigebat, praeter quietem terrae, servorum Israelitarum dimissionem, et possessionum, aut venditarum, aut alio modo alienatarum, reditum ad antiquos possessores. Vox vero יובל *Jobel*, ut illud obiter observem, *vehementiorem cursum* in origine sua, ut ex lingua Arab. patet, continet, unde הוביל non *adducere* simpliciter, sed vehementiorem in modum *agere*, *propellere* designat Jer. XXXI: 8. Ps. LXVIII: 30. ubi vid. Comm. noster. Hoc itaque nomine annus fuit insignitus, partim ob *buccinae* vehementiorem sonum, quo indicebatur v. 9. vid. Jos. VI: 4. Ex. XIX: 13. partim ob frequentiam et concursum publicum, quo omnes viae perstrepebant.

§. CC. Rationes hujus instituti litterales, quas hic, ut supra feci, unice in oculis habeo, sese mihi offerunt praecipue sequentes. 1. *Quies* terrae, et promiscuus sponte natorum usus, sicut cum dominii Dei proprietarii in hanc terram, cujus usus fructus tantum erat penes Israelem, tum aequalitatis totius populi, respectu juris in terrae fructus, publicum erat signum, ita curam Dei, qua pauperibus et peregrinis prospicit, demonstrabat: quod Exod. XXIII. diserte additur. Testificabantur igitur Israelitae hac ratione terram suam esse Dei, ipsique

 com-

competere fruges et fructus ejus, cum terrae culturam omittentes, Deo, tanquam Domino terrae, quasi tributum pendebant, seque ejus esse colonos ac inquilinos declarabant. Quo etiam respicit, quod cum populus in exilio fuit, terra dicatur, in compensationem neglectorum Sabbatorum ab Israelitis, *egisse sua Sabbata* Lev. XXVI: 34.—Cum enim populus dominium Dei, suamque subjectionem et dependentiam, recusasset hoc signo testificari, Deus suum jus publice adseruit, populum expellendo, et terram reddendo incultam: qui ejus quasi erat Sabbatismus. 2. Restitutio vero cum *libertatis*, per servorum manumissionem, tum *haereditatis*, ad quam quisque redibat, quae anno Jubilaeo adcessit, eo tendebat α. ut tribuum et familiarum possessiones non confunderentur β. populus quoque disceret, non se, sed Deum esse verum terrae Dominum, qui singulis suam adsignavit portionem, a qua nemo, sine Dei consensu, erat abalienandus γ. ut avaritiae, et vitiis inde oriri solitis, obex poneretur, eaque ratione lites, et seditiones, quae possessionum vel acquirendarum, vel recuperandarum, causa, frequentes esse solent, praeciderentur. δ. Denique libertas et aequalitas in populo conservaretur, et oppressiones ac ambitiones e medio tollerentur.

§. CCI. Bona et mala, quae cum legum vel observantia, vel violatione, conneсtuntur, quorum prolixa exstat c. XXVI. recensio, quae promissorum et minarum non tantum, sed et prophetiae conspectum habet, ut facile cernitur, sunt omnia terrestria et externa, nulla spiritualium aut aeternorum facta mentione; quae sese latius non extendunt, quam ad finem usque oeconomiae legalis, seu tempus Messiae, quando ea abolita nova erigeretur, spiritualis et euangelica. Quo ipsae phrases ducunt, et quod experientia confirmavit. De quo cum hic non sit disputandi locus, alibi in lib. Diss. l. II. c. 5. fusius quoque disseruerim, obiter notasse suffecerit, ne quis in errorem abripiatur, aut inde colligat, bona spiritualia et aeterna fuisse sub oeconomia legali aut ignota, aut non inculcata, ac dispensata, quod a vero longe abest, ut aliunde constat,

ſtat, et in libr. Diſſ. quoque prolixe executus ſum; obſervaſſe, inquam, ſuffecerit, foedus Sinaiticum hic ſtricte ſumi, et eo ſenſu eſſe totum externum ac legale; adeoque Moſen, tanquam ejus miniſtrum, externa officia, cum ejuſmodi bonis et malis, tantum praeſcripſiſſe, convenienter naturae oeconomiae, quam condebat.

§. CCII. Subjunguntur tandem leges de votis, primogenitis et decimis cap. XXVII. in monte Sinai quoque latae, ut ex v. 34. patet, hic vero memoratae, ſive quod nunc a Moſe promulgatae ſint, ſive quod per modum adpendicis fuerint huic libro inſertae; ut ad praeced. capita notavi. Ubi illud tantum habeo, quod obſervem, v. 29. de perſona devota agi, ſive Dei juſſu, ut in populis Cananaeis exemplum eſt, et Amalekitis, ſive ob crimina morte luenda, qualem perſonam lex redimi vetat. Hic ſenſus eſt et ſcopus verſus citati, qui a praecedente, ubi mentio quoque fit voti חרם, quo quis vovetur irrevocabiliter *ex homine etc.*, probe eſt diſtinguendus, uti vel ex eo liquet, quod v. 28. occurrat active, ut dicitur, de perſona hominem abſolute vovente, ſed hic v. 29. paſſive de homine non ab alio homine devoto, ſed de eo, *qui eſt devotus* h. c. qui ſe devotionis reum fecit, uti exemplum eſt Exod. XXII: 19. in eo, qui ſacrificaverit *Deo peregrino:* (ſic enim ſuppleri debet locus, addita voce אחרים, uti cap. XX: 3. XXIII: 13. et ubique, quae per יחרם fuit abſorpta.) Vertatur itaque verſus: *omne devotum, quod devotioni erit obnoxium, ex homine, non redimetur, ſed morte morietur.*

§. CCIII. Legiſlatione abſoluta, adeoque civitate et Eccleſia Iſraelitica omni parte ordinata ad montem Sinai, populus ad iter perſequendum praeparatur, ſeſeque, hoc facto, inde movit, ac iter, ſpatio 39 annorum, varios inter caſus demum abſolvit. Quae hiſtoria *quarto* Moſis libro narratur. Adpellatur quidem a Maſorethis במדבר *in deſerto*, a quarta voce c. I: 1. (ſicut *ſecundus* a primis שמות *nomina*, *et tertius*, a prima ויקרא *vocavit*,) argumenti ejus ratione quoque habita,

 com-

complectitur enim historiam populi a monte Sinai ad limites Cananaeae usque ab ortu: sed Graecis liber ἀριθμῶν *Numerorum* vocatur a *censu* populi, qui in principio, et ultima ejus parte narratur: cui ἀμμισπακὶμ המספרים Origenis apud Euſ. H. E. VI: 25. respondet, uti legi ibi debet pro voce nihili ἀμμισφεκωδιμ. Initium vero narrationis fit c. I: 1. a die *primo* Mens. II*di* anni II*di* exitus, et terminus ponitur in mens. X*mo* anni XL*mi*. Moses enim populum convocavit die *prima* mens. XI*mi* anni XL. In *prima* libri parte, quae praeparationem ad castra movenda continet, c. I—X: 1—10. sese 1. *Census* populi ab anno 20*mo* aetatis offert, per Mosen, Aaronem, et capita, aut principes tribuum, secundum electionem Dei, factus, eo in primis scopo, ut viri militares albo inscriberentur, exceptis Levitis. Numerati autem sunt 603550. Quae summa est cap. I. Ceterum fuit hic census *secundus*, cum *primus* aliquot mensibus ante fuerit factus in usum Tabernaculi, singulis dimidium siclum, tanquam tributum capitis, offerentibus. Exod. XXX: 11. Coll. XXXVIII: 25. In quo utroque censu cum idem fuerit hominum inventus numerus; easdem personas fuisse recensitas, elucescit.

§. CCIV. 2. Castrorum dispositio, cap. II. narrata, ita fuit facta, ut Tabernaculum, instar praetorii, fuerit in medio, castra circumquaque ad formam quadrangularem, singula ejus latera habuerint *trium tribuum* stationes sub uno vexillo, adeo ut quatuor fuerint vexilla, et sub singulis tres tribus. Primum autem fuit Judae ad ortum tentorii cum Issaschare et Zebulone, secundum Rubenis cum Simeone et Gado ad meridiem, tertium Ephraimi cum Manasse et Benjamine ad occasum, quartum denique Danis cum Ascher et Naphtali ad septentrionem. Quae quatuor tribus quare fuerint vexilliferae, non est in obscuro. Juda enim erat princeps tribuum, Ruben primogenitus Jacobi, Ephraim Josephi ex Rachele primogeniti, a Jacobo praelatus Manassi, Dan primogenitus filiorum ex ancillis. Quae vero conjunctionis tribuum fuerit ratio, et num vexilla habuerint effigies aliquas, uti traditio habet Judaica, quae Judae

leonem,

leonem, Rubeni hominem, Ephraimo bovem, et Dani aquilam dat, ex Gen. XLIX. Deut. XXXIII. ex Cherubinis effícta, non inquiro, nec tanti est.

§. CCV. 3. Subjungitur mox cap. III. recensio Levitarum, eorumque substitutio, nec non dispositio stationum ac officiorum circa Tabernaculum, ita ut medium tenuerint inter castra et tentorium. Ubi nihil habeo observandum, cum de hac substitutione et Levitarum vero conspectu postea dicturus sim, nisi illud unum, quod ab instituto non est alienum, pericopam v. 1—13. habere conspectum introductionis, et res complecti anterioris temporis, hic locum reperire, quia executio nunc facta est, et antea omissae erant. Utique diversa notantur tempora, v. 1. in monte Sinai, et v. 14. in deserto; et Levitarum datio cum sacerdotio Aaronis, tanquam unius temporis, connectitur, v. 9 et 10. denique electionis Levitarum aliqua jam occurrunt ante hoc tempus indicia, ut in populo puniendo Ex. XXXII: 26. et censu propter tributum instituto Ex. XXXVIII: 21.—ubi Levitae memorati, nec tamen recensiti sunt. 4. Nova instituitur mox Levitarum recensio a 30 annis usque ad 50 aetatis, relate ad Tabernaculum, quando loco erat movendum; singulis enim Levitarum familiis sua, hujus rei respectu, fuerunt injuncta munia c. IV. Ubi illud tantum observo, quod hic de 30 annis habetur cum altero loco c. VIII: 24. ubi 25 memorantur, ita conciliari posse, ut alterum ad initium ministerii in Tabernaculo, alterum ad ferenda et portanda onera Tabernaculi loco movendi, referatur. Quod si displiceat, utrobique cum LXX legi poterit 25 ann.

§. CCVI. Castris ordinatis subjunguntur nonnullae leges, hoc tempore latae, vel promulgatae, sive quod aliquam ad ea habuerunt relationem, ut de prima constat, sive casus in historia non memoratus exstiterit, qui occasionem praebuit. Narrantur instituta ordine sequentia *a.* Leprosi, fluxu inordinato seminis laborantes, et ob contactum cadaveris inpuri, a castris arceantur, c. V: 1—4. *b.* Rei defraudatae ad proximum pertinentis

tinentis praecipitur restitutio, cum quintae partis auctario, defraudato, si supersit, facienda, vel, si non, consanguineo, vel, si desit, Pontifici; qua occasione et alia adduntur, ib. 1—10. *c.* Uxor *sota*, seu adulterii suspecta apud maritum, zelotypiae adfectu ductum, praecipitur detegenda per sacerdotem, ope vel medio *aquarum amararum* ab ipsa, post execrationem pronunciatam, et ab ipsa per *amen* admissam, bibendarum hoc cum effectu, ut, si rea sit, femora ejus concidant, et venter intumescat, si vero inmunis sit, prolifera fiat etc. unde patet, *tumorem ventris et femorum casum* nihil aliud significasse, quam ventrem inflatum instar gravidae, sed sterilis et abortientis, ibid. 11—fin. Quae lex eo spectasse videtur, ut mulieres ab inpudicitia magis absterrerentur simul, simul si pudicae sint, a maritorum violentia praestarentur inmunes.

§. CCVII. *b.* Nazireatus, cujus leges et instituta c. VI: 1—21. describuntur, considerandus est, ut illud unum hic tantum observem, tanquam status severioris disciplinae, et vitae austerioris, quam quis sponte sibi injungebat, sive mali alicujus, aut privati aut publici, avertendi, sive boni inpetrandi, causa. Severioris autem vitae institutae signa sese offerunt in abstinentia a vino et uvis, in accuratiore separatione a communione cum mortuis, proxime quoque conjunctis, denique in alenda caesarie. Quae omnia de statu luctus testantur, quare diebus luctus et jejunii status iste adplicatur *Zach.* VII: 3. et ad finiendum eum opus erat sacrificio *pro peccato.* Ceterum *comam alere*, sicut neglecti ornatus et luctus signum est, 2 Sam. XIX: 25. ita peculiarem Deo subjectionem, ac statum, quo quis libertati suae renunciabat, expingit 1 Cor. XI. Sequitur mox *c.* praeceptum de *benedictione* sacerdotali, solennibus temporibus coram populo pronuncianda: ibid. 22—27. huic loco insertum, quod castra modo essent ordinata, et solennis Tabernaculi dedicatio a populo facienda mox instituerettur, quando *benedictio* opportune fieri poterat, in signum adprobationis divinae, et testificationis favoris Dei, quem populus sibi poterat promittere.

§. CCVIII.

§. CCVIII. Quod benedictionis promissum recte excipit oblatio munerum a Principibus tribuum facta, quippe qua, se in dispositione Dei acquiescere, et Tabernaculum pro unico veri Dei cultus loco agnoscere testificabantur, simul sese Deo, ibi habitanti, ad omne officiorum genus submittere. Quae summa est, et scopus cap. VII. Dedicaverat quidem ipse Deus Tabernaculum et sacerdotium jam antea, sed a populo id nondum erat factum, nec commode poterat, nisi omnibus, quae ad castrorum dispositionem pertinebant, ordinatis. Consecrarunt itaque primores populi, ordine castrorum observato, eum in finem dona sua Deo, et sacrificia obtulerunt. Vulgo quidem putatur, hoc caput alieno occurrere loco, quippe ad illud tempus pertinere, quo erectum est Tabernaculum, mox post septem dies consecrationis altaris absolutos, adeoque non post castra ordinata mense demum secundo, ut hic narratur, hoc unico sublesto fundamento, quod in titulo cap. nostri habeatur, *eo die*, seu tempore, contigisse, quo erectum est Tabernaculum, et altare unctum; quia phrasis latitudinem admittit, et in genere dicit, post unctionem, uti v. 38. haec est *initiatio altaris post unctionem ejus*, initiatio scilicet a populo facta, sicut antea per Deum ipsum. Esse autem eam, cujus hic fit mentio, tempore posteriorem, inde non tantum liquet, quod ordo narrationis non sit temere turbandus, verum etiam 1. quod recensio populi jam fuerit peracta, cum principes v. 2. tradantur recensioni praefuisse, 2. eo fuerit ordine peracta oblatio, quem singulae tenebant tribus in castris; teste collatione cum cap. II. Denique 3. oblatio munerum et sacrificiorum pro hypothesi habeat sacerdotii inaugurationem, et castrorum ordinationem, cum ad castra loco movenda respiciant, nec non Levitarum electionem, et circa Tabernaculum locationem, v. 5. Ceterum ratio, quare haec inauguratio per populum post tot leges, erecto jam Tabernaculo, latas, connectatur cum altaris unctione, nulla rerum intermediarum facta mentione, inde mihi repetenda videtur, quod ea peculiari schedula fuerit comprehensa, quae altaris inaugura-

augurationem conjunxit cum ea Dei, propter rei ipsius vicinitatem, nec deest peculiaris schedulae indicium in titulo, ceteroquin frustraneo, v. 1. Superest notetur, hanc inaugurationem, aeque ac priorem, fuisse divino testimonio publice comprobatam, priorem quidem per *ignem* divinum, hanc per *vocem* Dei, ab inter Cherubinos prolatam: v. 39.

§. CCIX. Omnibus rebus, altare, sacerdotium et castra, concernentibus, peractis, Levitarum, praeter praeceptum de modo accendendi candelabri in Tabernaculo, quod mitto, narratur inauguratio; cap. VIII. Erant jam electi Levitae et primogenitis substituti, cap. III., non quod primogeniti, ut multis videtur, fuerint tanquam inpuri repudiati, cujus nullum exstat indicium, sed quod a laborioso munere et obligatione, qua Deo erant, secundum ejus declarationem, ante factam Ex. VIII., obstricti, fuerint liberati, et *redemti*, in eorum locum suffectis Levitis, quippe cum sacerdotibus arcte conjunctis. Sicut vero *primogeniti* conspectum habuerunt non sacerdotum, sed sacrificiorum, a morte redemti, sed Deo consecrati, in usum sacrum, ita et Levitae, iis substituti, qui sacerdotibus in usum cedebant, uti a Cl. Vitringa, Obs. S. l. II. c. 2. jam est observatum, et uberius ex ipsis ritibus inaugurationis eorum a nobis illustratum, in lib. Diss. S. l. II. c. 7. quare digito tantum adtingam: sicut sacrificia perfecte pura esse debebant, ita ipsi aqua lustrali non tantum abluti sunt, sed ne aliquid sordis adhaereret, *pilis* abrasis, quasi *excoriati* sunt. Populus quoque *manus* ipsis inposuit, peccata in ipsos, instar victimarum, devolvendo: quando coram Deo *agitati* sunt, ut in oblationibus fieri solebat, indicio eos domino esse oblatos. Cum tamen mactandi non essent, per sacrificium piaculare, cui ipsi manus inposuerunt, redemti sunt, et sic toti, quod per holocaustum fuit significatum, servitio Dei consecrati ut sacerdotum ministri.

§. CCX. Cum vero castra jam jam essent movenda, signumque esset profectionis, castra metationis aut mansionis, *nubes* super Tabernaculo, ejus instituti mentio hic repetitur; quippe

quippe jam antea memorati in prima Tabernaculi erectione; ut patet ex c. IX: 15. et Ex. XL—fin. Sed, praeter hoc divinum profectionis signum super Tabernaculo, aliud Deus instituit hoc tempore humanum, seu inter homines usitatum, duarum scilicet *tubarum* argentearum, a sacerdotibus inflandarum, in duplicem usum in deserto, *unum* ad convocandum populum coram Tabernaculo, *alterum* ad iter ineundum, sed priore casu per sonum aequalem et continuum, posteriore per inaequalem et fractum, cap. X: 1—8. Subserviebat autem signum tubae priori divino *nubis*, populum admonendo, cum de scopo elevationis nubis, tum de tempore, quo fieret, ut omnia pararet, et mox, nube se movente, iter posset instituere. Qua occasione alios tubarum usus memoravit Moses, qui in terra Cananaea locum haberent, v. 9, 10. Tempore nimirum belli, cum ab hostibus invaderentur Israelitae, sono *fracto*, et solennitatum publicarum sono *continuo* inflarentur, sed longe alio scopo, ac in deserto; non enim ad populum, sed Deum commonefaciendum quasi et excitandum, ut diserte additur, non acsi eo indigeret, ut facile cernitur, sed ut populus ejusmodi signis externis adsuetus, hoc signo, se Dei auxilio indigere, ejusque favorem desiderare, significaret, simul de eo impetrando certior fieret; in deserto erat vox Dei, sed in Cananaea vox populi, quia in deserto ducem egit populi et imperatorem, sed in Cananaea fixam ac tranquillam sedem haberet, tanquam *Rex* populi, qui adeundus erat et inclamandus, si auxilio ejus opus esset.

§. CCXI. Cunctis hac ratione paratis, itinera populi ceperunt; quorum historia *secundam* libri hujus partem constituit, cujus scopus, quod ante omnia notandum, non est, adcuratam omnium itinerum et casuum dare notitiam, sed exstantiorum, in specie, murmurationum et transgressionum Israelis, quae tam longae et molestae morae, totque malorum, quae ipsi contigerunt, causae fuerunt, ne quis Deum accusaret, aut aliam fingeret rationem in Dei dedecus, aut religionis a Deo institutae contemtum. Primum locum tenet histo-

ria itineris e deserto Sinai in desertum Paran, ut dicitur c. X: 12. cujus sensus non est, Israelitas sine ulla statione intermedia eo venisse, quod verum non est, cum aliquae stationes intercesserint, ut ex c. XII: 16. coll. XXXIII: 16, 17. et ex ipsa hac narratione liquet, sed, stationem in deserto Paran fuisse longiorem, vel potius, intermedias illas per aliquos casus incidentes verius, quam secundum intentionem Dei, contigisse. Praemittitur castrorum motio respectu temporis signi divini, ordinis, aliarumque circumstantiarum: cap. X: 11—fin. *Tempus* fuit dies 20*mus*, mens. II*di* ann. II*di* exitus v. 11., adeoque post 11 mensium et 20 dierum moram in deserto Sinai, quippe quo venerant die I*mo* mens. III*tii* anni *primi* Ex. XIX: 1. Misso *signo* elevationis *nubis*, *et ordine* motionis castrorum, ubi nihil notandum habeo, duae *circumstantiae*, in historia memoratae, nostram merentur animadversionem, quarum alia hoc demum tempore, alia semper, locum habuit.

§. CCXII. *Prior* casus est, quo Moses socero suo Chobabo persuadere conatus est, ut secum iret, et auxilio esset: ibid. 29—32. Huc usque manserat Jethro, qui idem est ac Chobab, ut supra suo loco observavi, apud Israelitas, ad quos venerat quo tempore castra posuerunt ad montem Sinai Exod. XVIII. Etsi enim ibi legitur, ipsum *discessisse*, illud tamen non mox accidit, sed hoc ipso demum tempore, quando *ne* nunc in perpetuum censendus est Israelem reliquisse, verum ad tempus, ita ut identidem, ubi opus erat, redierit: uti hic haud obscure insinuatur. Vulgo quidem putatur, ipsum nunc non discessisse, sed a Mose permotum mansisse, quia, cum Moses instaret altera vice, ne propositum exsequeretur, nihil in historia additur, argumento, ut putatur, illum sibi passum fuisse persuaderi, ut maneat: sed illud perverso precum Mosis repetitarum intellectu nititur. Preces enim non habent, ne abeat; sed tantum ne in perpetuum, et ut quantocyus redeat: Hic enim sensus est v. 31. *ne deseras nos* h. e. ne curam tuam nobis subtrahas penitus et in perpetuum abeundo; sed

redeas;

redeas; additur, *quia propterea quod noſti conſtrametationes noſtras in deſerto*, ſcilicet, difficile tibi idcirco non eſt nos invenire. Rationem continent verba, non quare manere debeat, ſed facile ei fuerit redire. Quod ex eo etiam firmatur, quia ductu ſoceri opus non habebat Moſes ad ſtationum loca definienda, quippe per Deum ſignanda. Nec eam ob rationem noluit a ſocero deſeri, ſed, quod ipſe mox declarat, ut *ſibi et populo pro oculis* eſſet, h. e. conſilio in multis, qui accidere poterant, caſibus adeſſet, cujus exemplum Jethro antea dederat Ex. XVIII. Ceterum eum rediiſſe, ex eo etiam colligi poteſt, quod poſteri ejus inter Iſraelitas, vel in eorum vicinia, ſedes habuerint Jud. I: 16. IV: 11, 18. Subſtitiſſe videntur, ut illud in tranſitu ex Jud. I. obſervem, poſtquam Iſraelitarum caſtra ſecuti ſunt, Num. X: 31. in campis Hierichuntinis, cum Jud. I. *ex urbe palmarum* adſcendiſſe dicantur, quod eſt Hierichuntis epitheton Deut. XXXIV: 3. ubi gregum cauſa ſe tenuerunt, quandiu Iſraelitae terrae Cananaeae occupandae operam dederunt. Qua occupata et diviſa inter tribus, veteres regiones repetierunt, ita tamen, ut propiores Judae ſe tenuerint, tentoria figentes in *deſerto Judae*, ubi multa erant paſcua non occupata. Habitarant antem antiquis temporibus ad auſtrum Cananaeae in deſerto Arabiae, ut de Kenaeis, quorum partem fecerunt Jethronis poſteri, traditur Gen. XV: 19. Num. XXIV: 21. ſicut cum Kenaeis junguntur Jud. I: 16.

§. CCXIII. *Altera* circumſtantia continet verba, a Moſe pronunciari ſolita, cum arca ſe moveret v. 35, 36. ſatis notabilia, ſed intellectu non difficilia, modo obſervetur, ſermonem dirigi non ad *arcam*, acſi ea nomine Jehovae fuiſſet inſignita, quod abhorret, ſed ad Jehovam, cujus ſymbolica ſedes erat in nube ſupra arcam; orat autem Moſes, ut hoſtes coram Jehova diſſipentur, et, iis ſubactis, *requieſcat* inter innumeras chiliadas Iſraelis. Quo Pſ. LXVIII. et alibi adluditur: et hinc ortum videtur, quod arca ſubinde in caſtra progreſſu temporis fuerit tranſlata, iiſque adfuerit; uti conſtat.

§. CCXIV. Iter in desertum Paran, cujus historia traditur c. X: 33.—XII.—fin., eo scopo institutum, ut continuo perficeretur, et castra eo in loco aliquandiu manerent, ut ex c. X: 12. ubi, *nubem habitasse in deserto Paran*, habetur, liquet, aliqui casus interceperunt, qui duas intermedias stationes alicujus durationis produxerunt. Quorum *prior* est populi murmuratio, quae duplex accidit post *trium* dierum iter, unde factum est, ut moras traxerint castra, figique debuerint, tentorio Dei erecto. De quo ex nexu narrationis facile constat, modo verba v. 33, 34. cap. X. una serie cum cap. XI. connectantur, pericopa v. 35, 36. pro parenthesi habita, uti debet, hac ratione: *et profecti sunt a monte Jehovae, spatio trium dierum, arca praecunte ad locum quietis definiendum — — et factum est, cum populus acerbe conquereretur coram Jehova*, (phrasis, *sicut quiritantes malum*, denotat *cum maligne conquererentur:* ב enim ante verbum *quiritantes* est *cum*, et רע *malum* cum verbo *queri* construendum est:) *ut audiverit Jehova, et ignem inmiserit in castra etc.* Unde liquet, iter post tres dies fuisse interceptum, et castra ea occasione ibi posita: est quoque castrametationis satis clarum indicium c. XI: 10 et 16.

§. CCXV. Occurrit in hac historia duplex murmuratio, tempore et genere distincta; dicuntur enim Israelitae v. 4. *denuo flevisse*, et duplex est inflicta poena, quae duo diversa nomina diversis locis, in rei memoriam, inposuit, v. 33, 34. *Prior* in genere *quiritatio* adpellatur *maligna*, absque ut ejus exprimatur argumentum. Conquesti forte fuerunt de itineris molestiis et horrido deserto, similibusque malis. Cum autem *malignae* essent querelae, non tam ex sensu malorum, quam animo male in Deum adfecto ortae, per *ignem* divinum, forte e columna nubis et ignis emissum, quia *ignis Jehovae* adpellatur, sicut Nadabo et Abihu contigerat Lev. X. castra universa carpentem, ab extrema parte initio facto, (quam fere amplitudinem habet phrasis, *in extremitate castrorum*, ut jam est occupatum) vindicata sunt. Sed ab hac plaga, per Mosis inter-

intercessionem vix liberatus populus fuit, quum in longe acerbiorem erupit murmurationem ob penuriam, vel defectum *carnis*, cibo coelesti *Manna* non amplius contentus, quin eum fastidiens. Quae murmuratio a mixta turba alienigenarum, qui sese Israeli ex AEgypto adjunxerant, initium sumsit, et totum populum corripuit, eratque eo atrocior et culpabilior, quod non ex cibi defectu, sed damnando adpetitu fuerit orta v. 4. et cum *mannae* contemtu conjuncta, dulcis et grati cibi, cujus descriptio propterea repetitur, v. 6. denique ad apertam rebellionem spectabat; uti ex Mosis petitione, inde orta, patet.

§. CCXVI. Produxit haec murmuratio *α. Septuaginta seniorum* electionem, et inaugurationem divinam, ut Mosi, de onere administrationis tam rebellis populi conquerenti, in eo essent adjumento: ibid. v. 11.—Qui seniores licet omnino a Judicibus, e consilio Jethronis, consensu populi, institutis, distinguendi sint, cum 70 tantum fuerint, nec, ut illi, in perpetuum, sed ad tempus, introducti, simul in propiorem muneris Mosis venerint participationem: a probabili tamen non est alienum, hac ipsa occasione consilium Jethronis fuisse executioni mandatum, ita ut praeter hos 70, supremos cum Mose populi rectores, soli Mosi subordinatos, reliqui inferiores judices paulo post fuerint introducti. Quod ex Deut. I. ubi Moses eorum originem a querelis suis super nimio onere repetit, et tempori, quo a monte Sinai proxime discesserant, adligat, confirmatur. Ceterum, missa de Magni synedrii origine quaestione, num hic quaerenda, an recentioris sit temporis, observasse suffecerit, hos 70 viros fuisse extraordinarios, Mosi durante ejus administratione adjunctos tantum, ut ipsum in populo rebelle regendo, ac in ordinem redigendo sublevarent, denique spiritu Mosis, cum ipsis communicato, et dono prophetico, fuisse praeditos: ne alia memorem, quibus ab ordinariis synedrii membris distincti fuerunt, criteria.

§. CCXVII. *β.* Alterum, ex hac murmuratione ortum, est miraculosa *coturnicum* in cibum, praeter manna, suppeditatio

ibid. 32—fin. Quod miraculum uno alterove illuſtrabo obſervato; de voce per *coturnices* verti ſolita, in ſuperioribus ad Ex. XVI. jam aliquid monui. 1. Cum v. 31. coturnices circa caſtra fuiſſe dicuntur *circiter duorum cubitorum ſupra terram*, ſenſus eſt, tam prope a terrae ſolo afuiſſe, ut inter aves et terram non niſi duorum cubitorum ſpatium fuerit, adeoque faciles fuiſſe captu. 2. Aves fuiſſe per retia expanſa captas, indicari videtur v. 32. quo et verbum אסף *colligere* rete Hab. I: 15. et שטח *expandere* ducit, Ez. XXVI: 5, 14. XLVII: 10. ultimum enim membrum v. 32. additum eſt, ad modum collectionis per expanſa retia explicandum. 3. Menſura avium, quam ſinguli collegerant, 10 *Chomerorum* cum nimia ſit, nam ſinguli Chomeri faciebant 100 *Gomeros*, et Gomer uni viro pro unius diei cibo ſufficiebat; niſi quis pro חמרים legere malit עמרים, ut tot aves ſignificentur, quot ſingulis in 10 dies ſufficiebat, ſtatuendum eſt, vel totidem *acervulos* avium indicari, qui uſus a voce non eſt alienus, vel de capitibus familiarum pro tota familia capiendum eſſe. Denique 4. quod ad plagam adtinet populo inflictam, v. 33. obſervari velim ex Pſ. LXXVIII: 29.— 1. crimen populi in eo fuiſſe ſitum, quod adpetitui et deſiderio ejus non tantum non fuerit ſatisfactum, licet per totum menſem fuerit carne ſaturatus, ſed et auctum, adeo ut Deus ei nihil aliud inde adtulerit, quam adpetitus augmentum, quem ſenſum verba Pſ. LXXVIII: 29. fundunt, ita vertenda; *et comederunt, et ſaturati ſunt valde, et deſiderium ipſis provenire fecit:* ut in comm. docui. 2. Poenam inmediate cum creſcente adpetitu fuiſſe connexam, et pingues ac eximios Iſraelis, e medio ſuſtuliſſe, ut Pſ. cit. v. 30, 31. traditur, et Num. XI: 33. adeo ut Deus eos nondum abſumta carne, adeoque intra *menſis* finem, quo Deus dixerat ipſis carnem eſſe dandam, Num. XI: 21. tanquam bene ſaginatos et robuſtos quaſi mactaverit. Vid. comm. noſter ad Pſ.

§. CCXVIII. Poſterior caſus, qui iter in deſertum Paran retardavit, et novam ſtationem, ut ex v. 15. patet, produxit in

in Chazerot, est contentiosa expostulatio Aaronis fratris, et Mirjamis, sororis Mosis, cum ipso, super praerogativa Mosis super ipsos, quam tanquam usurpationem aliquam considerarunt, cum aeque ac Moses dono gauderent prophetico: cap. XII. Ansa vero inde fuit captata, quod Moses Zipporam, mulierem Cuschaeam, seu quod idem est, Midianiticam, antea dimissam, nunc cum Patre Jethrone reversam Exod. XVIII., resumserat, et sibi copulaverat: ut vers. 1. traditur. Aliam et novam non intelligi uxorem, quod nonnulli putant, facile vel ex eo elucescit, quod Zippora Mosi cum Patre tunc adfuerit, ut modo habuimus: nec probabile sit, Mosen hoc tempore vel novam uxorem esse ducturum alienigenam; si vero id fecisset, propter eam non magis, quam superiorem Zipporam, quoque alienam, cum Mose contendere potuissent. Arripuerunt quidem hinc ansam, sive inprobaverint tale conjugium, sive mulier eos offenderit; sed prius probabilius est, ob ultima verba, *quia mulierem Cuschaeam duxit:* sed contentio ulterius processit, et ex invidia originem habuit, eousque, ut sese Mosi coeperint aequare, saltem suis monitis, quippe ex prophetico quoque spiritu ortis, majus pretium, quam Moses faciebat, statuendum esse pertenderint. Fieri quoque potuit, ut Moses Jethronis, patris Zipporae, consilium, ipsis inconsultis, aut invitis, adoptaverit. Quare Deus, conjugii causa tanquam praetextu missa, Mosis praerogativae testimonium tantum praebuit, Mirjamini quoque leprae plaga inflicta, eaque per septem dies castris exclusa. Declaravit vero Deus hac occasione, Mosen esse prophetis ordinariis longe superiorem 1. quod servus Dei sit honorarius, et perpetuus in tota Dei domo, seu regno Dei, primarius ejus, tanquam regis Israelis, in aula Dei minister, et per omnia in munere obeundo fidelis. Quam sensus amplitudinem, voces vers. 7. praeferunt. Vox quoque נאמן non tantum fidelem in munere, sed et stabilem ac perpetuum denotat ministrum vid. Jes. XXII: 23. XXXIV: 6. et radix proprie dicit firmitatem gressus. 2. Quod longe alio modo, familiariore magis, cum Mose quam pro-

 phetis

phetis reliquis agat, duplice producto inter eos et Mosen discrimine, v. 8. *uno*, quod ore ad os cum Mose loquatur, instar amici et familiariter, *et non visione aut aenigmatibus*: vocula enim ולא *et non* transposita est, et ante מראה *visionem* collocari debet: quo admisso, omnes disparebunt difficultates, alias insuperabiles, *altero*, quod Moses *similitudinem* Dei videat, populo et aliis negatam, Deut. IV. soli Mosi in monte concessam Ex. XXIV. et XXXIV. Repeti itaque, ut putatur, non debet לא *non*; et praerogativae conspectum habet, sicut est beatorum in coelis Ps. XVII: 15. et idem dicit, *ac facie ad faciem videre* Deum 1 Cor. XIII.

§. CCXIX. Tandem post hos casus, quibus iter fuit interruptum, venerunt in desertum Paran c. XII: 16. prope Kadesch c. XIV. 26. et Deut. I: 19, 48. in confiniis Cananaeae ad austrum: ubi et urbs et mons erat ejus quoque nominis. De quo hic nihil adtinet plura dixisse. Fuit haec statio durabilior, simul valde notabilis per novam murmurationem, quae in rebellionem erupit, cujus tristissimus fuit eventus, cum ad moram 40 annorum in deserto fuerint damnati, et ad mare Rubrum per alias vias retrogradi coacti, donec tota illa generatio ab anno aetatis 20*mo* esset absumta, exceptis Josua et Calebo. Quae historia cap. XIII et XIV. narratur. Murmurationis ansam praebuerunt exploratores Cananaeae, hinc in eam missi anno II*do* exitus mens. V*to* vid. cap. XI: 20, 35. XII: 15. XIII: 20., qui, sinistra relata fama de robore ac proceritate incolarum, urbium munimentis, et de indole terrae incolas consumentis, animos populi adeo fregerunt, ut de reditu in AEgyptum sumserint propositum. Quare Deus, judicio pronunciato, jussit, ut mare Rubrum versus redeant, et 40 annos in deserto oberrent, pro numero dierum in exploranda terra insumtorum. Quo tristi judicio excitatus populus, mox in hostes Cananaeos et Amalekitas inpetum, sed infelici eventu, fecit. Morati itaque ab hoc tempore sunt in deserto 38 annos, donec omnes ab anno aetatis 20*mo*, fuerint e medio sublati.

§. CCXX.

§. CCXX. Varia quidem sese in hac historia offerunt, quae illustrari merentur, sed pauca, ab instituto minus aliena, tantum seligam. 1. Exploratio Cananaeae, quod probe notandum est, non Deo, sed populo est inputanda, qui jam tunc aliquo correptus metu, eam poposcit, Deo tantum permittente, et exploratores definiente, uti hic narratur. De quo ex Deut. I. satis constat. Erat quoque minus necessaria, et animis populi frangendis quam excitandis aptior, adeoque rectius fecissent, si, ea omissa, mox in Cananaeos tetendissent. 2. Exploratores, ab austro ingressi, totam terram ad limites septentrionales usque quidem peragrarunt, uti est v. 21. sed in tractu Hebronis aliquid morae traxerunt, ubi viderunt Enakitas, proceros illos, robustos et formidabiles viros, et unde fructus terrae, amoenos et gratos, sumserunt. Quae ratio est, quare ejus speciatim facta fuerit mentio v. 22., nisi forte hic versus propter Kalebum, cui hic tractus, secundum promissum Dei, generalibus verbis Deut. I: 36. expressum, postea cessit in haereditatem, postea fuerit insertus: cui opinioni robur addit, quod nomine *Hebronis* non nisi postea innotuerit, quodque ejus antiquitas comparetur cum Tsoanis in AEgypto, quae jam tunc oportet fuerit *regia* AEgypti, quod non nisi post Mosen contigit. 3. Cum, *terram illam comedere incolas suos*, dixerint per calumniam, nihil aliud significatur, quam malam, insalubrem et pestilentialem esse terram, cui epitheton *bonae* terrae opponitur, c. XIV: 7. quae pura puta erat calumnia, ex animo maligno ficta. 4. Cum c. XIV: 9. dicitur, *recessit umbra ipsorum et Jehova nobiscum est*, nihil aliud significari videtur, ac nullam ipsis adesse *protectionem*, quae eos contra Jehovam, pro populo suo pugnantem, defendere queat. Licet viribus polleant maximis, contra quoscunque sese facile tueri queant, nihili sunt contra Jehovam; adeo ut dici possit, umbra, seu protectione, eos esse destitutos. 5. Denique ubi Amalekitae et Canamaei dicuntur *in valle sedisse*, v. 25. illud de loco et sede habitationis non est capiendum, cum Cananaei, de quibus hic agitur, juxta Jordanem habitaverint cap.

XIII: 29. sed de loco insidiarum, in quo populi illi secum juncti, consederunt, tanquam in insidiis, promti paratique ad Israelem invadendum. Quo etiam pertinet jussum Dei, ut Israel inde discedat, ne ab ipsis opprimatur: quod ex sequente historia v. 40. confirmatur. Verbum Hebr. *sedere* pro insidiari, ut Lat. *insidere*, adhiberi, notum est ex Ps. X: 8. XVII: 12. et aliis locis; quo sensu *sedere* non est languidi, sed agilem meditantis saltum; uti apud Arab. sumitur pro *saliit*, *insiliit*.

§. CCXXI. Filum historiae antequam pertexatur, inseruntur aliquae leges, ante sententiam, supra memoratam, quidem, ut opinor, latae, attamen circa hoc tempus, forte tempore explorationis terrae, dum exploratores essent in itinere, nondum reversi. Quae cum antea essent omissae, hic per aliquam parenthesin insertae videntur; et filum historiae abrumpunt cap. XV. Leges, profecto, de fertis et libaminibus adjungendis holocaustis et salutaribus sacrificiis, nec non de placenta ex omni farinae subactae massa separanda, et Deo consecranda, cap. 1—21. a peregrinis aeque ac Israele, in terra Cananaea observandae, quae eo spectabant, ut perpetuam hac ratione confessionem proprietatis Dei, et sui inquilinatus in hac terra ederent; illae, inquam, leges, quare post sententiam de 40 annorum mora in deserto fuissent latae, et quo sensu Deus tunc ad Israelitas, quorum nulli, supra 20 aetatis annos terram illam ingrederentur, exceptis duobus dicere sine discrimine apte potuerit, *cum vos in terram veneritis etc.:* non liquet. Utique longe rectius in illud quadrant tempus, quo, in vicinia Cananaeae versati, exploratoribus jam missis, jam jam eam viderentur intraturi. Reliquae leges, v. 23—fin. quibus inter voluntariam ac involuntariam legum transgressionem ita distinguitur, ut haec sacrificiis sit expianda, illa mortis poena, cum in *deserto* v. 32. dicantur latae, aliud, ac ubi nunc erant, voce sic absolute posita, intelligi nequit; cum vero superioribus subnectantur, ejusdem esse temporis probabile est, maxime cum post sententiam illam latam res fuerint

in

raele turbatiores. Ceterum occasionem harum legum vi· casus *Sabbati*, ab aliquo elata manu violati, (ejus enim ae fuisse peccatum hujus viri ex nexu et poena patet) ›uisse, ut ex casu hic memorato colligi probabiliter potest. : enim legibus subjungatur, eas praecessisse videtur, cum, si voluntariae transgressioni jam denunciata fuisset ex· inii poena, dubium non fuisset, quid illo homine esset dum, tum, casui lex de *fimbriis*, quae involuntariis transf- ionibus praeveniendis erant faciendae, subjungatur, argu- :o, eas omnes leges post illum casum fuisse praescrip-

CCXXII. Hoc capite, ante omisso, hic per parenthesin inserto, filum historiae, quae cap. XIV. usque ad cladem lis per Amalekitas et Cananaeos perducta erat, resumitur ertexitur, cap. XVI et XVII. Cohaerent enim, quae narrantur cap., cum cap. XIV, et mox post sententi- le tot annorum mora in deserto pronunciatam, contige- , ante quam castra e deserto Kadesch essent mota, et iter is mare Rubrum susceptum, uti ex c. XVI: 12—14. elu- t; ubi primarii Rubenitarum viri negant se retrocessuros et haud obscure intelligendum praebent, originem sediti- , ibi memoratae, ab hoc ipso mandato Mosis de retro· iendo esse repetendam. Cum enim Datham et Abiram ose citati, ut coram se compareant, regerunt *non adscen- s*, non tam comparere, quam castra movere recusant; ut orum verbis colligi potest. Est enim, acsi dicerent, ut ore paraphrasi ea exponam. Frustraneum plane est, ut Mosen adeamus, cum fixum sit nobis propositum, hinc retrocedere, ejusque jussa in posterum exsequi: parumne est, (hanc enim dant seditiosi responsi rationem, quae de proposito clare testatur) quod nos ex AEgypto, terra te lacte et melle, eduxeris, praetextu nos in Cananaeam, is naturae terram, introducendi, sed vero scopo nos in to occidendi, *parumne*, dicimus, hoc est, quod et nunc ipatum ulterius in nos sumas, nosque, cum huc venimus

retroire jubeas, ut propositum nos morte adficiendi exsequaris? esse enim hanc tuam mentem, et non, quod praetexuisti, ut nos terrae Cananaeae possessores facias, vel ex eo clarissimum est, quod nos eo nolis ducere, sed abducere velis, cum ad ejus jam pervenimus confinia; itane putas, te horum virorum oculos eradicaturum, et excoecaturum, ut scelestum hoc tuum propositum non perspiciant? neutiquam hoc eveniet, nimis enim clare illud omnibus pellucet: quare certus sis, nos hinc non retrocessuros, nec inperium tuum amplius admissuros.

§. CCXXIII. Hinc nata rebellione, consilium sumserunt, Mosen et Aaronem supremo in Civitate et Ecclesia principatu privandi, eumque in gremium totius populi reducendi, ut aliud eligat caput, alium Pontificem: quippe quam potestatem penes populum adserunt residere, et ex eo evincere conantur, quod *totus coetus sit sanctus*, totus populus *regale sacerdotium:* qui sensus est c. XVI: vers. 3. Qua periculosissima concitata rebellione, partim per Korachum cum 250 ex populo, qui jus ad sacerdotium praetendebant, partim per Dathan et Abiram cum sociis, qui, ut pote Rubenis, primogeniti Jacobi, posteri, ad principatum adspirabant: Moses, jussu Dei, primum cum Koracho, et reliquis Israelitis, sociis ejus, egit, jubens, ut crastino die cum thuribulis et suffitu praesto sint coram Tabernaculo: ubi cum se stitissent, Dei *gloria*, seu Nubes se praebet conspiciendam, Mosesque jubetur, ut, postquam iram Dei, quae totum absumsisset populum, avertisset, ad rebelles eos, Korach, Datham et Abiram, iret, et reliquum populum ab eorum communione separaret. Populo itaque ab ipsis separato, Datan et Abiram cum universa domo, et Korachi domesticis, seu servis, totaque possessione, vivi sunt a terra, os suum aperiente, absorpti, ac in *orcum* praecipitati, seu mortui: Vox שאל uti Gr. ἀδης, nihil aliud, ac regionem mortuorum denotat; uti ad Ps. CVI. et alibi observavi. Fueritne ipse Korachus una absorptus, an postea cum suis sociis igne absumtus, disputari potest; licet posterius mihi videatur verius, quia

quia in ipsa historia domesticorum ejus tantum fit mentio, v. 32. imo haud obscure ab aliis, qui absorpti sunt, distinguitur Num. XXVI: 9, 10. Ipse denique coetui adjungitur, ab ipso juxta tentorium conventus congregato, qui igne divino, a coram Deo exsiliente, est absumtus. Omnes enim viri 250, quorum dux et autor fuit Korachus, Levita, sed summum sacerdotium, remoto Aarone, ambiens, flamma e sanctuario erumpente, correpti et combusti sunt: uti v. 35. traditur: in quo signum quoque adparuit adprobationis sacerdotii Aaronis: Vid. Comm. noster ad Ps. CVI: 17, 18.

§. CCXXIV. Hac seditione vix sopita, in novam mox erupit populus, Mosen caedis horum virorum maligne accusans; quae novam quoque cladem, populo divinitus inflictam, produxit, non nisi intercessione Aaronis, in medio populi cum incenso stantis, finitam cap. XVII: 6.—Quo ipso etsi Aaronis sacerdotium fuit divinitus confirmatum, voluit tamen Deus, ut insigniore miraculo illud fieret, virgae scilicet folius Aaronis florentis et amygdaliferae. Quae sicut divinae electionis Aaronis et tribus Levi erat signum, simul inaugurationis Aaronis antea factae confirmatio, ita ob oculos ponebat, quales esse debeant personae sacrae, virtutis et pietatis studiosae, quasque adferat sacerdotium utilitates, suaves scilicet fructus, Deo et hominibus gratos, ac populo salutares. Ceterum, ut illud unum observem, virga, Aaronis nomen praeferens, neutiquam cum baculo Mosis, multis illustri miraculis, confundenda est, uti multis videtur ex cap. XX: 9. de quo postea, sed omnino ab eo distinguenda, cum nullum baculi Mosis indicium in historia occurrat, virga quoque tribus Levi adpelletur, et ex fructu videatur amygdalae fuisse virga, ne dicam, minus conspicuum censeri potuisse signum, si virgae fuissent inaequales, in primis si Aaronis fuisset baculus Mosis.

§. CCXXV. Sacerdotio hac ratione in tribu Levi et domo Aaronis, denuo confirmato, omnique in posterum sublata contradictione, per virgae quoque florentis conservationem in sanctuario, in perpetuum ejus rei monumentum, apte quidem sub-

junguntur leges ad munus, et sustentationem personarum sacrarum pertinentes, cap. XVIII. quae nostram nunc non requirunt operam, sed quare ritus *vaccae* rufae, extra castra mactandae et comburendae, cinere reservato in usum inpuritatis ob contactum mortui, expiandae per cinerem, aqua fontana commixtum, prolixe hic narrentur cap. XIX., me plane latet. Quare a probabili mihi non videtur abhorrere, caput esse alieno insertum loco, et ad illud pertinere tempus, quo Deus inpuros ob contactum mortui castris expelli jussit, Num. V. cum enim per septiduum duraret tantum inpuritas, tunc aptus erat locus definire, quid inpuris illis fieret; quod hoc cap. fit: accedit, mactationem, et cineris conservationem, extra *castra* factam esse propter moram inpurorum extra ea. Utique hoc caput esse ante inaugurationem Levitarum cap. VIII. collocandum, non illud tantum probabile facit, quod nulla Levitarum hic fiat mentio, sed in primis, quod Levitae hac ipsa aqua, tempore inaugurationis, fuerint abluti: c. *VIII*: 7. Ceterum, ut illud obiter observem, ad verum horum rituum conspectum, *vacca* pro publico piaculo, sed virtute sacrificii praedito, est habenda. Plura proferre non permittit instituti ratio.

§. CCXXVI. Hucusque perducta historia populi in deserto Arabiae, subito abrumpitur, et ingentem patitur eclipsin, ab anno scilicet *tertio* exitus ad *quadragesimum* usque, a quo filum resumitur, cap. XX. ut supra observavi. Cujus omissionis ratio forte dari nequit, quae sufficit, utique mihi non patet. Nihil tam longo tempore accidisse, aut memorabile, aut scopo historici consonum, quis adfirmaverit? Mosen, generali locorum et stationum recensione Num. XXXIII. fuisse contentum, nullamque fusiorem reliquisse tot annorum descriptionem, quis cum ratione dixerit? denique schedulas, ab ipso aut alio compositas periisse, conjici quidem cum aliqua veri similitudine posset, cum narratio *reditus* populi in desertum Kadesch, anno quadragesimo, requirere aliquid videatur, quod praecessit, quocum ea connexa est, cap. XX: 1. Traditur enim ibi, populum

venisse

venisse in Kadesch, cum ne discessus quidem ab eo loco facta fuisset mentio, ne dicam tam diuturnae morae in deserto: accedit, *primum mensem*, quo eo redierunt, expresse adnotari, sine ulla *anni* facta mentione, quae negligi non poterat, ut videtur, nisi ex praecedente aliqua narratione de eo constitisset. Posset quidem censeri, voces, בם שנה *anno quadragesimo*, excidisse, sed non probari. Maneat itaque ratio tanti hiatus in hac historia in obscuro, et nihil definiatur. Adpulit itaque altera vice Israel, post 38 annorum oberrationem, ad quam a Deo condemnatus fuit, ut supra vidimus, in desertum Tsin, seu Kadesch, continuo itinere ex Etsion-geber ad mare rubrum, ut ex cap. XXXIII: 35. liquet, adeoque ann. 40*mo* mens. 1*mo*. De mense constat ex c. XX: 1. de anno ex morte Aaronis, quae istius anni mense *quinto*, in statione hanc proxime secuta, contigit: ibid. 38. Videri quidem posset, Kadesch, ubi nunc consederunt, diversum fuisse a Kadesch-barnea, ubi antea fuerunt, locum, quia c. XX: 16. adpellatur עיר *urbs*, in limite Edomi, sed vix dubitaverim, quin pro עיר ibi legi debeat שעיר, littera ש per vocem praecedentem, in ea desinentem, ex antiqua scriptura continua, absorptam. Adpellatur itaque *Kadesch Seir*, quatenus desertum illud ab Idumaeis etiam inhabitabatur, et unum idemque est Kadesch, Kadesch-barnea, et Kadesch Seir: de quo postea plura.

§. CCXXVII. Hac vero in statione mortua fuit Mirjam, soror Mosis, sed et nova exorta murmuratio ob penuriam aquae, similis ei, quae in principio exitus acciderat Ex. XVII., quare et hae aquae idem nomen מריבה *Meriba*, seu *contentionis et murmurationis* acceperunt, c. XX: 13. Quae murmuratio eo inprimis nomine fuit notabilis, quod peccatum Mosis et Aaronis pepererit, quo Cananaeae ingressu exclusi sunt. Quae historia Num. XX: 1—14. narratur. Videtur autem horum heroum peccatum, de quo non convenit inter Interpretes, situm fuisse in *detrectatione mandati divini* exsequendi ad litteram, ex animo exulcerato nata, et cum aliqua diffidentia con-

Ee juncta,

juncta, qua non quidem de *potentia*, sed de *voluntate* Dei novum patrandi in tam praefractarii populi gratiam miraculum, dubitabant. Quam thesin cum in comm. ad Ps. CVI: 32, 33. per partes exposuerim et demonstraverim, hac opera supersedeo, ne nimias nectam moras: illud unum hic observo, jussum Dei de aqua e petra ducenda videri intellexisse Mosen et Aaronem, non ut executioni mandaretur, sed ad populum tentandum, ac a proposito deterrendum, unice datum. Quae perversa erat circa clarum mandatum ratiocinatio.

§. CCXXVIII. Hinc castra moturi legatos miserunt ad Edomitas, liberum transitum per eorum terram petentes, qui ipsis fuit negatus. Num. XX: 14—21. Hic quaeritur, quare hunc transitum petierint, vel necesse habuerint petere? Vulgata habet opinio, Israelem ab austro voluisse ingredi Cananaeam, cumque nunc esset in parte magis Orientali, ita ut terra Edomi media jaceret inter Israelem ac Cananaeam ab austro, ideo supplicasse transitum. Sed haec opinio 1. falsa superstructa est hypothesi, de Kadesch, ubi nunc fuerunt, diverso loco ac *Kadesch-barnea*, ubi prima vice resederunt: est enim unus idemque tractus, uti jam demonstravit Ligtfoot in Chorograph. Matthaeo praemissa. Appellatum fuit idem desertum Kades, et Kades-barnea, etiam Kades-Seir, quia in limitibus Edomi, seu Seir, fuit, ut modo observavi. 2. Eundem esse tractum, et Kadesch non fuisse in plaga orientali, sed australi, ut Kades-barnea, manifestum ex eo est, quod hac statione relicta mox venerint in montanum *Hor*, ubi a Cananaeis infestati sunt, sed et eos deleverunt, locumque inde adpellarunt *Chorma* Num. XXI: 2.—Cananaei enim, maris Mediterranei adcolae, eos invadere non potuissent, si in tractu orientali fuissent Israelitae, quippe inde remotiores non tantum, sed et Idumaeos habuissent intermedios. Deinde cum priore vice in Kades-barnea fuerunt, eosdem Cananaeos nacti sunt adversarios, a quibus clade adfecti, et fugati sunt usque ad Chorma in Seir Num. XIV: 40. Deut. I: 44. nunc autem altera vice deleverunt Cananaeos illos, et inde nomen loci *Chorma* adpellarunt;

pellarunt: manifesto indicio, eodem in tractu eos casus accidisse, qui Num. XXV et XXI. narrantur. 3. Israelitas in eundem rediisse tractum, unde ante annos 38 discesserant, colligitur quoque ex Deut. I: 46. *et sedistis in Kadesch per multos dies, secundum dies, quibus sedistis*, scilicet antea, adeo ut et nunc et antea aeque diu ibi fuerint versati, in eodem itaque tractu: qui verus est loci sensus. 4. Accedit, nomen *viae exploratorum*, quo tractus, ubi nunc erant, insignitur Num. XXI. manifeste nos ducere ad priorem locum Kadesch, unde exploratores missi sunt. Vox האתרים c. XXI: 1. est pro אתורים a תור *explorare*, dicitque exploratores jugiter circumeuntes: et littera א comparativum vel superlativum format.

§. CCXXIX. Sed si Israelitae in tractu australi Cananaeae fuerint, uti ante annos 38, quid necesse habuerunt, transitum ab Idumaeis petere? Ratio inde repetenda est, quod Deus eos non ab austro voluerit intrare Cananaeam, sed ab ortu trans Jordanem, ob rationes sapientes, quarum aliquae nobis facile patent, 1. ut illustrior fieret introitus per miraculosum Jordanis transitum. 2. Cananaei animis frangerentur per prospera Israelis bella cum Transjordanensibus Deut. II: 25. 3. Addi potest, Israelitas hac ratione societatem potuisse contrahere, saltem se ad eam pronos demonstrare, cum Idumaeis, Moabitis et Ammonitis, proxime sibi conjunctis populis. Sed quicquid hac de re sit, sufficit, Deum voluisse, ut non ab austro, sed ortu ingrederentur Cananaeam; quo fini cum necesse habebant terram Edomi transire, liberum ab Idumaeis petierunt transitum: quo negato, aut ex vetere odio, aut ex rationibus politicis, quae tantam hominum multitudinem intra fines suos admittere, ut minus tutum, vetabant, denuo circumire debuerunt totum montanum *Seir*, quae *secunda* fuit vicis; prima enim id fecerant in Kades-barnea versati, cum ad 40 annorum oberrationem sunt condemnati. Conf. de duplice hoc circuitu Deut. II: 1, 2, 8. Cui narrationi duae insertae sunt notabiles pericopae, verbo illustrandae, cum ad historiam aliquatenus pertineant. Prior v. 14, 15. ita est vertenda, ut

in comm. ad Jer. XLVIII: 19, 20. observavi et illustravi. *Propterea dicetur*, (vel cantabitur) *in libro*, vel, recensione *bellorum Jehovae: promicatio* (celerrimus fluxus, והב enim est nomen adpellativum, et sedem habet in *promicatione*, unde ad rapidum cursum transiit) *in turbine* (instar turbinis, venti rasoris; rad. סופה est proprie *radere*, *verrere*, et ad rapidum cursum, ac ventum rasorem inde transiit) *et torrentes* (torrens eximie sic dictus) *Arnon est*, *et fluxus vallium* (seu *irrigatio vallium* est Arnon) *inclinat ad eminentiorem partem orae* (pro לשבת leg. videtur לשפת) *Haris* (tendit Arnon cum inclinatione aliqua juxta latus celeberrimae urbis, Ar dictae) *et incumbit termino Moabi.* Est autem poetica Arnonis, tanquam termini Amorrhaeorum ac Moabitarum, descriptio, eo scopo hic inserta, ut posteris liqueret, Israelitas nihil de Moabitarum regionibus sibi vindicasse, cum Amorhaeos suis possessionibus privarunt. Praefatio vero, *dicetur*, vel canetur, *in recensione*, (sic enim rectius, quam *libro* vertitur) *bellorum Jehovae*, significat, haec verba, cum in posterum catalogus texetur bellorum populi Israelis sub auspiciis Jehovae, non esse silentio involvenda, ut publice constet, ea bella ab Arnon incepisse, et Moabitas non tetigisse. Altera pericopa, v. 17, 18. canticum continet, occasione putei aquarum inventi et effossi in limitibus terrae Amorrhaeorum, mox ab Israele occupatae. Qui puteus hoc habuit memorabile, quod, terrae superficie a principibus et nobilibus populi per *scipiones* suos retecta, aquam dederit magna copia, in publicum testimonium *possessionis* terrae; videtur enim eo scopo haec solennitas adhibita, ut publicum praeberetur signum *juris* in hanc terram, in qua puteum in usus suos effoderunt, quo signo terram sibi vindicarunt Gen. XXVI: 22. Quo etiam spectat vox במחוקק vertenda *instar delineatoris*, suprema praediti autoritate, quae est potestas legislatoria, ut sensus sit, principes suis scipionibus, in signum supremae autoritatis et juris in haec loca, id fecisse. Vid. de hac voce quae in Comm. ad Gen. XLIX: 10. protuli. Ceterum hujus solennitatis memoriam fuisse apud

Moabitas

Moabitas conservatam, colligi potest ex nomine באר־אלים, quo puteus est ab iis insignitus, q. d. *puteum principum:* uti ex Jes. XV: 8. patet, ubi vid. Cl. Vitringa.

§. CCXXX. Cum hac altera vice circuiret terras Edomi, incidit Israel in gravissimam murmurationem, inde ortam, quod, cum denuo in procinctu staret, ut adiret Cananaeam, altera vice tam molestum suscipere debuerit iter. Sed eam cessare fecit Deus per *Serpentum* venenatorum inmissionem, unde multi mortui sunt, et ad intercessionem Mosis liberationem per Serpentis aenei erectionem. Quem casum illustravit Vitringa Obs. S. Secutae dein sunt aliquae stationes, quae populum ad fluvium Arnonem et fines Amorrhaeorum duxerunt Num. XXI: 10—20.

§. CCXXXI. Sed antequam versus austrum ulterius tenderent, cumque in montano Hor, seu *Seir*, adhuc versarentur, accidit tristis casus in morte Aaronis c. XX: 22—fin., sed laetus in Cananaeorum et regis Arad prostratione c. XXI: 1.—Qui iidem fuerunt, ac Num. XIV. fin. memorati, ubi cum Amalekitis junguntur: videntur ad austrum Cananaeae, versus mare Mediterraneum, habitasse, uti v. 1. habetur et c. XXXIII: 40. Cum vero Israelitas altera vice viderent ingressuros Cananaeam, eos inprovisо sunt adorti, et aliquos abduxerunt captivos. Quae invasionis ratio indicari videtur, per phrasin *viam exploratorum* inire: quem sensum fundit vox אתרים; ut modo notavi. Sed de *tempore* excidii horum Cananaeorum quaeritur, num nunc contigerit, an postea tempore Josuae, cum Israel jam in Cananaea versabatur. Prius mihi videtur probabilius, cum votum Israelis ejusque executio tanquam res connexae narrentur; nec ratio sit, quae contrarium demonstret. Praeterea cum Cananaei, Israele Cananaeam ingresso, jam essent a Deo devoti, populus autem nunc votum anathematis expresse faciat, hoc ipsum tempus, quo illud executioni voluit mandari, intelligi, manifestum videtur. Occurrit quidem in catalogo regum, a Josua debellatorum, rex Arad Jos. XII: 14. sed sitne idem, qui hic, incertum est. Si

autem idem sit intelligendus tractus, fieri utique potuit, ut, post discessum Israelis, loca illa recuperata sint a Cananaeis; ita ut tempore Josuae novus ibi esse potuerit rex: quod probabile fit ex rege Chormae, qui Jos. XII. ipsi adjungitur. Locus enim iste in memoriam excidii eorum Cananaeorum illud nomen accepit. Num. XXI: 3.

§. CCXXXII. Debellato Sichone, rege Amorrhaeorum, inter Arnonem et Jabokum fluvios, ad ortum Jordanis, et Ogo, rege Basanis, seu tractus ultra Jabokum, eorumque terris occupatis venerunt in Campestria Moabi, Num. XXI: 19—fin. ubi memorabile est aliquod oratoris alicujus Amorrhaei, ut videtur, antiquum monumentum, de terris inter fluvios Arnonem et Jabokum, ejectis Moabitis, ab Amorrhaeis occupatis. De quo postea suo loco, unde nonnulla excerpsit Jerem. c. XLVIII: 35.—in comm. ad Jer. illustrata a nobis. In campestribus illis quae ipsis evenerunt, prolixe narrantur in reliquis libri Num. capitibus, et toto libro Deuteronomii; manserunt autem ibi usque ad mortem Mosis, et inde recta per Jordanem ingressi sunt Cananaeam, duce Josua. *Primus* autem casus, isque valde notabilis, qui Israeli in eo tractu contigit, est, quo Balak rex Moabitarum, consilio cum Midianitis inito, sibi ab Israele, Amorrhaeis jam devictis, metuens, ne omnia circumquaque absumeret, quod nullo negotio facere posse videbatur, haud secus ac *bos*, qui agrum depascitur, Num. XXII: 4. accersivit Bileamum, celebrem prophetam et inprecatorem, ex Mesopotamia, ut Israeli malediceret, seu subjugationi devoveret: sed quod longe aliter cecidit, cum Deus, ea occasione arrepta, omnia praeclara ab ipso pronunciari ac praedici curaverit. Quae historia narratur Num. XXII—XXIV. pleniore commentario digna: quod hujus non est loci. Hic tantum aliqua dabo observata. *Bileamum* filium Beor (2 Pet. II. *bosor* littera γ. adspirationis per ϑ. expressa) Syro-Mesopotamenum c. XXII: 5. XXIII: 7. Deut. XXIII: 6. in hac historia autumaverim depingi, tanquam celebrem prophetam, cui cum vero Deo erat commercium, cujusque benedictiones

benedictiones et maledictiones cenſebantur, tanquam divinitus factae, cum effectu conjunctae c. XXII: 6. ſed qui nec a ſuperſtitioſis ritibus plane liber erat, nec animum habebat integrum aut conſtantem, ſed gloria ac divitiis corrumpi facilem. Quam deſcriptionem ex hiſtoria paucis eruam, et illuſtrabo.

§. CCXXXIII. Utique quod Jehovam adpellet Deum ſuum c. XXII: 18. os quoque ejus ſe conſulturum profiteatur ibid 8. reſponſo quoque Dei fuerit honoratus, et Angelum Jehovae viderit, denique ſpiritu Dei correptus futura praedixerit: illa omnia, ipſum pro Pſeudo-propheta, aut falſorum Numinum vate, non eſſe habendum, ſatis arguunt. Quare Propheta quoque adpellatur 2 Pet. II: 16. nec falſi alicujus Dei ab ipſo culti ullum hic comparet indicium, ſed veri potius Dei, ni fallor, in ſacrificiis quae obtulit, *ſeptem* conſtructis altaribus, cum is numerus Creatoris coeli et terrae criterium ſit, quod myſterium ipſum itaque non latuit. Quod vero de animo ejus, minus integro, dixi, illud facile elucescit 1. ex ſtudio Balako, regi Moabitarum, placendi, modo id ipſi poſſibile fuiſſet, 2. ex odio in Iſraelem, licet tot indiciis Deo gratum comperiſſet, cujus odii in eo quoque ſignum eſt, quod conſilii Iſraelem ad idololatriam pelliciendi praecipuus fuerit autor. Num. XXXI: 16. et Ap. II: 12. 3. ex inobedientia Deo praeſtita, ut mox patebit: denique quod de ſuperſtitione addidi, illud ex *divinationum* excercitio, cui deditus fuit, c. XXIV: 1. colligi poteſt. Quod vero ad inobedientiam, cujus memini, adtinet, cum Deus ipſi prima vice interdixerit Balakum adire, c. XXII: 12. ſecunda permiſerit, modo verba Dei eloqueretur, ibid v. 20, ſed mox in itinere Deum expertus fuerit iratum, v. 22. ſtatuendum omnino eſt, Bileamum eo ſeſe ad regem contuliſſe animo, ut Iſraeli noceret, et regi magis quam Deo placeret, modo illud effectui dare poſſet. De quo propoſito et illud teſtatur, quod, non obſtante interdicto Iſraeli maledicendi, identidem novam id faciendi quaeſiverit occaſionem, per ritus quoque ſuperſtitioſos, quibus non, niſi omnibus

 tentatis

tentatis, renunciavit c. XXIV: 1. Ipse itaque abitus ad Regem Deo non displicuit, sed animus et propositum ejus, quocum ad regem proficisci ipsi diserte erat prohibitum. Nec dictum Dei c. XXII: 19. *ito cum ipsis*, tam permittentis est, ut mihi videtur, quam tentantis, num maligno ad regem tendere velit animo in Israelem; quem cum spiraret Bileam, Angelus ei in itinere occurrit, eo scopo, ut eum propterea reprehendat, simul severius ei inculcet, ut nihil contra Dei voluntatem agat, nisi occidi velit: quod ipsi certo eveniret, si id faciat; uti postea quoque expertus est, ab Israele in praelio cum Midianitis necatus. Quo casus, qui ipsi in itinere contigit cum asina, qua vectus fuit, tendit, satis singularis quidem, in primis respectu gestus asinae et loquelae, sed cui illustrando nihil habeo, quod aliorum operae addam. Ultimum, ut id obiter observem, v. 32. membrum vertendum est, *quia via haec invia*, et in barathrum perniciei *fidens est coram me*, id enim verbum ירט denotat. vid. Cl. Schultens ad Job XXI: 11. eoque collineat, ut irritum, sibique perniciosum, perversi propositi effectum ipsi altius inprimatur.

§. CCXXXIV. *Primus* Bileami sermo, ut sermonum ejus, quippe per Spiritum Dei ore ipsius prolatorum, generalem dem conspectum, cap. XXVIII: 7—10. declarat, Israelem a Jehova esse benedicendum, seorsim habitaturum, tanquam populum Dei peculiarem, a reliquis gentibus secretum, praeterea vehementer multiplicandum, ut est v. 10. *quis numerabit pulverem Jacobi, et quis recensebit* (pro מספר enim, uti LXX habent, legerim מי ספר, ut in membro praeced., et structura cum את רבע requirit,) *quartam Israelis partem*, ut verti solet, vel potius *multitudinem* Israelis recubantis. Proprie dicit רבע mansionem, ubi verna est et abundans copia graminis; unde ad abundantiam et liberalitatem transiit. Cl. Schult. ad Harir. p. 132. et radix apud Arab. significat, *quadrata* forma consedit, aut cubuit, et ad *quaternarium* numerum, quippe primum, qui *solide cubare* videtur, transfertur, cujus et hic ratio haberi posset, respectu *quatuor* partium, in quas divisa fuerunt castra Israelis.

[redacted]

Israelis. *Secundus* habet v. 19—11, verba et promissa Jehovae ab eo non revocari, sed certo inpleri; nihil valere, quicquid hostes contra Israelem moliantur, quippe qui Deum habet defensorem, populum quoque de hostibus esse triumphaturum, ac spoliis ditandum, quod in Cananaeis debellatis, et terra eorum occupata, maxime inpletum est. Sensus v. 21 est, Deum non esse aequo intuiturum oculo, nec toleraturum *iniquitatem et molestiam*, qua Israel adficietur ab hostibus, sed vindicaturum, cum ipse sit Jehova propinquus, summus ejus dux et inperator, cujus clangor in medio ejus auditur. Quod vero ad divinationes et inprecationes adtinet, declarat Bileam v. 23. eas nihil valituras contra Israelem, sicut hoc ipso tempore demonstraretur, quo earum loco diceretur, quid Deus in gratiam populi moliatur; sicut Bileam nunc fecit. Vox כעת est *sicut hoc tempore, quo* (אשר enim suppleri debet) *dicitur etc.*

§. CCXXXV. *Tertius* sermo ab ipso est pronunciatus, tanquam a propheta Jehovae, quam personam nunc palam praetulit, missa omni superstitione, ut c. XXIV: 1. expresse dicitur. Quo etiam magnifica ejus praefatio vs. 3. tendit, quae praerogativae revelationis propheticae, ipsi concessae, elogium continet, ubi illud tantum observo, phrasin שתם העין vertendam esse, qui *integer est oculo*, vel visu, cujus vivus est et vegetus oculus. Vox שתם est ex ש pro אשר et תם composita, quae vox moralem non tantum, sed et physicam significat integritatem, uti hic sumenda est, et alibi occurrit, Jes. I: 6. Ps. XXXVIII: 4. Prov. I: 12. Job XXI: 23. Quibus locis *integris* praeditum viribus exprimit: quare nostro loco recte adjungitur גבר *vir*, fortis, robustus. Extollit autem et praedicit Bileam illa in pericopa, cum, populi multiplicationem, tum, ejus supra hostes quoscunque, etiam fortissimos et celeberrimos, elevationem, tum, pacis et securitatis statum, post devictos et prostratos hostes. Quae omnia praecipuum nacta sunt inplementum tempore Davidis et Salomonis. *Quartus* denique sermo, v. 17—fin. fata calamitosa populorum circa Cananaeam,

nanacam, opposite ad laeta et prospera Israelitarum, vivis depingit coloribus. Quam pericopam, novae licet adhuc lucis indigam, institutum vetat exponere. Generalem itaque suffecerit dedisse intellectum. Incipit a Moabitis, quos ab illustri aliquo rege, vel principe Israelis, figurato nomine *stellae* et *virgae*, seu sceptri, insignito, esse profligandos praenunciat v. 17. Quod a Davide, et dein Maccabaeis inpletum est. Vid. Cl. Verschuir in peculiari dissert. Unde ad Idumaeos transit, illis vicinos, versus austrum, quos praedicit hostibus esse in perpetuam possessionem cessuros, cum Israel erit in summo virium et potentiae vigore v. 18, 19. Quod ad eadem Davidis et Maccabaeorum tempora pertinet. Hinc sese ad Amalekitas, praestantissimam et bellicosissimam gentem, in vicinia Edomi, ad austrum Cananaeae, vertit, et eorum praedicit excidium: quod a Saulo fieri coepit, 1 Sam. XV. et a Davide ulterius est perfectum, ibid XXVII: 8. et XXX. Mox de Kenaeis, gente vicina Amalekitis 1 Sam. XV: 6. unde posteri Jethronis, soceri Mosis, quoque orti fuerunt Jud. I: 16. et IV: 11. fatur, eos tuta quidem et perennia incolere loca, eaque fortunata, quae vis est vocis איתן, attamen ne sic quidem a depastione et depraedatione liberos fore.

§. CCXXXVI. Definit tandem, quinto prolato oraculo, nova enim praemittitur praefatio, in Assyriorum et Trans-euphratensium oppressione a deserticolis ad latus Chittaeorum, donec et illi in obscurum eant. v. 23, 24. Verba v. 24 — *et deserticolae a latere Chittaeorum etiam adfligent Assurem, et adfligent Heber*, (trans-euphratenses) *et etiam ipse ad perniciem;* ad Assyrios et Trans-euphratenses, a Macedonibus subigendos, pertinent; uti factum est sub Alexandro M. et successoribus, qui et ipsi a Romanis deleti sunt. Per עבר Heber, non esse Hebraeos, seu Israelitas, quod multis videtur, a Romanis superandos, intelligendos, vel ex eo patet, quod Israel hoc titulo in hac serie sermonum Bileami nusquam insigniatur, et cum Assure conjungatur, tanquam vicino populo. Rectius itaque de *Trans-euphratensibus* in genere cogitatur, et per eos ac *Assurem*

surem designati censentur populi, qui eas regiones progressu temporis, quo hoc oraculum inpleretur, tenerent; quorum praecipui fuerunt Persae, novi Assyrii et Babylonii, a Graeco Macedonibus debellati, qui hic צײם *Ziim* adpellantur, seu *deserticolae*, qui satis notus est vocis usus, relate ad statum eorum ante tempora Philippi, Patris Alexandri, qui eos, ut Arrian. Hist. Alex. l. VII. refert, *nactus incertis sedibus vagantes, atque inopes* — — — *ex montibus in planitiem deduxit* — — *optimisque legibus et institutis ornavit.* Qui ut adcuratius definirentur, additur *a latere Chitthaeorum*, quo epitheto insigniuntur Itali, ut a Bocharto et aliis est evictum. De quo etiam exposui, ad Dan. XI: 30. Ultimae vero voces, *etiam ipse ad excidium*, sese ad populum צײם *deserticolarum* referri patiuntur. Quo admisso, Macedonici regni destructio obiter censeri potest praedicta.

§. CCXXXVII. Balaki conatus cum in vanum cecidissent, et Bileam sine honore et donis ab eo ejectus esset, coeperunt Bileam et Midianitae rem astu perficere, Israelem a legis observantia abstrahendo, et irae Jehovae reddendo obnoxium. Quod ipsis tam bene successit, ut 24 millia divina ceciderint plaga, totusque populus periculum incurrisset; nisi Pinehas, filius Eleazaris Pontificis, heroico motus spiritu, insignem adulterum, cum principe foemina Midianitica concumbentem, occidendo, iram Dei placasset, et plagae posuisset obicem. In cujus praeclari facinoris praemium domui suae perpetuum acquisivit Pontificatum. Quando populus Midianitas ad internecionem delere jussus est. Ad quem notabilem casum, Num. XXV. narratum, aliquo lumine perfundendum, non possum quin nonnulla dem observata. 1. Praecipui autores perniciosi consilii fuerunt Bileam et Midianitae, et non Moabitae, licet hi in eo exsequendo habuerint partem. Utique Bileam, a Moabitis expulsus, se ad Midianitas contulit, et cum iis occisus est, Num. XXXI. Moabitis tantum inputatur, quod Bileamum evocaverint ad Israeli maledicendum Deut. XXIII: 5. praeterea, solis Midianitis excidium fuit denunciatum Num. XXV:

17. Denique Midianitis et Bileamo directe et unice inputatur hoc consilium Num. XXXI: 16. et Ap. II. Crimen populi 2. fuit scortationis non simpliciter cum foeminis Moabiticis et Midianiticis, sed et idololatriae cum Baal-peor, sic dicto idolo a monte Peor, inde ortae, et commercii cum idolothytis. Quo ipso foedus Dei cum Israele palam rumpebatur. De quo idolo postea dicam suo loco. 3. Injunxit quidem Deus poenam suspendii publici, a reis sumendam, (deficit enim in phrasi, *sume omnia capita populi*, vox רשעי, ut sit, *omnia capita inpiorum populi*, absoluta enim phrasis ferri nequit) sed, postquam essent occisi, (qua ratione vers. 4 et *5tus* cohaerent,) Mosi, et Moses judicibus, sed cum hi illud exsequi detrectarent, sive metu, sive aliis causis absterriti, Deus ipse plaga divinitus inmissa vindictam sumsit, vers. 9, 18, 19. 4. Denique Pinehas, etsi, ardente legis et gloriae Dei studio ductus, nomen *Zelotae* ferre potuerit, talem tamen non censendus est egisse, quales postea eo nomine inter Israelitas fuerunt noti, cum, quod privatus non fuerit vir, quippe Pontificis filius, tum in primis, quod non nisi post latam sententiam, quam judices exsequi detrectabant, adulterum occiderit. Hinc itaque Zelotarum, qui Magistratus munus invadunt, jus colligi nequit. 5. Accepit in praemium praerogativam Pontificatus familiae suae adligati in perpetuum, v. 13. nomine *foederis pacis* v. 12. (si non sit leg. עולם ex v. 13.) seu intimioris et constantis amicitiae, qualis est inter Deum et Pontificem, intimioris admissionis virum. Cum vero sequente tempore Pontificatus aliquandiu fuerit in domo Ithamaris, sive posteri Pinehas sese praestiterint indignos, sive perturbatae reip. id sit adscribendum, rediit tamen, ut hoc promissum inpleretur, ad Eleazaris et Pinehasi familiam sub Salomone, ut notum est.

§. CCXXXVIII. Institutus mox est post tristem hunc casum, novus populi census c. XXVI. ut partim veritas et promissi de multiplicatione populi, et sententiae de omnium supra 20 ann. interitu in deserto, constaret, v. 64, 65. partim ad haere-

haereditatem terrae Cananaeae cernendam praepararetur populus; erat enim per tribus, secundum majorem minoremve numerum, instituenda divisio terrae. De quo vel ex eo constat, quod divisio per sortem facienda mox subjungatur v. 52— Quo etiam facit, quod Levitarum census alio modo fuerit factus, non a 20 ann., sed unius mensis aetate, quia eorum nulla erat in dividenda terra ratio habenda. Reliqui, 20 ann. et supra nati, recensiti sunt, quod, ad militiam apti, aliquid ad terram acquirendam conferre possent: uti v. 2. indicatur. Censi autem effecerunt 601730 *sexcenta millia virorum mille septingenta triginta*, cum in censu proxime praecedente fuissent 603550, adeo ut populus inminutus fuerit 2828 capitibus, partim per plagas, partim per alios casus. Levitae e contra 700 viris aucti fuerunt; cum nunc fuerint ab uno mense et supra 23000, cum autea fuissent 22300 Num. III.

§. CCXXXIX. Missis legibus, census occasione latis, de haereditaria successione in bona defunctorum, quas casus peperit filiarum Tselopheadi, qui nullos reliquerat filios, eoque nomine videretur haereditaria portione Cananaeae privandus; quando lex de filiabus haereditariis lata est: c. XXVII: 1—11, ad inaugurationem Josuae in locum Mosis, hoc tempore factam, ibid 12—fin. uno illustrandam observato, pergo. Phrasis, v. 20. *da de majestate tua super ipsum*, exprimit quidem autoritatis Mosis communicationem, attamen non aequali gradu; dicitur enim, *de majestate*; seu partem ejus *da* ipsi; Josuam quoque non per omnia fuisse Mosi aequatum, vel ex jussu oraculum *Urim* et *Tummim* consulendi liquet, quod Moses, qui facie ad faciem cum Deo agebat, non fecit. Ceterum hinc quoque discimus, oraculum illud praecipue ad bellum gerendum spectasse, ut populus, *quando* et *quo modo* illud fieret, certior fieret; quibus in casibus etiam illud fuisse consultum, ex historia constat.

§. CCXL. Duobus cap. sequentibus XXVIII et XXIX. sacrificia, singulis festis per totum annum offerenda, recensentur. Quae leges hoc tempore videntur latae, quia ingressus in Cananaeam

nanaeam erat ante fores, ad quem ſicut ſuperiores, ita et hae populum praeparabant, cum quod feſta illa tunc inciperent, tum ſigna eſſent foederis Dei cum populo, et poſſeſſionis terrae. Ceterum, ad rationem, quare ſacrificia hic inſtituta ſint, quorum mentio Lev. XXIII. jam erat facta, dandam, obſervo, ſacrificia hic praeſcripta nova eſſe, et ab iis Lev. l. c. diverſa. Quae enim loco Lev. occurrunt, non ad *feſtalia* ſacrificia, ſed ad ſingulares caeremonias, in feſtis obſervandas, pertinent, et cum iis erant conjuncta, uti cum feſto Paſchatis *manipulus* agitabatur, et Pentecoſtis *duo panes*. Hic vero memorantur ſacrificia, quae ad dies illos feſtales in genere ſpectant. Leges de votis cap. XXX. memorantur, quibus aut res quaedam Deo conſecratur, ſub ſpe favoris vel beneficii a Deo inpetrandi, aut abſtinentia a re licita religioſe ſuſcipitur, ut eſt v. 14. quae a puellis in domo Patris vel ab uxoribus facta ſunt, per Patrem vel maritum ratihabendis, ſi valitura ſint, alias, ſi reprobaverint, irrita futura, hoc quoque tempore latae ſunt, occaſionem forte aliquo caſu vel quaeſito praebente, quod ad Deum retulit Moſes, ut c. XXVII. exemplum exſtat. Utique alia nequit harum legum hoc tempore latarum reddi ratio, et eo ducere videtur, quod v. 1. dicit Moſes *hoc eſt verbum, quod praecepit Jehova*, ſcilicet, de quo quaeſiviſtis. Ceterum de aequitate harum legum, quae in patria et maritali poteſtate fundatae ſunt, quam ne religioſae quidem actiones, quae per ſe indifferentes ſunt, tollunt, facile conſtat.

§. CCXLI. Inter notabiles caſus cum bellum cum Midianitis locum mereatur, et ex ſupra memorato fuerit ortum facinore eorum, Num. XXXI. narratum, ejus generalis quaedam danda eſt notitia. Suſceptum illud eſt expreſſo Dei juſſu, ejuſque cauſa, ut injuria ipſi et populo illata vindicaretur, uti ex verſ. 1. conſtat; pleno itaque jure ab Iſraele geſtum, cum penes Deum ſit vitae ac necis mortalium jus, qui inſtrumentis, ad eos puniendos, utitur pro arbitrio. Debellatum quoque eſt uno praelio, quod ſupplicii et mactationis verius, quam pugnae, habuit conſpectum. Omnes enim mares Midianitarum,

exceptis

exceptis parvulis, occiſi ſunt, una cum regibus, quo nomine hic veniunt, verſ. 8. licet duces fuiſſe Sichonis, regis Amorrhaei, qui ipſis praefuerunt, ex Joſ. XIII: 21. colligi poſſe videatur. Cecidit quoque ipſe Bileam, autor nefarii conſilii, Midianitis dati, qui ſucceſſu iſtius animatus, ac maledictioni Divinae obnoxium videns Iſraelem, ſeſe Midianitis videtur adſociaſſe, iiſque ſpem victoriae de Iſraele reportandae feciſſe. Videtur vero Midianitis terror divinitus incuſſus, eaque ratione omnes ſe occidi paſſi ſunt, abſque ut vel unus de Iſraele fuerit occiſus: quod ceteroquin percipi nequit. Quae juſtam hanc lanienam ſecuta ſunt, mitto, ex hiſtoria quippe facile petenda.

§. CCXLII. Hiſce peractis, cum univerſus iſte tractus Transjordanenſis jam eſſet Iſraeli ſubjectus, duae Tribus Rubenis et Gadi, quibus mox dimidia Manaſſis fuit adjuncta, eas terras, tanquam gregibus, quibus abundabant, aptiſſimas, a Moſe petierunt poſſidendas, et ea conditione impetrarunt, ut reliquas Tribus in Cananaea occupanda adjuvarent totis viribus, Num. XXXII. Diviſit itaque Moſes inter ipſos eas regiones, Deo non conſulto, et contra primam Dei intentionem, cum ad terram promiſſam eae regiones non pertinerent: licet Deus poſtea id ratum habuiſſe videatur, ut ex c. XXXIV: 13. colligi poteſt.

§. CCXLIII. Regionis Tranſjordanenſis diviſione facta, Moſes populum denuo, nomine Dei, admonet, ut idololatriam exſtirpet, nec in medio ſui relinquant Cananaeos: cap. XXXIII: 50—fin. Cui pericopae, licet cum ſuperiore cap. connexae, breviſſimus praemittitur catalogus itinerum et manſionum Iſraelis in deſerto, ut oberrationum memoria per loca notata conſervaretur; cap. XXXIII: 1—49. Quem catalogum num Moſes ipſe conſcripſerit, an alius autor ex ejus diariis, per modum indicis, excerpſerit et recenſuerit, dubium eſt. Dicitur quidem Moſes v. 2 conſcripſiſſe *profectiones et exitus*, ſeu itinera et ſtationes, *ſecundum os*, vel *juſſu* Dei (ſcilicet factas: non enim ad conſcriptionem, ſed ſtationes mutandas pertinet ea phraſis, ut patet eo Num. X: 13.) ſed illud ad

compendiosum hunc catalogum non refertur; quin ab eo distinguitur potius, cum mox subjungatur: *hae sunt profectiones* etc. h. e. haec est earum summaria recensio. Moses itaque censeri potest, eas fusius conscripsisse, quae deinceps ab alio fuerunt, per modum indicis, inde excerptae et exaratae. Interea clarum hic habemus testimonium historiae Israelitarum, usque ad ingressum in Cananaeam, a Mose litteris consignatae. Ceterum, hunc catalogum huic loco per parenthesin esse insertum, ex nexu pericopae v. 50—fin. cum capite praecedente colligi posse videtur.

§. CCXLIV. Limitibus deinde Cananaeae Cis-jordanensis, seu terrae promissae, fixis, et expresse nominatis, qui divisioni et sortitioni praeessent, ut omnes vitarentur lites cap. XXXIV, ubi illud singulare est, quod tribus recenseantur eo ordine, qui haereditatibus earum proxime respondet, sive Mosi, tanquam prophetae illud sit tribuendum, sive autori, eo recentiori, qui hos libros recensuit; quod non definio: urbes personis sacris per omnes tribus dandae recensentur, et inter eas in specie *sex* asylorum, in favorem homicidarum involuntariorum: cap. XXXV. Ubi nihil habeo, quod hic observem, praeter verum asylorum conspectum, et rationem, quare mora in asylis fuerit morti Pontificis adligata: quippe quod ab instituto non videtur abhorrere: sed, ut brevis sim, uno alterove defungar observato. 1. Asyla non fuerunt loca poenae et exsilii, *sed securitatis*, adeoque non ex ipso homicidio involuntario, sed jure propinquorum sanguinis, quo sanguinem propinqui, quocunque modo fusum, censebantur vindicare posse, nata: quo jure inpune uti poterant vindices, si extra asyla deprehenderent homicidam v. 27. quodque Deus hoc ipso in casu magis toleravit, ut nonnulla alia ob duritiem cordis eorum, quam adprobavit in Israelitis; uti ex Deut. XIX: 10. colligi potest, ubi vers. 6. vindex quoque agere dicitur ex animo *exardescente* seu ira, calore et vindictae cupiditate; additur etiam non esse in reo *judicium mortis*.

§. CCXLV. 2. Praestabant vero loca illa securitatem ob honorem

honorem et sanctitatem personarum sacrarum, quibus competebant, adeoque qui in illis degebant censebantur *possessio* earum personarum, et eo nomine inviolabiles. Alia utique aptior reddi nequit ratio praerogativae, urbibus Levitarum tantum concessae. Quo etiam pertinet, quod in illis manere debuerit homicida, ut eum eo solum nomine esse salvum indicaretur, quod personarum sacrarum esset possessio. Denique 3. hinc petenda videtur ratio, quare morte Pontificis haec praerogativa cessaverit. Ipse enim personarum sacrarum princeps, quique eas repraesentabat, eo ipso, quo homicidae ejusmodi erant personarum sacrarum possessio, *jure* in eos gaudere censebatur, quo sub jure tuti erant. Eo autem mortuo jus cessabat, cum mortuo nihil juris supersit. Quando, cessante asylorum jure respectu illorum homicidarum, proprias possessiones repetere poterant, sed, ne periculum a vindice sanguinis incurrerent, Deus juri vindicis ipsum illum terminum fixit, nec ulterius illud extendi voluit. Aliorum cogitata mitto, et suo nunc relinquo loco.

§. CCXLVI. Denique terminatur legislatio in campis Moabiticis, initio a cap. XXVI. facto, ut c. XXXVI: 13. traditur, per legem, qua virgo, dicta ἐπίκληρος, seu haereditatis paternorum bonorum jure praedita, obligatur viro ejusdem tribus, vel et familiae, nubere: cap. XXXVI. Quod posterius tamen dubium est. Ratio enim legis v. 7. tantum datur, *ne haereditas a tribu ad tribum aliam* transeat: sed v. 8. familia et tribus paterna conjunguntur, et filiae Tselophaehadi, huic legi convenienter, in eadem tribu non tantum, sed et familia nupserunt. Ceterum cum haec lex ad eas tantum pertineat filias, quae solae, sine mascula prole, in domo paterna supererant, adeoque non ad omnes, ut ex ipso capite, et exemplis nuptiarum ex diversis tribubus, manifestum est: hinc non male colligitur, filias Hebraeorum non crevisse haereditatem, nisi cum filii defecerint, adeoque dotatas fuisse dimissas. Quod apud Graecos et Romanos quoque obtinuit. Vid. Cl. Perizon. diss. II. de lege *Voconia*.

§. CCXLVII. Quibus omnibus peractis, Moses varias habuit

conciones in campestribus Moabi coram toto populo, proxime ante mortem, *quinto* libro ejus comprehensas: qui ab Hebraeis quidem a primis vocibus אלה הדברים, sed a LXX. Interpr. δευτερονόμιον *Deuteronomium* adpellatur, ex Deut. XVII: 18. ubi משנה תורה *iteratam legem*, vel, apographum legis, verterunt δευτερονόμιον, sicut a Masorethis quoque משנה *mischna;* nec sine ratione, quia ejus argumentum est repetitio explanatoria totius legislationis, et foederis Sinaitici: quemadmodum c. I: 5. indicatnr, ubi Moses dicitur באר *clare explicuisse* legem. Enarrat vero his in concionibus Moses res a Deo gestas, et praecipuos casus populi in deserto, leges a Deo latas repetit, et amplificat, populum praeterea ad earum observantiam omnibus modis adstringit et excitat per benedictiones et maledictiones, ex earum observantia vel violatione orituras, foedere quoque Sinaitico solenniter renovato, sed magis adstricto per *execrationes* ei additas, quibus populus sese juratus obstrinxit, quod foedus est *Moabiticum* dictum, quia in campestribus Moabi pactum fuit. Denique fata laeta et tristia celebri cantico Deut. XXXII. praenunciavit: quando in benedictione valedictoria cap. XXXIII. definit. Quas omnes conciones habuit *mensis* unius spatio. Incepit enim *primo* die mensis XI*mi* ann. XL*mi* cap. I: 3. et mortuus est initio, mens. XII*mi* ultimi illius anni, et defletus est 30 *dies*, adeoque per totum mensem XII*mum* cap. XXXIV: 8.

§. CCXLVIII. Conciones, vario tempore habitas, definire et exponere, cum hic non liceat, unam alteramve pericopam, quae ad civitatem aut Ecclesiam Israeliticam illustrandam aliquid adfert, digito quasi tetigisse suffecerit. *Prima*, quae nostram hac parte meretur adtentionem, est, quae poenam mortis statuit pseudo-prophetae ex Israele, qui defectionem a Jehova, et ejus lege, palam docet, et populum ad idololatriam compellit, cap. XIII. Qua de lege ut recte judicetur, ejusque abusus vitetur, characteres ejusmodi falsi vatis in lucem sunt protrahendi, qui sese offerunt sequentes. 1. Ipsum sese jactare prophetam; et divinam missionem praetendere, additis etiam

ejus

ejus ſignis, ſponte ſua eluceſcit. 2. Totalem ſuadere a Jehova, Deo Iſraelis, defectionem ad idola, ſeu falſos Deos, ex verſ. 3. quoque manifeſtum eſt. 3. Sed tertius, qui perſonam ejus diſtinctius definit, character eſt, eum eſſe apoſtatam, et e cive factum rebellem, qui crimen laeſae Majeſtatis, proprio ſenſu, commiſit. Eſt enim Iſraelita, qui e medio populi ſurrexit, v. 2. et populum abſtrahere conatur ab obedientia Deo, tanquam Domino legitimo et Regi Iſraelis, praeſtanda, v. 6. Quod utique pro crimine laeſae Majeſtatis in Theocratia, quae forma regiminis locum tenuit in Iſraele, habendum eſt. 4. Denique ſeſe perjurum praeſtat, et hoſtem publicum regni, ejuſmodi mendax vates, quippe qui ſeſe falſo non tantum jactat prophetam ab ipſo Jehova miſſum, ſed et contra foedus, juramento inter Deum et Iſraelem firmatum, agit, ſeſeque legitimo regi, formae regiminis, paci et tranquillitati publicae palam opponit. Ex quibus, quam abſurde haec lex ad *haereticos*, ſic dictos, adplicetur, in oculos incurrit, cum illi ſeſe prophetas, ſeu inſpiratos, non venditent, nec a veri Dei cultu defectionem moliantur, aut Deo, tanquam ſupremo Domino, renuncient, multo minus crimen laeſae Majeſtatis committant, Theocratia finita, potius Deum opinionibus ſuis honorare ſeſe putant, etc. Unde etiam eſt, quod ad diverſas ſectas inter Judaeos haec lex nunquam fuerit tranſlata, nec poteſt, multo minus ad haereticos ſub oeconomia euangelica, ceſſante forma regiminis theocratica, et Eccleſia a civitate diſtincta: ne dicam, Chriſtum aut Apoſtolos hanc cum haereticis agendi rationem nunquam praeſcripſiſſe, aut commendaſſe; eſſeque eam Antichriſtianiſmi characteriſticam notam.

§. CCXLIX. *Secunda* pericopa, noſtra digna adtentione, agit de tribunalibus, minoribus majoribus, in Cananaea erigendis cap. XVI: 18—et XVII. Circa quae obſervo 1. ad ea quoque pertinuiſſe cauſas *criminales* in re religionis, ut ex legibus ipſis liquet. Ipſa quidem res religionis non erat ejus fori, ſed ſuprema tutela, et poenarum inflictio violatoribus

 ſecundum

secundum Legem facienda 2. Idololatriae crimen tunc tantum mortis poena luendum, si ab Israelita, et quidem in aliquo Cananaeae loco, patraretur. Cujus poenae ratio quoque a natura et forma regiminis Theocratici est repetenda, quia idololatria erat legitimi Domini ac Regis abnegatio, adeoque laesae Majestatis crimen: ne dicam, gravioribus poenis opus fuisse, ad populum, ad idololatriam adeo proclivem, ab ea absterrendum 3. supremum tribunal de quaestionibus circa legum interpretationem, quae ad religionem spectant, non judicasse, sed de causis civilibus, quibusvis criminalibus et capitalibus. Memorantur utique c. XVIII: 8.—controversiae de *sanguine*, seu caede, de *lite*, seu civilibus litibus de meo et tuo, de *plaga*, scilicet corporali infra caedem Exod. XXI. Tribunal 4. supremum pollebat quidem autoritate quaestiones definiendi sine provocatione, aut contradictione, sed pro infallibili non fuit habitum, tantum standum erat ejus judicio, et, ut de Praetore dicitur, *jus dicit*, *licet inique judicet*. Denique 5. supremum tribunal futurum dicitur vel penes personas sacras, sacerdotes, Levitas, et summum Pontificem, eorum caput, et primarium judicem, quare solus memoratur v. 12. vel penes quemvis alium Judicem, sive unum, sive plures in unum corpus redactos; potest enim collective sumi: vid. c. XIX: 17. Locutus est ambigue Moses de tribunalis membris, quia pro circumstantiis temporum illud variare poterat, sicut ex historia Israelis constat factum fuisse. Hisce observatis 6. subjungo, quod non est nullius momenti, solos Judices, non Reges, Magistratus civiles, aut sacerdotes, in communionem tituli *Dei*, licet raro, venisse in regimine Theocratico Israelis, uti Exod. XXI et XXII. ac Ps. LXXXII. quia de bonis et vita hominum non tantum *judicabant*, sed *nomine* Dei, tanquam ejus personam in Theocratia praeferentes, secundum *leges*, ab ipso promulgatas. Unde facile colligitur, *Judicibus* societatum pure humanarum, multo minus Regibus, aut Magistratibus civilibus, hunc titulum non competere. De quo fusius exposui ad Ps. LXXXII.

§. CCL.

§. CCL. Illustrior est pericopa c. XVIII: 9—fin. quam ut intactam, et sine aliqua illustratione, praeteream. Prohibentur in ea qualescunque ritus superstitiosi, quibus futurorum scientia acquiri, et media ad mala averruncanda et bona consequenda praescribi solebant apud idololatricas gentes, ratione ab eo petita, quod in lege, per Mosen a Deo lata, nemo, nisi Mosi similis propheta, a Deo suscitandus, aliquid mutare possit, adeoque nulla humana, aut superstitiosa, sed sola divina oracula consulenda sint, ac audienda. Recensentur eo scopo variae divinationum et incantationum species, Cananaeis in primis in usu, et declaratur, eos propterea ab Israele esse exterminandos, non acsi praecipua absolverint crimina, quae hanc poenalem Dei sententiam in eos provocarunt, habuerunt enim hanc superstitionem cum aliis populis communem, et alia memorantur Lev. XVIII. flagitia, quare exscinderentur, sed quod terra ab Israele occupata purgari ab illis debeat, nec ferendi sint populi, his artibus dediti, ne eorum commercio Israel ad similes ritus abstraheretur. Vid. c. XII: 2 et 29.—XX: 18. et alibi.

§. CCLI. Ratio dehortatoria, qua populus a divinis astrologis et Magis absterretur, quam illustrare in animo habeo, cum de variis istius superstitionis speciebus, hic recensitis, agere non liceat, desumta a Propheta, instar Mosis, suscitando a Deo in medio populi, duplicem fert conspectum, pro duplice promissi de tali Propheta interpretatione, vel *generali* de ordinariis prophetis identidem, ubi opus fuerit, mittendis, vel *speciali* de summo et extraordinario Propheta, nomine Messiae postea insignito. *Prior* si obtineat, ratio movens referenda erit ad praedictiones futurorum, quas a divinis illis non necesse haberent Israelitae petere, cum Deus, si opus fuerit, semper sit aliquem suscitaturus prophetam, qui eos notitia futurorum instrueret. Sed, si *posterior* admittatur, ratio dehortatoria non ad futura simpliciter pertinebit, sed in primis ad media, quibus mala praeveniri, aut averti, et bona acquiri possent, nec non ad omne commercium cum Idolis, et idololatria, sine quo

divini et Magi consuli nequeant, vitandum; adeoque scopus erit, populo ob oculos ponere, non nisi duos Prophetas, novarum oeconomiarum conditores, a Deo esse suscitandos, unum Mosen, jam praesentem, alterum Messiam, quorum ille tam diu pro unico esset habendus oraculo, donec hic, seu Messias, fuerit manifestatus; propterea itaque ab obsequio, legi Mosis praestito, unice esse quaevis bona exspectanda, cum liberatione a malis, usque ad Messiam, novae oeconomiae conditorem, et tunc rursus unice audiendum; per consequens, nec nunc, nec unquam, vatibus, aut Magis, opus esse, imo eos esse populo Dei noxios, et absolute vetitos, tanquam duobus illis prophetis etiam adversos.

§. CCLII. Posterior interpretatio ut rectius intelligatur, notari velim, divinos illos non simpliciter tanquam vates, qui futura praenunciant, esse considerandos, sed simul, et praecipue, *servatores*, qui et media, quibus mala averruncantur, monstrant, et favore suo, quo apud Numina censebantur gaudere, inpetrare possunt quaevis bona: sic Jes. XLVII: 13. *Servent te astrologi ab his, quae tibi sunt eventura*, ubi Cl. Commentator videndus. Quo oculo si intueamur divinos illos, aliam viam, ac quae a Deo erat per Mosen instituta, ab iis sterni, et populum ad falsa Numina abstrahi, facile adparet, adeoque rationem dehortatoriam recte inde derivari, quod Deus per solum Mosen locutus sit, et audiendus, donec per *Messiam* suo tempore simili modo loqueretur. Accedit, Prophetas quoque subinde fuisse solitos Israelem ab ejusmodi superstitiosis disciplinis et artibus abstrahere per easdem rationes a Lege et Messia petitas, ut Jes. II: 5, 6. VIII: 19, 20 et alibi.

§. CCLIII. Quam utramque interpretationem esse aliquatenus conjungendam existimaverim, ita tamen, ut posterior directe, et prior indirecte tantum intendi statuatur. Messiam primo loco, et directo sensu, esse per Prophetam illum promissum intelligendum, sequentes mihi persuadent rationes, verbo tantum memorandae. 1. Adpellatur in singul. et eximie *Propheta*,

pheta, 2. cum Moſe comparatur, tanquam ei ſimilis, qui inter Prophetas ordinarios parem non habet Num. XII. Deut. XXXIV. fin. 3. Propheta quoque audit, qui *verba Dei* elocuturus eſt, inſtar Moſis, et ſub gravi interminatione praecipitur audiendus. 4. Promiſſus fuit ob eandem rationem, ob quam Moſes eſt conſtitutus *mediator* tempore legiſlationis Sinaiticae verſ. 26—argumento, ſimili tempore, et ob ſimilem cauſam hunc prophetam eſſe mittendum; quod utique in ſolum quadrat Meſſiam. 5. Pſeudo-propheta, verſ. 20 memoratus, non eſt tantum, qui futurorum praedictionem nomine Dei jactabat, ſed novi quid ſimul injungebat, a populo Dei obſervandum: uti ex ipſo verſu, et poena mortis adjuncta, liquet. Eſt itaque talis, qui ſimile quid ſibi adrogabat, quod Moſes et Chriſtus vere habent et praeſtant, adeoque ſcopus eſt, populum admonere, ne ſeſe per ejuſmodi falſos prophetas in devia patiatur abripi, praeterea ei ſimul *notas* Meſſiae exhibere, ex quibus, cum venerit, dignoſci poterat. Ceterum cum ſignum pſeudo-prophetae hic tale datur, cujus contrarium pro veri prophetae nota habendum eſſe negatur cap. XIII. obſervo, ne quis ad id obhaereſcat, cap. XIII. de propheta ſermonem eſſe, qui populum ad idola abſtrahebat, hic vero de eo, qui in nomine Jehovae loquebatur, et veri Dei cultum inculcabat. Propheta, idololatriae patronus, eo ipſo ſeſe falſum demonſtrabat, ſi vel, quod futurum eſſe dixiſſet, eveniret; quia falſi prophetae ſatis evidens erat in idololatria ſignum, quo populus contra aliud illud ſignum facile muniebatur. Ubi vero tale quid non aderat, uti in falſo vate, qui cultum Jehovae praeferebat, Deus ad ſignum, quod ederet, adtendi vult, cum nequaquam permitteret, ut talis ſignum aliquod ederet, quo populus falli poterat, adeo ut ſi propheta ejuſmodi miſſionem ſuam ſigno demonſtraret, ei credendum ſit, ſi ſigno reſpondeat eventus, alias non.

§. CCLIV. Hunc, quem expoſui, ſenſum etſi directe intendi exiſtimo, quominus tamen indirecte promiſſum comprehendi generale ſtatuatur de prophetis ſuo tempore, ubi opus fuerit,

rit, suscitandis, qui futura praedicerent, et populum officii admonerent, ad mala avertenda, et bona consequenda, nullus intercedo, cum haec duo una possint consistere: quia prophetae intermedii praelusores fuerunt et typi Messiae, qui viam simul ad ipsum straverunt. Quod vero hunc sensum non excludam, facit, quod nexui, ut ex dictis patet, recte respondeat, praeterea criterium verorum et falsorum prophetarum, hic consignatum, in omnes conveniat, ut ex Jer. XXVIII. liquet. Sensus itaque complexe sumtus habet, Deum, sicut nunc Mosen dedit, cujus lex unice est audienda, ita suo tempore alium, ad instar ejus, esse missurum, qui novam conderet Oeconomiam: interea, quemadmodum Lex Mosis pro unica fidei et vitae norma erat ad illud usque tempus, quo novus surgeret Propheta, habenda, sic Deum intermedio tempore semper, cum necesse fuerit, suscitaturum viros, qui, Mosis prementes vestigia, et viam Messiae praeparantes, populum de futuris admonerent, et officia inculcarent, adeo ut nec opus, nec fas fuerit, divinos illos adire. etc.

§. CCLV. Ultima pericopa, quae singularem meretur adtentionem, quia lucem suam per universam spargit oeconomiam legalem, eamque in vero suo collocat conspectu, adeoque, scopo nostro convenienter, paulo diutius nos occupatos tenebit, duas complectitur conciones foederales, quarum una ad foedus inter Deum et Israelem in terra Cananaea solenniter pangendum pertinet, altera super praesente pactione in campestribus Moabi est habita. Prior occurrit cap. XXVII, XXVIII. et duabus constat partibus generalibus: quarum altera foederis pactionem exhibet, cap. XXVII. altera prolixum texit catalogum bonorum et malorum, quae populo bene vel male agenti evenirent, cap. XXVIII. In priore sese externa signa foederis pactioni adjungenda offerunt, et dein ipsa pactio. Signa illa v. 2—8. memorantur duo, lapidum scilicet ingentium erectio, quibus leges sunt inscribendae, et altare e rudibus et inpolitis lapidibus, super quo holocausta et salutaria offerrentur. Quae duo signa plane iis respondent, quae in foederis

deris ad montem Sinai pactione locum habuerunt, cum hoc tantum discrimine, quod leges antea fuerint *libro* inscriptae, nunc ipsis *lapidibus*, cujus ratio a prava populi indole recte repetitur, ad quam refraenandam leges erant perennibus inscribendae lapidibus, et coram omnium oculis exponendae. Cum autem *duodecim* statuae memorentur in superiore pactione Ex. XXIV. de totidem lapidibus et hic cogitare licet, quo et illud facere videtur, quod maledictiones quoque *duodecim* sint numero, hic pronunciandae. Respici ad duodecim utrobique tribus Israelis, sponte in oculos incurrit. Sed quae sunt verba legis, iis insculpenda? duodecim, ni fallor, illa enunciata, diro maledictionis carmine proferenda in monte Hebal. 1. enim, easdem leges fuisse lapidibus inscriptas, in quas jurati respondebant, rei natura requirit, cum inscriptio ad foedus super iis pactum confirmandum, ejusque memoriam perennandam, tenderet. 2. Confirmat quoque sequens pericopa. Cum enim omnes leges, capitalibus quoque litteris, v. 8. continere nequeant lapides, eas intelligi, quae mox recensentur, ratio docet. 3. Eaedem quoque oportet in censum veniant, quae vers. 26. intenduntur, cum eadem sit phrasis, ibi autem leges supra memoratas indicari, nexus sermonis docet: de quo mox. 4. Denique cum lapides in monte Ebal, unde maledictio erat pronuncianda, erant erigendi, easdem leges iis fuisse incisas, plusquam probabile videtur. Ceterum inscriptionem litteris majusculis, ac clare expressis debuisse fieri, v. 8. indicatur, ubi dicitur, *clare admodum scribes.*

§. CCLVI. Ad *modum* foederis pangendi, qui, post insertam admonitionem de populi praerogativa, qua foederatus Dei fiebat, ejusque obligatione, v. 9, 10. exponitur v. 11—fin. pertinet. a. Tribuum dispositio partim in monte Garizim, partim in monte Ebal, v. 11—13. quarum illae benedictioni, hae maledictioni praeessent, illae ex Lea et Rachel liberis foeminis, et uxoribus, hae ex ancillis, Jacobo adjunctis, exceptis Rubene, forte ob crimen, et Zabulone, incertum quare, ad maledicentes tribus relatis. Videtur itaque ratio originis observata.

Sed qua ratione hae tribus benedixerint ac maledixerint, ex hoc loco colligi nequit; sed ex Jos. VIII., ubi executio narratur, repetendum est. De quo postea. β. Foederis adstipulatio sub exsecratione ab universo facienda populo, v. 14—26. Ad quam illustrandam nonnulla dabo observata. 1. Maledictiones hasce a superioribus, quas ipsae tribus fecerunt, probe esse distinguendas, ex eo facile patescit, quod Levitae has pronunciaverint ad universum populum, et non tantum ad tribus maledictioni praefectas, et foedus super ipsis sit pangendum, populus *amen* ad eas respondere, adeoque sacramento iis sese obstringere debuerit.

§. CCLVII. 2. Solae occurrunt maledictiones, nulla benedictionis facta mentione, quia populi adstipulatio tantum in maledictiones erat necessaria, ut, si legem violaret, sese maledictione dignum esse agnosceret. 3. Consensus populi primo in singulas maledictiones, dein in omnes simul sumtas fuit requisitus, ut ex v. 26. liquet. Iste enim versus non est, ut vulgo putatur, ad universum legum Mosaicarum corpus, primo et directo sensu, extendendus, sed ad superiores, modo memoratas, restringendus, cum, quod phrasis *verba hujus legis*, eo nos ducat, et vers. 3. ut modo observavi, ita sumatur, tum, c. XXIX: 18. adpellentur *verba exsecrationis hujus;* quo ad nostrum locum respicitur, et unde vera ejus interpretatio est eruenda, quae est, maledictioni in primis esse obnoxium, qui superiores inprecationes susque deque habet, easque leges, non obstante diro carmine, quo sancitae sunt, sese inpune violare posse censet, in corde sibi benedicens, dicendo: *pax et benedictio mihi, si pro libidine mea vixero:* ut est loco cit. Verbum itaque יקים hic valet, *rata habere*, seu credere verba illa vim et effectum habitura, et ex hac fide sibi ab illis interdictis sedulo cavere: quam potestatem verbum in ejusmodi casu frequenter, ut nemini non vel ex Lexicis constat, praefert. Unde nexus cum superioribus, et ratio ultimae maledictionis, sponte sese offert. Cum populus ad singulas *maledictiones amen* respondisset, eas omnes hac generali phrasi utile

erat

erat confirmari, qua declarat populus, se eas maledictiones non spreturum, acsi vanae essent, et effectu cariturae, sed e contra, se maledictum profiteri eum, qui tale quid animo volverit. Quo ipso sese fortius obstrinxit maledictionibus, casque, si haec violaverit praecepta, in se effectum habituras esse, se credere agnovit; imo non tantum qui interdicta illa fecerit, sed et qui illud sine damno, aut maledictione divina fieri posse autumaverit, *maledictum* esse pronunciat, qui in haec ultima verba *amen* dicit.

§. CCLVIII. 4. Inprecationes pronunciantur in transgressiones legum *moralium*, ut adpellantur, et quidem tales, quae vel a Judicibus puniri non poterant, vel inpunitae dimittebantur. Quae thesis ex ipso textu est manifesta. Quod vero de poenis, a judicibus populi insligendis, dixi, illud ex eo firmatur, quod v. 15 et 24. addatur, *in occulto*. Maledictio parentum, incestus, bestiales concubitus, reatum mortis adferebant, sed hic locum tenent, tanquam vel occulta crimina, vel ad quae Judices connivebant. Ex quo porro colligitur, inprecationes hasce a poenis humanis vel judicialibus esse distinguendas, et de ejusmodi esse capiendas, quae divinitus insliguntur, adeo ut maledictio sit divina, quae sceleratis, et horum criminum reis, incumberet. De quo ex sequente catalogo cap. XXVIII. et ex opposita benedictione satis constat.

§. CCLIX. Superest sensum, et scopum harum inprecationum in lucem proferam. Ad *sensum* 1. pertinet observasse, mala temporalia, qualia sunt fames, sterilitas, morbi, pestes, clades, exsilium et caedes, primo et directo hic intelligi sensu; quod ex seq. cap., ubi recensentur, clarissimum est; *maledictionis* autem nomine veniunt, quia de Dei, Rectoris populi, justitia, quae dicitur vindicativa, ira Dei, humano loquendi more, adpellata, opposite ad benedictiones, favoris et adprobationis Dei indicia, testantur. 2. Quae mala ubi his criminibus denunciantur, significatur, *a.* singula delicta reatum maledictionis adferre, *b.* reatum nullis expiandum sacrificiis, *c.* nequidem poenitentia et resipiscentia, nisi Deo extraordina-

 rie

rie placuerit concedere veniam, *d.* ocyus citius eſſe infligenda, ſive peccatoribus, ſive eorum poſteris, prout rationibus Providentiae fuerit convenientius. *e.* Denique certo certius eſſe maledictionem executioni mandandam, ſi peccator elata manu, cum Legiſlatoris et inprecationum contemtu, ea crimina commiſerit: quo, ut obſervavi, verſ. 26. directe tendit, et c. XXIX: 19. ipſis verbis traditur, de quo mox. 3. Nec longe quaerendae ſunt rationes, quare haec in ſpecie recenſeantur crimina. Sunt enm *a.* per ſe graviſſima, et ſocietatem, in primis Iſraeliticam, directe deſtruentia, adeoque, ſi non a Judicibus, utique a ſupremo Iſraelis Rectore, non ferenda, ſed ſevere punienda. Primum utique in Deum, tanquam Regem Iſraelis, arietat, ſecundum ordinem jubentium et parentium deſtruit, tria ſequentia, ut et 10 et 11*mum*, oppreſſiones innocentium, ſive in bonis, ſive vitae commodis, ſive in ipſa vita, aut in judicio, aut extra illud, continent. Reliqua concubitus inceſtuoſos atrociores, et beſtiales comprehendunt, quibus ſocietates turbantur, et deſtruuntur. Quae crimina ſicut ſocietatibus quibuſvis, ita in ſpecie Iſraeliticae valde ſunt pernicioſa, quippe cujus ſupremus Rector eſt ipſe Deus, omnis boni ordinis autor et amator, et in quo Parentes cenſendi ſunt, tanquam quibus liberi jus acceptum ferre debent in haereditatem Cananaeae, et promiſſa foederis Sinaitici, quae ratio eſt, ut illud, alibi in Libr. Diſſ. S. obſervatum, repetam, quare in Decalogo praecepto de iis honorandis adjungatur promiſſum longaevitatis in terra Cananaea: quae ſocietas praeterea haereditatum abalienationem, adeoque nec terminorum remotionem, ferebat, in qua denique humanitatis officia locum maxime habere debebant, quia unius erant omnes ſtirpis, et ipſi quoque peregrini fuerant ac oppreſſi in AEgypto; ipſa in hac terra peregrinati majores ipſorum. Accedit, ob haec inprimis delicta graſſantia Cananaeos fuiſſe a Deo punitos, et terra ejectos.

§. CCLX. Quod vero ad *ſcopum*, et verum conſpectum harum inprecationum, adtinet, in quas univerſus populus conſenſum publice teſtari debebat, 1. eo illud collineare, facile in

oculos incurrit, ut Israel eo magis ab his criminibus deterreatur, et ad opposita obligetur officia: cum, quod occulta etiam, et inpunita, crimina divinam proferebant maledictionem, tum, consensu publico declarato, ea, nisi fidem datam simul fallerent, violare non poterant, tum, denique fidem jurati obstrinxerant. Juramenti enim conspectum habuisse illud *Amen* respondere constat, vel ex Num, V. ne alia memorem loca. 2. Praeterea et eo haec tetenderunt, ut Deus caveret, ne populus in posterum, aut caussas malorum ignoraret, aut de aliqua quereretur injustitia. Crimina enim hic memorata, et inprecationibus sancita, in quae populus ipse sacramento dixerat, cum illas causas contineant, omnem excusationis ansam adimunt, et ad propriam compellunt condemnationem. 3. In haec quoque praecepta, exsecrationibus munita, populum jurare voluit supremus legislator, ut veram viam benedictionis consequendae, et maledictionis avertendae, intelligat populus non in solo cultu rituali esse situm, sed in primis in legum moralium, et civilium, observantia, nec publica tantum, sed et privata; adeoque ad animum revocaret, rempublicam suam, licet legum ritualium observantissimam, pessum ire posse, et ituram esse, si haec crimina in ea grassarentur. Quae ut advertat, eo magis erat necessarium, quod, teste experientia, ritualibus praeceptis praecipue fiderit: a quo pestifero errore Prophetae quoque eum continuo abstrahere adlaborarunt, uti constat, David quoque variis in Psalmis, ut XV, XXIV, L. et aliis pluribus.

§. CCLXI. Denique 4. scopus fuit, universum foedus Sinaiticum confirmare, et sub *exsecrationis* formula populum ad ejus observantiam obstringere ac compellere, ita ut, si praecepta et interminationes ejus spreverit, seseque ad hoc vel illud non esse obligatum censuerit, et ex eo aliquod praeceptum violaverit principio, eidem se sciret obnoxium esse maledictioni. Licet enim certa quaedam tantum exprimantur praecepta, nihil tamen inpedit, quominus ulterius extendantur, cum, quod exempli tantum gratia ea memorata sint, tum, quod versus 26 sensum admittat generalem, qui ad legislatoris spectat autori-

 tatem.

tatem. Phrasis utique, *verba legis hujus non habere rata*, denotat ea spernere, pro non obligatoriis habere, inpune violari posse censere; quod utique legislatoris autoritatem infringit, et ad alias leges, ac interminationes, sese porrigit, simul in genere inculcat, eam autoritatem fartam tectam manere debere, nec sine maledictione contemni posse. Latum; hunc sensum sequentia cap. XXVIII—XXX. confirmant, ut et Jer. XI. ac Paulus Gal. III. ubi paraphrastice vertit; *qui non manserit in omnibus quae scripta sunt in volumine legis ad ea facienda* etc. Attamen si is admittatur sensus, et maledictio sese eo usque porrigat, notari velim, ne quis hic erret, sensum tunc directe non esse, qualemcunque legum transgressionem aliquem huic maledictioni subjicere, cum foedus Sinaiticum non excludat qualiacunque peccata, praeterea remissio peccatorum in eo locum habeat, et sacrificia eo fini sint instituta, denique *maledictionis* vox vero suo significatu id non ferat, dicit enim, justitiae severioris effecta in graviora effundenda delicta, non hoc, inquam, denotat, sed legis qualiscunque transgressionem cum Legislatoris autoritate spreta conjunctam. Quod ipsa phrasis *non rata habere verba legis*, ut modo exposui, confirmat. Fit autem illud, partim per media reconciliationis peccatoris cum Deo, in foedere praescripta, neglecta, partim per petulantem et inprobam transgressionem, quae *elata manu* dicitur fieri, partim per profana principia Atheismi, aut Epicureismi; quorum mentio fit cap. XXIX. ut mox patebit. Alium harum formularum inprecatoriarum usum, quem Apost. Gal. III. inde derivat, nunc mitto, tanquam a scopo alienum, etiam ab aliis satis expositum. Ceterum, quod non erat negligendum, cum foedus in Cananaea pangendum sit vero suo conspectu foedus *exsecrationibus* superstructum, facile patescit, quare *altare et lapides* in monte Ebal, unde maledictiones erant promulgendae, erigi debuerint, adeoque c. XXVII: 4. cum textu Samarit., hic studio corrupto, non sit pro Ebal leg. *Garisin*. Quod recte contra Kennicotum, secundum meam mentem, observavit, et adstruxit Cl. meus Nepos Verschuir in Disp. Crit. ad h. l.

§. CCLXII.

§. CCLXII. Altera concionis pars, quae huic foederis pactioni inſervit illuſtrandae, longum contexit bonorum et malorum, quae foederis obſervantiae vel violationi adnexa ſunt, catalogum cap. XXVIII. In quo parum ſeſe offert, hic obſervandum, quare duobus deſungar obſervatis; *unum* eſt, *librum*, *et librum legis*, v. 58 et 61. memoratum, pro peculiari aliquo volumine habendum eſſe, in quo maledictiones, c. XXVII et XXVIII. occurrentes, fuerunt conſcriptae in perpetuam rei monumentum, ſicut de *cantico* Moſis, c. XXXII. recenſito; traditur cap. XXXI. Utique de argumento libri mala complexo, et v. 61. conſtat. *Alterum* habet, quaevis quidem in genere mala, promiſcuo ordine recenſita, intelligi, quae Iſraelitis, variis vicibus et gradibus, uſque ad finem temporum evenirent, et evenerunt, attamen primo et directo ſenſu referenda eſſe ad tempus uſque ad exilium Babylonicum incluſum, quia cap. XXX. poſt benedictionem et maledictionem illam *converſio* populi in exſilio, et reip. inſtauratio, promittitur. Accedit 1. aliud non memorari exilium, ac in quo idolis ſervirent, v. 36 et 64. quod in Romanum non quadrat: 2. terminari hunc catalogum in abductione populi in AEgyptum, ubi venderentur, v. 68. ubi, ut id obiter obſervem, vox באניות male verti ſolet *navibus*, quarum mentio huc nihil facit, cum debeat *in moeſtitiis aeſtuantibus*: de quo expoſui ad Jer. XLIX: 20. Quod factum eſt tempore exſilii Babylonici, et poſt illud. Nulla quoque ratio fuiſſet, hujus abductionis mentionem facere, ſi ſtatus populi poſt excidium Romanum depictus fuiſſet, minus, quod quaquaverſum fuerit abductus et diſperſus.

§. CCLXIII. Alteram concionem, ſuper praeſente pactione foederis in campeſtribus Moabi habitam, cap. XXIX, XXX, antequam exponam, obſervari velim, foedus vere fuiſſe pactum, nec aliud fuiſſe, ac quod modo fuit c. XXVII et XXVIII. explicitum, et in Cananaea demum pangeretur. Foedus hic, ut communitur ſtatuitur, non fuiſſe praeceptum, ut poſtea pangeretur, ſed reapſe pactum, ex eo manifeſtum eſt, 1. quod

c. XXVIII: 69. et XXIX: 1. diserte dicatur, Deum praecepisse, ut Moses *foedus feriret in terra Moabi*, 2. ibid. v. 11. habetur, *totum populum esse in unum coactum coram Jehova, ut in foedus Dei transeat, quod Deus hodie cum ea facit* 3. denique, Moses declaraverit vers. 13. se *foedus icere non cum praesentibus solum, sed et posteris.* Esse autem hoc foedus Moabiticum, quae altera erat thesis, non, ut nonnulli putant et urgent Theologi, magni Cocceji adseclae, praeperatorium foederis Novi Test. seu purae gratiae, quo foederis Sinaitici observantia quidem simul injungitur, sed 1. talis quae populum aptum ad bona purae gratiae recipienda reddebat, adeoque intuitu Messiae, et cum spe ac desiderio ejus justitiae, 2. quae simul foederis N. adsumendi, et veteris negligendi, cum Messias advenerit, obligationem inponebat; sed esse idem prorsus, quod cap. XXVII et XXVIII. descriptum, et modo a nobis expositum est, multae evincunt rationes, quas Vir. Rev. et eruditus P. Wigeri olim, sub meis auspiciis, in *disp. Acad.* ab ipso docte conscripta, et alibi recusa, prolixe exhibuit; adeo ut hac disputatione supersedere possim. Verbo suffecerit notasse, easdem fuisse personas contrahentes, eadem promissa, easdemque leges, crimina quoque, quae judicia divina producerent, eadem; praeterea verba c. XXVIII: 69. vel c. XXIX: 1. nos ad superiora manifeste ducere: sive pro clausula superiorum, sive rubrica sequentium habeantur, modo ad superiora respici teneatur, perinde est. Verba ita sonant, *haec sunt verba foederis, quod praecepit Jehova Mosi, ut pangeret cum filiis Israelis in terra Moab:* occupant vero locum medium inter praecedentem et hanc concionem, seseque ad utramque clare extendunt, adeo ut sensus sit, super his ipsis verbis foedus per Mosen nunc esse pangendum in terra Moabi, super quibus deinceps in Cananaea id fieret. Quo ipso dubium tollitur, sintne ea superiorum clausula an sequentium introductio? utrumque enim verum est, *posterius* quia mox foederis Moabitici sequitur pactio, et cum sequente cohaeret aeque ac superioribus, *prius* autem, scilicet respici his verbis

verbis ad ſuperiora; patet ex eo, quod in his libris ſolenne ſit, talem clauſulam ſuperioribus ſubnectere, foedus quoque et execratio jungantur, cap. XXIX: 11, 13, 18, 19. XXX: 1, 19. quo ad execrationes c. XXVII. clare ducimur. Addatur denique, hoc foedus, quoad eſſentiam, unum idemque eſſe ac Sinaiticum, uti facile eluceſcit ex perſonarum, bonorum et legum, identitate, praeterea ex eodem utriuſque beneficio fundamentali, liberationis et eductionis nimirum ex AEgypto in Cananaeae poſſeſſionem c. XXIX: 1—8 denique, quod foederis Sinaitici transgreſſio, tanquam cauſa judiciorum divinorum citetur, c. XXIX: 24.

§. CCLXIV. Verum, licet utrumque foedus, Sinaiticum et Moabiticum, fuerit eſſentialiter idem, differt tamen accidentaliter, reſpectu *formae* pactionis, quare Moabiticum aliud a Sinaitico dicitur c. XXVIII: 69. Quae differentia in eo ſita eſt, quod Moabiticum fuerit ad reſponſiones populi juratas, et execrationes percuſſum; cujus nihil ſimile legitur ad montem Sinai factum. Hac vero in re quaerendum tantum eſſe utriuſque foederis diſcrimen, inde facile demonſtratur, quod 1. cum nullum ſit eſſentiale diſcrimen, ut modo vidimus, et tamen *aliud* dicatur Moabiticum, differentia oportet fuerit accidentalis in modo pactionis, quia praeter eam nihil aliud fingi poteſt. 2. Super *ſolis* pactum ſit hoc alterum foedus *execrationibus*, ut ex cap. XXVII. colligitur, ubi in ſolas maledictiones adjuratur populus, et adſtipulatur; ſolae enim memorantur, et foedus ac execratio tantum dicitur c. XXIX: 11— quod ex Jer. XI. ac Neh. X: 28. confirmatur. Denique 3. execrationis nomine eximie venit locis citatis, cap. XXIX. argumento, illud eſſe criterium ejus diſtinguens.

§. CCLXV. Induit itaque foedus Sinaiticum, ut quid mutationis illud ſecundum externum et litteralem ejus conſpectum, de quo hic tantum ago, ut in ſuperioribus ſemper inſtitui, ſubierit, paucis exponam, induit, inquam, per hoc Moabiticum, auſteriorem ſpeciem, ad indolem populi, qui poſt tot tantaque media nondum depoſuerat contumaciam, adcommodatiorem, in

eo fitam, quod in legum obfervantiam non fuerit, ut antea ad montem Sinai, adftipulatus fimpliciter, fed praeterea 1. in fingula notabilia aliqua officia moralia, 2. in execrationes ad fingulas transfgreffiones 3. in execrationum metum et reverentiam, fcilicet fe eas parvi non facturum, fub nova execratione. Qui populi confenfus, publice et fub juramento factus, ficut fumma populum a tranfgreffione deterrendi pollebat virtute, ita indoli ejus erat adprime congruus, quia rebus fuis bene confulere nondum per fuperiora media didicerat; quare ad ultimum erat deveniendum remedium, quo in horrendas execrationes juratus dicat *amen;* quo nihil erat ad durum cor frangendum efficacius. Eo autem foedus hoc fpectaffe, licet res ipfa evincat, Mofes haud obfcure fignificat, his notabilibus verbis c. XXIX: 3. *nec dedit vobis Jehova cor ad cognofcendum, aut oculos ad videndum, aut ad audiendum aures ad hunc diem ufque:* quorum fenfus et fcopus, minus recte paffim perceptus, eft, fuperiora media, quae Deus adhibuerat, ut populum ad legis obedientiam flecteret, etfi aptiffima et fufficientia, tanquam media, fruftra cecidiffe ad hoc ufque tempus, adeoque coactum quafi fuiffe Deum ad graviora et feveriora fe conferre; quae fi irrita quoque deprehendantur, nihil fupereffe, quam ut populus peffum eat, et in perniciem ruat, ipfe quoque fe eo judicio dignum fateatur. Eo ergo tendunt verba, ut ratio novi et duri remedii, quo Deus nunc uteretur, reddatur, foedus fub execrationibus pangendo, ab irrito fuperiorum mediorum omnium effectu petita. Qui verborum fcopus, ficut fe fponte commendat, ita ex eo confirmatur, quod abrupte alias et intempeftive hic locum reperirent, cum in eo fit Mofes, ut culpam inobedientiae in populum conjiciat, et ei exprobret duram indolem. Quod latius non exfequor: conferatur Jef. V. ne alia fimilia excitem. Cum vero dicitur, *Deus non dedit* etc., nihil aliud hic fignificatur, ac ne fic quidem Jehova in vobis effecit, quod per ea media intenderat, quodque debuiffent praeftare, et feciffent, nifi perverfiffima fuiffet, et obftinatiffima populi indoles. Phrafis, *et non dedit*, cum fuperiore

riore

tiore cohaerente ſermone, et inde reſtringenda eſt: *dedit* vobis converſionis media apta et ſufficientia, et *non dedit* converſionem, denotat, et non conſecutus eſt eorum effectum, non effecit quod intendebat, et per ea factum fuiſſet, niſi perviciciſſima obſtitiſſet populi indoles.

§. CCLXVI. Partes notabilis hujus concionis, quae verbo merentur recenſeri, et, ubi opus fuerit, aliqua perfundi luce, ſunt ſequentes. 1. *Prima* rationes exponit hujus foederis, petitas a ſummis beneficiis populo conceſſis, quae ſicut foederis fundamenta continent, ita irrito effectu ſuo novi et ſeverioris modi foedus ineundi neceſſitatem inponebant, c. XXIX: 1—8. ubi praeter modo dicta ad v. 3. *Deus non dedit* etc.: nihil quod obſervem, habeo. 2. *Secunda* pars, foederis cum univerſo populo, ſive hujus aetatis, ſive ſequentium, propoſitionem complectitur ibid. 9—16. ubi not., *per eos*, *qui non adſunt*, non gentiles, quod abſonum nimis eſt, ſed ejuſdem populi poſteros intelligi, uti per ſe liquet, et inde firmatur, quod a *gentibus* diſtinguantur v. 24. et *filii* adpellentur v. 28. ſed, licet poſterorum quoque ratio habeatur, praecipue tamen ad *praeſentes* ſpectat, et per eos ad poſteros. Quo verſus 15 et 16 tendunt, modo ellipſis obſervetur: *praecipue cum vobis*, quando recte ſequitur, *quia vos noſtis* etc. Rationem enim verba pandunt foederis initi, et obligationis populi, petitam a redemtionis beneficio, et idololatriae abſurditate ac univerſalitate inter gentes, a qua per hoc foedus abſtrahendi erant; adeoque a rebus, quae Iſraelitis ejus temporis probe erant notae.

§. CCLXVII. 3. *Tertiae* partis ſumma eſt dehortatio a foedere rumpendo, nec non fatorum primo triſtiſſimorum, dein laetorum, quae populo evenirent, adnunciatio, pro ut foedus primum violaverit, dein ad Deum, ejuſque foedus, ſe converterit, ut ea ratione ad foederis adcuratam obſervantiam, tanquam unicam felicitatis cauſam, excitaretur: ibid 17—XXX: 1—10. In dehortatione crimen memoratur idololatriae, quia totius foederis rejectionem continet, et principia nonnulla pro-

 fana,

sana, quae dicuntur *radix proferens venenum* et *absinthium*; et mox explicatius traduntur; v. 17 et 28. Unde patet, ejusmodi intelligi hypotheses, quibus, leges foederales inpune violari posse, adeoque execrationes, foederi additas, esse bruta fulmina, contendebatur inpie et profane, in quas ipsas opiniones ultima erat pronunciata execratio, c. XXVII: 26. ut supra exposui. Ultimum vero membrum v. 18, quod difficile habetur intellectu, et per varias explicationes adhuc difficilius est factum, quod habet, ut *irriguam addat sitienti*, mihi nihil aliud dicere videtur, ac *insatiabilem* peccandi cupiditatem, quae, licet repleta, usque et usque sitit. Phrasis, *irriguam sitienti*, ut verti debet, dicit, cupiditatem jam expletam, et satiatam, denuo concupiscere. *Irrigua* ergo est expleta cupiditas, et *sitiens* est ejus continuatio, seu renovatio: quod Jes. XXX. dicitur, *peccatum peccato addere*; et eleganter Ps. LXXVIII: v. 29. *et comederunt, et satiati sunt valde, et desiderium eorum provenire*, seu augeri, fecit, uti supra suo loco exposui, et in comm. ad Ps.

§. CCLXVIII. Fata *tristia*, quae v. 19—28. praenunciantur, totalem terrae destructionem, una cum populi exilio comprehendunt, tanquam poenam exemplarem, quae in omnium etiam gentium incurreret oculos, ita ut, hac desolatione conspecta, justitiam Jehovae, peccata populi vindicantem, agnoscerent, et populus fieret justitiae Dei speculum, ac proverbii origo, sicut cap. XXVIII. interminatus erat Moses. Ubi illud tantum habeo quod observem, digitum ad exsilium Babylonicum et Assyriacum intendi; uti ex seq. patet, et ex eo confirmatur, quod idololatriae crimen, tanquam judicii divini causa, praecipue memoretur. Ceterum comparatio cum excidio Sodomae non est nimis premenda, sed stylo prophetico et adfectuoso convenienter explicanda, uti Jes. I: 9. Am. IV: 11. Tseph. II: 9. Laeta fata, c. XXX: 1—10. inplementum nacta sunt in populi resipiscentia in exsilio, et instauratione civitatis ac Ecclesiae post exsilium Babylonicum, modo tempus latius sumatur, et ad Maccabaica extendatur. De quo in *Me-*

thodo

thodo prophetica plura dixi. Rationes non sunt longe quaerendae 1. enim *maledictio*, ut modo observavi, ad ea mala pertinet. 2. De conversione ad foedus Sinaiticum et legem Mosis hic agitur. 3. in Cananaeam reducerentur, et bonis foederis Sinaitici magna abundarent copia. 4. Tristia fata illos ferirent populos, qui Israelem oppresserant. 5. Accedit denique, prophetiam eo tempore dici inpletam, Neh. I.

§. CCLXIX. 4. *Quarta* concionis pars est adhortatoria ad legis et foederis observantiam, rationibus moventibus petitis *α*. ab ejus perspicuitate ac facilitate, v. 11—14. *β* a bonis cum observantia, et malis cum transgressione, connexis v. 15—18. *γ*. a certitudine inplementi promissorum et minarum, quae per modum contestationis coeli et terrae profertur, v. 19, 20. Ubi nihil habeo notandum, praeter illud unum, Mosen, cum dicit v. 11—*verbum non est a te remotum, non e coelo, aut trans mare repetendum, sed propinquum etc.* de sua lege, quam inculcabat, loqui, et de foedere, quod tunc pangebat, et non, ut nonnullis videtur, de doctrina fidei sub Euangelio; quia 1. praeceptum memorat, quod eo tempore praescripsit, v. 11. 2. Sequens pericopa de tota lege Mosaica agit 3. nexus cum superioribus eadem praecepta intelligi evincit, quae in praecedente parte cap., cum eo manifeste respiciatur. 4. Fundamentum sententiae adversae sublestum est, quod in Apostoli ratiocinio ponitur Rom. X: 8. quia is mentem Mosis non exponit, sed ejus tantum verba ad suam doctrinam adplicat, et adcommodat, cujus indicium in ipso textu Paulino sese offert, quia non dicit, uti v. 5. Moses *describit justitiam fidei*, sed justitia *illa ita loquitur* h. e. ea verba, quae Moses de sua lege pronunciavit, sibi merito aptat. Praeterea, cum addit *τοῦτ᾽ ἔστι hoc est*, se alio ea verba flectere haud obscure indicat: quo etiam facit, quod non, ut Moses dixerit, *quis mare transibit*, sed *quis in abyssum descendet*, ut ad mortem Christi facilior esset adplicatio. Ceterum sensus pericopae est, universam legem populo esse notificatam, cum certis divinae originis signis, adeo ut non amplius in *coelo* sit,

ſed inde jam promulgata, praeterea clare eſſe manifeſtatam, ut interprete e coelo vel e longe remotis locis opus non ſit, ſed facile ab omnibus, animum adtendentibus, intelligi queat.

§. CCLXX. Concionibus omnibus finitis, nonnulla ſubjunguntur c. XXXI. et ſeq., quae pro praeparatione ad Moſis deceſſum haberi poſſunt. Poſtquam populum de inſtante ſuo abitu et Joſuae ſubſtitutione admonuiſſet, ſimul ad fiduciam adhortatus eſſet, Joſuam quoque, tanquam ſucceſſorem, coram populo eodem fine adlocutus eſſet, ac animaſſet, praeceptum denique de libro legis, ſingulis ſeptenniis, in feſto Tabernaculorum praelegendo, dediſſet, praeparatio ad Canticum, quod cap. XXXII. eſt enunciatum, narratur cap. XXXI: 14—fin. ubi *α*. ratio cantici panditur, a perverſa populi indole deſumta, v. 14—21. ut quum poſtea a Deo deſciverit, et foedus ruperit, hoc canticum contra populum, tanquam ingratum et rebellem, teſtaretur, *β*. conſcriptio cantici a Moſe refertur, et vox Dei adhortatoria ad Joſuam, ut ſe virum praeſtet, et de Dei auxilio certus ſit, quia, durante conſcriptione cantici, eſt beatus, v. 22, 23. Denique *γ*. admonitio de libro legis ad arcae latus ponendo, et populo in concionem vocando per Levitas, ut canticum audiat. v. 24—29. Ubi illud tantum obſervo, *librum legis* a Moſe *abſolutum*, v. 24. non videri volumen tantum eſſe cantici, ſed eum, qui leges, earumque hiſtoriam continet, licet de eo diſputari poſſit; 1. quia Moſes alia ibi utitur phraſi: *verba legis*, *et verba cantici* diſtincte memorantur v. 24 et 30. 2. Idem quoque v. 9. de lege a Moſe conſcripta, et Levitis tradita, traditur, cum de *cantico* mandatum nondum accepiſſet Moſes. Sed ne quis hinc colligat diverſa volumina v. 9 et 24. intelligi, quia volumen v. 9. jam conſcriptum idem dici nequit, ac quod v. 24. exaratum traditur poſt acceptum canticum, notari velim v. 24. idem volumen legis dici non, conſcriptum, quod jam paulo ante factum fuerat, ſed *abſolutum*. Moſes ſcilicet leges, earumque hiſtoriam ſcripto jam conſignaverat, quando Deus ipſi juſſit

canticum

mticum conscribere; quare librum a Levitis repetiit, eique canticum adjunxit, quo facto absolvit totius legis conscriptionem, et Levitis reddidit, cum mandato, illud ad latus arcae reponendi. Accedit 3. inter *verba legis* et *cantici* eodem modo distingui cap. XXXII: 44 et 45. non enim eadem esse *verba legis* et *verba cantici*, ex distincta phrasi non tantum, sed ex vers. 46. ubi latius extenditur, liquet. Sensus vero vers. 44 et 45 est, Mosen et verba cantici eloqui, et universum legum corpus recitare ac explanare, ut in libro Deuteronomii fecerat, *absolvisse*.

§. CCLXXI. Cantico a Mose coram populo ad finem usque recitato, ad cujus intellectum nihil habeo, quod comm. Cl. Vitringa, a me cum notis, dudum in lucem emisso, hic addam cap. XXXII: 1—43. Ipse populum ultima vice, ad cantici verba retinenda et recolenda adhortatus, excitavit ad legis adcuratam et constantem observantiam, ratione repetita a *facilitate* legis intelligendae, et *utilitate* observantiae ejus, cum inde longaevitas ac prosperitas populi dependeat, ib. v. 44—46. ubi not. prius membrum v. 46. ad facilem legis intellectum pertinere, et vertendum esse, *quia non est verbum remotum hoc a vobis*; ita ut ריק legatur pro רק, uti cap. XXX: 11. Quibus peractis, a Deo de morte sua hoc ipso die futura admonitus, postquam terram Cananaeam de monte oculis lustrasset, ib. 47—fin. concionem habuit valedictoriam, qua tribubus, primum singulis c. XXXIII: 6—25. dein simul sumtis ib. 26—29. benedixit, et earum fata nonnulla praenunciavit: quam etiam intactam hic praetereo, quia in comm. ad Gen. XLIX. praecipuas ejus partes illustravi, nec hujus loci sit eas adcuratius exponere: illud tantum observo, prologum v. 2—5. beneficia Dei, in populum collata, comprehendere, quibus foedus Dei cum populo innixum est, et unde omnes sunt derivandae benedictiones, quae duo memorantur, redemtio scilicet AEgyptiaca, v. 2. et legislatio Sinaitica v. 3—5. quam in Diss. f. l. I: c. III. §. XII. in aliqua nota, nova edit. addita, exposui: quare et hic nihil observo.

§. CCLXXII. De morte Moſis, ejuſque circumſtantiis, cap. XXXIV narratis, cum ſupra ubi Moſis dedi aliquam notitiam, neceſſaria dixerim, hic nihil mihi eſt relictum, quam Moſen non eſſe autorem iſtius capitis, ſed recentiorem aliquem poſt Moſen. Cujus opinionis, non novae, ſed pluribus jam receptae, certa eſt demonſtratio. Praeterquam quod narratio mortis, ejuſque conſequentium, hiſtorice non prophetice inſtituta, Moſi non conveniat, elogium quoque ejus, v. 10. modeſtiae ejus repugnet, indicia recentioris temporis ſeſe offerunt varia: uti in voce *Dan* v. 1. in deſcriptione terrae Cananaeae ſecundum tribus Iſraelis, v. 2. in phraſi, *ad hanc uſque diem*, v. 6. denique quod, *prophetam ſurrexiſſe inſtar Moſis*, negetur v. 10. quod praeterea cum vix pro certo videatur potuiſſe adfirmari, niſi poſt prophetarum periodum finitam, de tempore hujus partis epilogi ſaltem judicium ferri poteſt.

Prima ſecundi intervalli periodus ab ingreſſu in Cananaeam ad mortem Joſuae.

§. CCLXXIII. *Secundum* intervallum, ad quod pergo, ab introitu in terram Cananaeam ſeſe ad Regnum in Iſraele erectum, ſeu unctionem Sauli, porrigens, in tria minora, ſeu tres periodos, ordinis et perſpicuitatis ergo, dividere placet: quarum *prima* ab ingreſſu ad mortem Joſuae ſe extendit, *ſecunda* inde ad primam ſervitutem, ſeu interitum totius generationis, quae in Cananaeam venit, *tertia* inde uſque ad Saulum. Cum autem *primae* periodi hiſtoria ex libro Joſuae unice ſit petenda, de ejus *autore* et *tempore* mentem non fuerit alienum paucis expoſuiſſe, abſque ut in varias Doctorum ſententias recenſendas, aut examinandas, me inmittam. *Materiam* libri ex commentariis, vel annalibus, tempore Joſuae vel ab ipſo, vel Eleazaro Pontifice, vel alio probatae fidei, ejus temporis, compoſitis, cenſuerim quidem eſſe deſumtam, cum ejus ſit naturae, ut eo ipſo tempore litteris exarari debuerit, quia

terrae

terrae divisiones suis limitibus circumscriptae, et urbium nomina, sine scripto vix conservari, nec lites de terminis, sine hoc medio, praecaveri potuerint: sed *formam* libri ejusdem esse autoris aut temporis, inde colligi posse non autumaverim, cum ex commentariis, hoc tempore factis, potuerit deinceps in hanc formam concinnatus esse per modum epitomes; uti de libris Regum et Chronicorum constat.

§. CCLXXIV. Nec desunt rationes, quae, autorem libri esse Josua posteriorem, evincunt, absque ut ulla proferri queat alicujus momenti, quae Josuam demonstrat autorem. Titulus *libri Josuae* eum non arguit autorem, cum gesta Josuae eo contineri simpliciter denotet, sicut in libris Judicum, Samuelis et Regum, Estheris et Ruthae, et aliis obtinet, nec *verba haec*, a Josua *libro legis Dei*, quem Moses conscripsit Jos. I: 8. quique juxta arcam repositus adservabatur, adjuncta, Jos. XXIV: 26. res gestas Josuae, hoc libro comprehensas, denotant, ut nonnulli putant, sed *verba Josuae* tunc prolata, et foedus ibi renovatum, ut series sermonis evincit, et inde confirmatur, quod hunc librum non legatur Josua addidisse *libro legis*, sed ea verba ipsi libro legis inscripsisse; adeo ut foederis solennem pactionem ad calcem Deuteronomii, ubi foedus explicatur, adjecerit. Rationes, quae autorem Josua posteriorem arguunt, sese mihi offerunt sequentes. 1. Formula, *ad hunc diem*, aut *tempus usque*, quae frequenter occurrit, uti c. IV: 9. V: 9. IX: 27. XIV: 14. XV: 63. XVI: 10. et alibi, longius requirit intervallum, quam aetas Josuae post illos casus continet. Bis quidem ea ipse Josua in oratione ad Israelem usus est, c. XXII: 3. et XXIII: 8, 9. sed, si ad circumstantias, in quibus adhibetur, et frequentiorem ejus in hoc libro usum, attendatur, neutiquam fit probabile, Josuam, a rebus factis non remotiorem, ita esse locuturum. Aliud utique est dicere, *ad hoc usque tempus nemo nobis restitit*, c. XXIII. quod populo in memoriam revocare in rem erat, aliud longe, *duodecim lapides*, quibus sacerdotes in Jordane institerant, superesse *ad hunc usque diem*, c. IV, nomen loci esse *Gilgal*,

 ubi

ubi circumcisionem renovavit Israel, *ad hunc diem* c. V. Gibeonitas esse *caesores lignorum ad hunc diem*, c. IX. Quae, et quorum similia, a Josua in libro, a se composito, quo tempore haec notissima erant, continuo fuisse repetita, mihi non fit probabile. Cui ingens accedit robur ex cap. XV: 63. unde de formulae istius usu in hoc libro judicandum est. Traditur ibi, Jebusaeos, a tribu Judae Hierosolymis non ejectos, ibi *ad hunc usque diem mansisse*: quod a Josua non potuit, ut mox patebit, proficisci. Conferatur etiam c. XIV: 14.

§. CCLXXV. 2. Occurrunt praeterea in hoc libro nonnulla, quae Josua mortuo demum contigerunt, absque ut insertionis, ab alio autore factae, adpareat indicium. α. Miraculosa *solis et lunae statio*, cap. X. non tantum exstare dicitur in libro *recti*, vel potius *canticorum*, qualis hoc tempore non fuit, 2 Sam. I. sed additur, *talem diem nec ante, nec post eum* (scilicet Josuam) *exstitisse*. β. Ubi cap. XV: 63. *filii Judae* negantur expellere potuisse Jebusaeos, tempus manifeste definitur post Josuam, cum, quod *filii Judae* memorentur, adeoque tempus designetur, quo tribus separatim adgressae sunt hostes suos, tum, Josua adserat, *neminem sibi potuisse resistere*, cap. XXI: 42. et XXIII. γ. Idem de c. XVI: 10. judicandum est, ubi Ephraimitae incolas Gezeris dicuntur non expulisse: conf. Jud. I: 29. δ. Expeditio Danitarum c. XIX: 47. memorata, omnium consensu, Josua est recentior, nec tamen ab alio censeri potest inserta, serie orationis vetante. Denique prolixa pericopa c. XXII: 7—34. historiam complectitur Josuae tempore posteriorem; ut postea suo loco demonstrabo.

§. CCLXXVI. De autore et tempore nihil existimaverim aliud adfirmari posse, quam ante Davidem, vel saltem Salomonem, hunc librum jam exstitisse. 1. Cananaei urbe Gezer ab Ephraimitis non expulsi, ibi leguntur c. XVI: 10. habitasse *ad hunc usque diem*; sed tempore Salomonis inde ejecti fuerunt 1 Reg. IX: 16. 2. Jebusaei quoque Hierosolymas tenuisse leguntur *ad hunc usque diem*, cap. XV: 63. et urbs ad-

pellata fuit *Jebus*, tempore scripti libri c. XVIII: 28. sed David eam occupavit, et regni sedem fecit 2 Sam. V. Denique 3. antequam Hierosolyma fuerit religionis sedes facta librum fuisse compositum, inde quoque colligi posse videtur, quod Josua c. IX: 27. Gibeonitas tradatur caesores lignorum fecisse *in loco, quem Deus sit electurus.* Nec obstat huic hypothesi, quod populus jam videatur distingui in *Judam et Israelem*, c. XI: 21. sicut post Salomonem demum incepit. Israel enim ibi pro generali nomine capi potest, ita ut Juda et reliquae tribus intelligantur. De quo nominis Israelis usu ex c. XXII: 12. etc. constat, sic et Jud. XX. Benjamin et Israel opponuntur. Praeterea occurrit quidem nomen *Chabul* tanquam in limite Aseritarum c. XIX: 27. sed tractum intelligi, qui tempore Salomonis eo nomine fuit insignitus 1 Reg. IX: 13. non constat: adeoque librum esse Salomone posteriorem hinc colligi nequit. De nomine autem Chebul postea quid monebo.

§. CCLXXVII. Ceterum, admisso, librum ante tempora regni Davidici stabiliti jam exstitisse, nihil mihi videtur probabilius, quam Samuelem ejus fuisse autorem, cum nemo ad id fuerit aptior, et, secundum antiquam Judaeorum traditionem, inter eos locum habeat libros, qui Prophetas agnoscunt autores. Unde ratio quoque forte inter alia repeti potest, quod a Samaritanis, qui Pentateuchum receperunt, et parti quoque historiae libri Josuae in Chronico suo, ab orbe condito ad Muhammedem, quod librum Josuae adpellant, locum dederunt, fuerit noster liber, cum reliquis Canonicis Judaeorum, repudiatus. David enim, qui Hierosolymam sedem religionis fecit, a Samuele unctus est, et arctam ad eum habuit relationem: quicquid autem huic urbi favere potest, Samaritanis odiosum est.

§. CCLXXVIII. Scopus libri, ut de eo aliquid obiter moneam, est, ut ex ejus argumento patet. 1. Justitiam Dei, rectoris universi, in Cananaeis, quorum inpietas plenam adtigerat mensuram, Gen. XV. delendis, et veracitatem ejus in

 pre-

promissis Israeli factis inplendis, in clara ponere luce. 2. Israelem certiorem facere, se non meritis et viribus, sed benignitati et peculiari curae Jehovae, terrae Cananaeae possessionem acceptam referre debere; quippe quam inter clarissima potentiae, et favoris Dei signa, hic adcurate memorata, acquisiverat. Praeterea 3. Israeli alte infigere necessitatem foederis Dei observandi, unde duratio possessionis terrae, et prosperitas unice pendebat, quare foedus per Josuam solenniter legitur renovatum, et crimen Achanis, indeque orta clades populi, accurate narratur. Denique 4. ut tribus de haereditate, singulis adsignata, ejusque limitibus, in perpetuum essent certae, et omnes in posterum lites ea de re cessarent.

§. CCLXXIX. In *prima* hac periodo, ut ad historiam illustrandam veniam, tres occurrunt casus notabiliores, ad scopum nostrum pertinentes, *ingressus* in Cananaeam, *occupationis* ejus bello factae, et *partitionis* inter Tribus Israeliticas. De quibus antequam disseram, Josuae, personae et veri conspectus ejus respectu, quaedam danda est notitia. Josua, antea *Hosea* dictus, sed a Mose, cum ad explorandam Cananaeam mittebatur, יהושע adpellatus Num. XIII: 16. nomine *Jehovae* inserto, ut *salutem a Jehova* et ei, et per eum Israeli, praestandam esse, indicaretur, filius Nun, ex tribu Ephraim, intimae admissionis minister Mosis, eo vivente, fuit; dein, eo mortuo, supremus dux et gubernator Israelis, tanquam vicarius Dei, in locum Mosis, et ejus successor; licet per omnia non aequalis, attamen sequentium ducum, seu Judicum Israelis ordine exemtus, et iis superior. 1. Mosi per omnia non fuisse similem, sed eo inferiorem, vel ex eo liquet, quod α. Moses neminem legatur habuisse parem Deut. XXXIV. β. legi per Mosen latae fuerit adligatus, Jos. I. γ. Oraculum Urim et Tummin, Pontifici commissum, consulere debuerit, Num. XXVII: 21. cum Moses facie ad faciem cum Deo egerit. δ. Denique non tota majestas Mosis, sed pars tantum ejus in Josuam legatur collata ibid. vers. 20. Attamen reliquis omnibus judicibus, et regibus, fuit superior, et proxime ad Mosen adcessit,

adcessit, ejusque successor eximie dictus, et vicarius Dei, quia 1. de majestate Mosis ipsi datum dicitur l. c. adeoque autoritas Mosis ipsi communicata, et in ipsum translata est. 2. Jussu Dei et manuum Mosis impositione, ut ibid. habetur, inauguratus, et Mosi suffectus est. 3. Cum Mose comparatur, et ejus successor, cui aeque ac Mosi obedientia sit praestanda, diserte declaratur, Deut. XXXIV: 9. Jos. IV: 14. Denique 4. sicut Moses, ita et ipse, populo, qua vicarius Dei, fuit ab ipso Deo praepositus, commendatus, et signo, a Deo dato, honoratus, Jos. I. et IV: 14. adeo ut ipsum, sicut Mosen, reveritus fuerit, et ei obedierit populus, c. IV: 14. Ipse quoque opus a Mose inceptum perfecit, populum in Cananaeam ducendo, et in ejus possessionem inmittendo, incolis subjugatis, foedus Dei cum populo quoque solenniter renovando, Jos. XXIV. Ceterum inauguratio ejus, a Deo per Mosen antea facta, Num. XXVII. solenniter est renovata ac confirmata post mortem Mosis, Jos. I. ubi solennis Josuae inauguratio per Deum facta narratur, vers. 1—9. et a populo, obsequium ipsi sicut Mosi praestandum promittente, adsumitur, vers. 10—fin. Utraque necessaria, vel utilis erat, *prior*, quia Deus erat verus populi rex ac supremus ductor, cujus erat ministrum, ac imperatorem secundarium, qui jussa sua exsequeretur, instituere; *posterior* eo spectabat, ut, Israelem, non coacte, sed sponte sua se ei submittere, constaret, simul promtius praestaret obsequium. Responsum autem Israelitarum, quo obedientiam pollicentur vers. 16. non est ad Transjordanenses restringendum, sed universum populum extendendum, uti per se liquet, et ex vers. 11. etiam colligi potest. Denique, cum in Cananaeam populum per Jordanem duxisset, et auspicia occupationis ejus ab urbe Hierichunte jam sumeret, per Angeli Jehovae, supremi ducis *exercitus Dei*, seu Israelitici populi Ex. VII: 4. adparitionem, non tantum confirmatus est in eo munere, sed et animatus, ac de felici conaminum exitu certior factus, Jos. V: 13. Eo enim illud visum collineavit, uti, cum, ex ipso viso, quo Angelus gladio

armatus adparuit, tum, ex eo colligitur, quod Angelus ipsi nihil aliud responderit, quam *nunc veni*, sc. dux et subsidium Tibi et populo, et jusserit Josuae, ut *calceos exueret quia terra sancta erat*, quippe quo significatum voluit, Deum ipsi, aeque ac Mosi Exod. III. adfuturum, nec non Cananaeam sibi, ut suam, in qua habitaret, vindicare. Verba enim Jehovae ad ipsum c. VI: 2. ab Angelo nunc non fuerunt prolata, sed deinceps, uti ex serie narrationis, et phrasi, *dixit Jehova*, facile patet.

§. CCLXXX. *Ingressus* in Cananaeam, qui *primus* est hujus periodi casus exstantior, ann. XL*Imo* exitus ex AEgypto, mens. Im*o*, die 10*mo* factus Jos. IV: 19. per miraculosum transitum Jordanis, nostram ante omnia meretur animadversionem, dignusque est, qui distinctius enarretur, et luce aliqua perfundatur. Factus fuit hic transitus, uti Jos. III: 14.— narratur, hunc in modum. 1. Statim ac sacerdotes cum *arca*, quam ferebant, pedibus suis adtigissent aquas Jordanis, illae partim steterunt in cumulum aggestae apud Adam, partim in mare mortuum defluxerunt, solo intermedio, spatio satis longo, relicto sicco, ab Adam usque ad mare mortuum. Hic sensus est loci difficilioris vers. 16. *steterunt aquae, quae descendunt superne* (h. e. e superiore, seu septentrionali fluvii parte,) *surrexerunt in unum cumulum longissime*, (procul, ab Israelitis) *ab Adam urbe*, vel *ad Adam urbem*, *quae est e latere Tsartanis*. Urbs Adam, quia jam eo tempore, quo Josuae liber scriptus est, erat ignotior, additur *Tsartan*, a qua prope afuit. Tsartan erat prope *Schytopolin* 1 Reg. IV: 12. e regione *Succoth* ib. VII: 46. sub valle Jisreël 1 Reg. IV: 12. *Succoth* vero, uti constat, ex Gen. XXXIII: 17. fuit ad ortum Jordanis, infra mare Galilaeae; Jos. XIII: 27. Nomina vero אדם *Adam* et צרתן *Tsartan*, a conflandis metallis, quod ibi fieri solebat, 1 Reg. VII: 46. originem repetierunt: אדם a terra *argillosa*, conflandis metallis apta, uti l. c. habetur, במעבה האדמה *in densitate terrae*, vel *Adama*, ubi idem nomen, forte et hic restituendum, ut אדמה pro אדם legatur, littera

littera fin. ת per sequentem similem absorpta: altera vox צרתן est pro צרפתן a צרף *conflare*; cujus nominis urbs quoque fuit prope Sidonem 1 Reg. XVII: 9. *Adam* vero hic ut terminus, a quo aquae steterunt versus septentrionem, occurrit, adeo ut solum fuerit siccum ab Adam usque ad mare mortuum. Ex quo manifestum est, exsiccationem fuisse miraculosam, eoque magis, quod aquae ripas hoc tempore transcenderint, uti tempore messis fieri solebat, quod et hic et alibi, ut 1 Chron. XII: 15. Eccles. XXIV: 36. diserte adnotatum est. Inundationem autem eam nivibus Libani, verno tempore liquescentibus, adtribuendam esse, a Doctis jam est observatum. Ceterum non in eo ponendum est miraculum, quod aquae refluxerint ad fontes, licet id insolitum sit, nec tamen sine exemplo, aquae enim *superne*, h. e. a fonte *fluentes* dicuntur *stetisse*, sed in aquarum coacervatione, eaque subitanea, et pro eo tantum *die*, quo fluvius pleno fluebat alveo.

§. CCLXXXI. 2. Sacerdotes mox ad medium progressi fluvium ibi constiterunt Jos. III: 8, 17. duodecim lapidibus substratis pedibus eorum Jos. IV: 3. donec totus populus transiisset, imo ipsi lapides fuissent sublati: sunt enim iidem lapides, qui mox in Gilgale fuerunt erecti in perpetuum rei monumentum. Vulgo putatur quidem, lapides fuisse in medio fluvii relictos in perpetuum monumentum, sed praeterquam quod illud ab omni verisimili abhorreat, fundatum unice est in verbis cap. IV: 9. *fuerunt ibi ad hunc usque diem*, cum proxime praecedentibus male constructis, cum ad vers. 8*vum* omnino referenda sint, sive alienum locum vitio librarii acceperint, sive vers. 9*nus* sit parenthesi includendus, usque ad haec verba. 3. Jordane circa trajectum Hierichuntinum, quod notandum, cum et alius fuerit prope Schytopolin, superato, castra posuerunt in *Gilgale*, Jos. V. ad ortum Hierichuntis, haud procul inde remoto, 10 scilicet tantum stadiis, secundum Jos. Ant. V: 1, seu 2 milliaribus, secundum Eus. Onom. in voce, Ἐῦνος. Qui locus hoc nomen accepit a *praeputio* populi, ibi circumcisi, *remoto:* c. V: 9. sed addi potest, *acervum* lapidum, *Gilgal*

 dictum,

dictum, ibi quoque, ut dixi, fuisse positum, ita ut duplici hac de ratione גלגל *Gilgal* censeri possit adpellatus. In quo loco aliquandiu manserunt et castra habuerunt, donec in Cananaea facti fuerint superiores.

§. CCLXXXII. Populo dein per *circumcisionem*, a quampluribus in deserto neglectam, sicut antea in AEgypto cum inde egrederetur, quare *iterum*, seu altera vice, dicitur facta, tanquam signum foederis, et perfectae nunc liberationis a probroso statu in AEgypto, quare *opprobrium* AEgypti tunc traditur ablatum, et per *paschatis*, ejusdem rei signi, celebrationem, praeparato, uti cap. V. narratur, terra Cananaea ab eo coepit occupari. Quod brevissimo factum est tempore, α. per duas praecipuas urbes, Hierichuntem, et Ai, illam miraculose, hanc pugna, subactas, Jos. VI—VIII. β. duo praelia decretoria cap. IX—XII. α. Cum Hierichuntis occupatio plane singularis et miraculosa fuerit, eo scopo facta, ut animi hostium frangerentur, et Israelitarum erigerentur, ejus aliqua tradenda est notitia. Praemittitur status urbis c. VI: 1. quo adcuratissime et munitissime clausa erat, ut, aliam vix viam ad eam expugnandam, quam per singularem Dei potentiam, superesse, indicaretur; verba ita sonant: *Jericho claudebat*, et *clausa erat* h. e. sicut muro undiquaque erat obsepta, eaque ratione *clausa*; ita et ipsa portas omnesque aditus firmiter occluserat. De *modo* occupationis paucis absolvam, cum in eo explicando operam recte posuerit Abicht in Thesauro novo Ikenii etc. Ad eum pertinet 1. Israelis solennis circuitus, *septem* diebus instituendus, sed *sex* diebus una vice, septimo die *septem* vicibus. Qui numerus septenarius, ad creationem, a Deo tot diebus perfectam, spectans, adhibitus est, ut signum esset veri Dei, cui haec expugnatio erat accepta ferenda, et professionis fidei et fiduciae Israelis in Deum, creatorem ac rectorem universi, suum patronum et Deum foederatum.

§. CCLXXXIII. 2. Circuitus solenni *processione* hoc modo institutus. Praecedebat *lectum* aliquod militum agmen, חלוץ dictum, vi vocis *extractum*, dein exquisita et selecta pars.

Seque-

sequebantur *septem* sacerdotes, quos excipiebat *arca* a sacerdotibus portata; post eam milites, agmen claudentes, inde מאסף adpellati h. e. *colligentes*, qui exercitum praecedentem quasi colligunt, ne dilabantur, aut invadantur; ultimo denique totus populus sequebatur. 3. Ad *actiones* processus pertinet a. quod sacerdotes clanxerint buccinis יובל Jobel h. e. *egressus*, et *dimissionis* ac libertatis, ut itaque se moveat exercitus, ac de liberatione ab hostibus certior fieret; b. agmen praecedens et claudens buccinis ordinariis: totum enim agmen, et non solos sacerdotes, ut vulgo putatur, clanxisse, ex vers. 9no manifestum est, quippe ita vertendo, *extractum agmen ibat coram sacerdotibus clangens buccinis* (legi enim debet תקוע) *et cogentes agmen sequebantur arcam, eundo et buccinis clangendo.* Nec obstat, quod Deus sacerdotibus tantum praeceperit clangorem vers. 4. cum non simpliciter buccinas, sed buccinas יובל *Jobel* inflare ipsis injungatur; agmini autem simpliciter *buccinae* dantur. Denique c. sacerdotum, et militum, buccinationi, singulis diebus faciendae, accessit *septimo* die alius *sonus* duplex, *alter* sacerdotum, *alter* totius populi. Illi ultima vice septimi diei ediderunt sonum *protractum* vers. 5. id enim verbum משך designat, quod vers. 16. mente est supplendum: totus vero populus, post illum clangorem, *jubilavit*, quando murus cecidit, vers. 5 et 20. Jubilationem fuisse Veteribus in usu duplicem, *unam* ante praelium, *congressivam* dictam, *alteram* post victoriam *ἐπινίκιον*, notum est. Prior hic directe, sed et posterior indirecte intelligitur ex spe victoriae: significavit itaque hoc barritu populus, murum non amplius inpediturum introitum, adeoque mox pugnam futuram, cum certa spe victoriae.

§. CCLXXXIV. Ceterum *Jericho*, de qua ex Veteribus vid. Jos. B. J. IV: 8. Strabo l. XVI. ex Recentioribus Masius ad Josuam, Reland. Palaest. l. III. alii, nomen habuit a figura situs, lunae semiplenae speciem praeferente, a ירח *luna*, montibus enim undequaque cincta fuit, instar amphitheatri, teste Strabone. Versus ortum vero magna protensa fuit planities usque

ad Jordanem. Tractus ejus irrigabatur fonte largissimo ad septentrion. ex montibus profluente 2 Reg. II. eratque fertilissimus, proferens mel, opobalsamum, et palmas: sed Hierosolimam versus solum est desertum et saxosum, versus mare mortuum humile, et sterile. Subiit varia fata: hoc enim tempore fuit plane destructa, simul devota, ut non nisi cum ingente damno reaedificanda sit, vers. 26. scilicet qua *urbs munita*, muro et portis cincta, absque ut domos ibi aedificare, ac inhabitare fuerit illicitum, sicut et ante aedificationem, 1 Reg. XVI. fuit factum, quae dirae inprecationes Josuae inpletae sunt, 1 Reg. XVI: 34. Dein a Chaldaeis destructa refloruit tempore Maccabaeorum, ab Herodo M. varie exornata et arcibus munita. Denique a Romanis diruta, et alia condita est, quae tempore Eusebii superfuit; sed tempore Brocardi, ut ipse refert, vix octo domus supererant.

§. CCLXXXV. Duo restant casus, ad hanc expeditionem Hierichuntinam spectantes, notabiliores, quam ut silentio involvi debeant, *unus* exploratorum a Josua missorum, *alter* Rachabae communi clade ea occasione ereptae, et Israeliticae insertae Ecclesiae, vel et nuptae Salmoni, principi tribus Judae. *Exploratio* fuit חרש Jos. II: 1. *occulte* per duos viros a Josua missos facta, seu clam populo, ut malum, quod prior exploratio tempore Mosis pepererat, vitaretur. Pertinere enim vocem חרש *occulte* ad ipsum Israelem, et non Hierichuntinos, per se liquet, cum clam hostibus institutam fuisse, non opus erat monere. Fuit autem ad solam Hierichuntem, ejusque terram directa, ut est vers. 1. eoque inprimis tendebat, ut, quo animo essent incolae, cognosceretur: utque certae et facilis victoriae indicia inde elucescant. Quod ex verbis Rachabae, et exploratorum relatione, manifestum est. Quo ipso animi Israelis erecti sunt, cum, quod promissi Dei de *pavore* hostibus incutiendo inplementum viderit, tum, sibi cum hostibus perterrefactis rem fore, intellexerit. Ceterum ad tempus adcuratius definiendum, quo missi fuerunt exploratores, observari velim, illud non post praeceptum Josuae de castris *triduo*

post

oft movendis publicatum cap. I: 10. et executioni manda-
um c. III: 2. fed ante illud contigiffe, adeoque hiftoriam
ap. II. non fuo loco narrari, fed parenthefios praeferre con-
)ectum, cum c. I: 10— ac c. III: 1—manifefte cohaere-
nt: ut legenti facile patefcit. Jofuam vero jam ante mififfe
xploratores, et relationem eorum accepiffe, ex eo patefcit,
uod *triduum* tantum ponatur inter edictum illud et tranfitum
er Jordanem, quod a Jofua fieri non potuiffet, fi tunc de-
ıum eos miferit, cum, eos intra hoc fpatium redituros effe,
:ire non potuerit; accedit, eos *triduum* latitaffe in reditu c. II:
2. nec tamen Ifraelitas caftra moviffe et veniffe ad Jorda-
em, nifi poft reditum eorum; ut ex ferie narrationis conftat.

§. CCLXXXVI. De Rachaba duo inprimis quaeruntur, *al-*
rum, rectene egerit, an contra jus et fas? *alterum*, quem
ructum hofpitii, exploratoribus praebiti, tulerit? Difputatur
uidem fueritne *meretrix*, an *cauponaria?* fed fine ratione,
ım vox זונה, qua infignitur, nufquam in fcript. S. aliam, ac
ieretricem fignet, cui etiam concinit titulus πορνη, qui ipfi
tur Hebr. XI. et Jac. II. Chald. vertit פונדקיתה *phondiki-*
:, quae eft Graec. πανδοκεύτρια *caupona*, hofpita, honeftiore
uidem voce ufus, fed ejufdem faepe fignificatus, cum ars
auponaria apud veteres paffim connexam habuerit meretrici-
m, ut Cafaub. ad Theophr. charact. c. VI. dudum docuit.
lud tamen recte ftatuitur, eam hoc tempore ad meliorem
ugem rediiffe, et honefte inter Ifraelitas poftea vixiffe, de
uo mox. *Prius*, quod movi, quaefitum non ita facile vide-
r folutu, cum proditionis patriae cenferi poffit rea, utique
falfiloquio abfolvi nequeat. De proditionis patriae crimine,
uod commififfe cenfetur, exploratores, adeoque hoftes, occul-
ındo ac liberando, ut fanum feratur judicium, obfervari ve-
m, α. eam, proprie loquendo, non prodidiffe patriam, nec
onfilia cum hoftibus de ea occupanda iniiffe, fed exploratores
ntum a certiffima nece liberaffe: quae utique haud parum
ftant, β. repugnantia hic concurriffe officia, quae fecum
onferenda funt, ut quae graviora, quaeve leviora fint, elu-

 cefcat.

cescat. Rachab hic ab *altera* parte consideranda est, tanquam 1. notitia Jehovae, Dei Israelis, ac veri quoque Dei, inbuta, v. 11. 2. voluntatis Dei, de terra Cananaea Israeli danda, non ignara v. 9. 3. probe persuasa, patriam se tueri non posse, sed certo esse ab Israele occupandam, v. 9—11. 4. Denique conscia obstinationis suorum civium, qui Israeli sese non submitterent, ad praeveniendam perniciem suam, sed sese hostiliter opponerent, eaque ratione in certissimam ruerent ruinam, et necem, omnes. Quo in rerum statu, officii ejus erat, Deo Israelis non repugnare, propriae quoque saluti consulere, sanguinis in viris innocuis fundendi occasionem non praebere per exploratorum proditionem, sed ab *altera* parte patriae erat obligata, ejusque saluti consulere debebat, nec hostibus ulla ratione favorem exhibere. Hanc officiorum collisionem qui debite ad animum revocaverit, Rachabam forte excusare, et a prudentia laudare, poterit. Utique Deo sese non submittere, et suam, domusque suae, vitam ac salutem susque deque habere, longe gravius crimen est, quam patriae in prodendis exploratoribus non servire, unde patriae nullum conciliabatur damnum, sive illi occisi, sive salvi fuerint, reip. nec nocere, nec prodesse poterant: addatur, cum patria absolute actum esse, ipsam certo scivisse, si sese Israeli opponat. Falsiloquium ejus non eo tantum nomine excusari potest, quod certo in casu, quo nemini nocetur, et propriae saluti alias consuli nequit, *non sit* illicitum, sed et quod ipsi cum perditis civibus, qui in praesentissimo periculo nec sibi nec patriae prospiciebant, sed certissimam ruinam sibi obstinate concitabant, res fuerit, quos non ut cives amplius, sed hostes potius, quibus sermonis commercium amplius non debemus, considerare debuerit. Simile exemplum prostat in nunciis ad Davidem clam missis. 2 Sam. XVIII: 20. Quicquid sit, credidisse dicitur Deo, fidemque suam bono opere demonstrasse, missos Dei occultando, et cum propriae vitae periculo liberando a morte. Heb. XI. et Jac. II.

§. CCLXXXVII. Peculiarem meretur animadversionem, quod

quod ex eodem fune, quo dimissi erant exploratores, de quo ex vocula הזה *hoc ipso*, et serie narrationis in seq. satis constat, dignosci debuerit Rachab, cum Israelitae urbem occupassent v. 18. Vox תקות significat *funem*, a radice, quae in *torquendo, contexendo*, sedem habet, et חוט est *filum*, cujus radix *suendi*, consuendi, potestatem habet. Quae duae voces conjunctae nos ducunt ad funem pannosum, ex variis filis contextum, instar fimbriae vel panni. Eo autem tetendit, ut, e fenestra dependens, domum ejus distingueret, praeterea ut beneficii, in exploratores collati, signum esset, quo merebatur conservari in vita ab Israele; denique, nescio an addere liceat, illud pro signo verae religionis Israeliticae, ab ipsa ejusque domo amplectendae, haberi potuisse, instar *fimbriarum* ex filis hyacinthinis, quibus anguli vestium ornabantur, ex praescripto Mosis, in signum memoriale legis. Num. XV: 37. Deut. XXII: 12.

§. CCLXXXVIII. Utique non tantum suam, domusque suae salutem, prudens foemina hac ratione consecuta est, communi erepta cum consanguineis suis excidio, sed et populo Dei fuit inserta, quod phrasi *habitare* in *medio* Israelis, c. VI: 25. etiam comprehensum est, imo forte per illustre conjugium quoque cum Salmone, e tribu Juda, uno majorum Davidis; si Raab, in genealogia Christi Matt. I. memorata, sit haec ipsa Hierichuntina, uti passim putatur, nec sine ratione, cum alia ejus nominis non tantum non sit in Script. S. nota, sed in primis, quod mulieris non fiat expressa mentio in ea, nisi aliquid singulare, aut alienum habeat, ut ex Tamare, Bathseba et Rutha, nominatim expressis, patet: nec obstat, quod ῥαχάβ et non ῥαάβ appelletur, cum utraque translatio nominis רחב recte sese habeat, aut epitheton *meretricis* non addatur, uti Hebr. XI. et Jac. II. cum illud omitti potuerit.

§. CCLXXXIX. Majorem parit difficultatem, quod Jos. VI: 25. Rachab simpliciter dicatur *habitasse* in *medio Israelis* ad hunc usque *diem*, nulla mentione conjugii facta cum Salmone: sed fieri potuit, ut vel phrasi illa tacite insinuatum fuerit, cum

fortunata, et familiarior conversatio ea phrasi subinde denotetur, vel non, nisi Josua mortuo, nupserit Salmoni; voces *ad hunc diem* sunt ambiguae, et pro subjecta materia majus minusve spatium continent. Opponitur quoque temporis, quod fluxit ab ingressu in Cananaeam usque ad Davidem, ratio, quae non patitur, ut Salmon ex Rachab Hierichuntina genuerit Boazum. Sed illud nihil probat, cum nimium probet, et difficultas non Rachabam tantum, sed ipsum *Salmonem* tangat, quippe qui in Cananaeam cum Israele est ingressus. Cui rectius occurri nequit, quam statuendo, genealogiam majorum Davidis Ruth. IV. esse decurtatam, praecipuis tantum nominatis. De quo alibi. Vid. Perizon. Orig. AEgypt. c. XX. Ceterum, ut illud subjungam, Rachab exemplo suo docet 1. inter gentes etiam in Cananaea, eo etiam tempore, non defuisse, qui verum Deum cognoverint, et timuerint, eoque nomine ipsi fuerint accepti. 2. Cananaeos non fuisse deletos, nisi quia sese obstinatos praestiterunt peccatores, cum ceteroquin, uti Rachab, servari potuissent. 3. Deum quoque suos nosse praesentissimo eripere periculo: sicut exempla in Noacho, et aliis fuerunt.

§. CCXC. Alterius urbis, *Ai* dictae, expugnatio, c. VII et VIII. narrata, illud 1. singulare habuit, quod infelici cum successu, et aliqua clade Israelitarum, fuerit suscepta, causa *criminis* Achanis, ex tribu Juda, integrae domus capitis, quo ipse aliquid e devotis rebus Hierichuntis surripuerat, adeoque clarum Dei interdictum sciens volensque violaverat, quod crimen satis grave erat, uti vers. 11. describitur: rem enim sacram et Deo devotam rapuerat Achan, idque clam Deo et hominibus; denique *mendacium* commiserat, seu perjurium et perfidiam, jus Deo debitum, et juramento firmatum, abnegando, et fidem fallendo ac ejurando. Quam significatus amplitudinem verbum כחש et alibi habet, uti Lev. V: 21. Jes. LIX: 13. Jer. V: 12. Prov. XXX: 8. iram itaque Dei in totum populum provocaverat, causamque cladis dederat, uti ex cap. VII et XXII: 20. manifestum est. Cujus rei ratio

partim

partim a *prudentia* politica, partim a *justitia*, est repetenda. *Prudentiae* erat, populum hac ratione de transgressionis gravitate, et necessitate foederis Dei adcurate observandi, admonere, omnesque eo magis ab ejusmodi commissis, quae tam noxia habent consequentia, absterrere, simul excitare populum, ut in singulorum actiones adcuratius inquirat. Sed ad *justitiam* pertinet, quod populus in hoc negotio remissius egerit, nec, num interdictum Dei, fuerit per omnia observatum, inquisiverit; denique quod, Deo inconsulto, et propriis viribus nimium nixus, hostes temere fuerit adgressus. Ceterum, licet clades accepta fuerit levior, 36 tantum Israelitarum, animos tamen totius populi, ipsius etiam Josuae, penitus fregit, quia manifestum irae Dei populo incumbentis, praeferebat signum, in eo etiam conspicuum, quod 1. populus contra expressum Dei promissum, c. I: 5, 9 et V: 14. hostibus cum clade terga dederat, 2. terrore panico correpti milites contra Haienses missi, non pugnando, sed fugiendo fuerint percussi, uti ex vers. 5*to* colligi potest, quippe cujus sensus est, Hajenses, eruptione facta, percussisse Israelitas fugientes: narratur enim modus, quo caedes Israelis facta est, his verbis: *et persecuti sunt eos a coram porta*, (לפני enim est pro מלפני, littera מ ex fine praecedentis vocis repetita,) *usque* ad *Schebarem* h. e. locum a fractis Israelitis sic dictum, ut videtur.

§. CCXCI. Hoc crimine deinde detecto, et Achanis ejusque domus excidio, admodum severo, expiato, adeoque Deo placato, expugnatio urbis, quae capta et incensa est, omnibus civibus occisis, feliciter fuit peracta. Severum autem judicium, quo Achan primus et solus est lapidatus, ut num. sing. indicat v. 25. dein ejus domestici, quando cum reliquis possessionibus omnes sunt combusti, (ultimum enim membrum vertendum est, *postquam* lapidati sunt,) inflictum fuit, convenienter voluntati Dei, postquam *sortitione*, ut probabile est ex simile casu 1 Sam. XIV: 42. Deus *adprehendisset*, ut habetur v. 17, 18. (h. e. reum declarasset, seu sibi, peccatorum vindici, obnoxium 1 Sam. XIV: 41. Prov. V: 22. Job

 V: 13.)

V: 13.) *tribum* Judae, *familiam Zarchi*, *domum* Zicri (legendum igitur לבתים v. 17. pro לגברים) et *virum* Achan. Ceterum in eo fors Hai a deleta Hierichunte diversa fuit, quod 1. non sine praelio fuerit facta, licet signa opis Divinae non defuerint, quippe conspicua ex. gr. in lancea, a Josua erecta, donec omnia fuerunt peracta, vers. 26. in primis si cum bello Amalekitico comparetur, et virga a Mose extensa Exod. XVII. praeterea 2. spolia et animantia cesserint Israelitis; quod antea secus se habuerat. Quo modo capta fuerit urbs, adhibitis etiam *insidiis*, prolixe narratur cap. VIII. cui non inmoramur, licet in positis insidiis ad occasum urbis inter Ai et Bethel, aliquid occurrat difficultatis, cum vers. 3. videantur 30 millia, et vers. 13. tantum 5 millia memorari, cum librum Josuae hic non explicemus: verbo notasse suffecerit, statui posse, Josuam, 1. 30 millia misisse ad insidias, 2. cum reliquo exercitu resedisse ad septentrionem urbis, 3. mox novas 5 millium misisse ad occasum urbis, nec tamen ad eandem plagam, quam 30 millia occupaverant. Etsi enim utraeque insidiae locum inter Ai et Bethel ad occasum cepisse dicantur, potest tamen esse, ut 30 millia magis versus austrum, 5000 vero versus septentrionem resederint; Hebraei enim non nisi ad generales plagas exprimendas nomina habent: accedit, 5000 propius a castris afuisse, ut ex vers. 13. patet, ubi עקב *calcaneus* vel extrema exercitus pars adpellantur.

§. CCXCII. Subjungitur quidem mox historia foederis inter Deum et Israelem pacti, ad montes Ebal et Garizin; cap. VIII. sicut Moses jusserat Deut. XI. et XXVII, sed num hoc tempore acciderit, non adeo certum est: obstat enim non tam nimia illorum montium ab Hai et Gilgale, ubi castra erant, distantia, fuerunt enim in tribu Ephraim prope Sichemum, ut recte demonstravit Masius ad Jos., fieri enim potuit, ut totus populus eum locum, licet remotiorem, adierit, quam hostium nondum devictorum, undiquaque hos montes cingentium, copia. Unde colligendum videtur, hunc casum illi adligandum esse tempori, quo hostibus, saltem australibus, superatis, Judae et

› jam fuerint suae portiones adsignatae, de quo postea, definiverim, nec ordinem narrationis sine necessitate m. Ceterum historia admodum concise narratur, summ complexa capita, adeoque ex Deut. loc. cit. supplenl ipsa narratio quoque indicat, dicens, *omnia ex praeofis fuisse peracta.* Occurrit vero 1. altaris exstructio, iorum oblatio in monte Ebal. 2. Lapidum erectio, altari non sunt confundendi, ut ad Deut. l. c. ob- Legum, seu formularum foederis, quae l. c. sunt inscriptio. 4. Benedictiones et maledictiones, sehormam ibid. traditam, pronunciatae. Expressa quius benedictionis fit mentio, sed cum additur v. 34. fin. *primum*, aliquid, quod reticetur, fuisse secutum, et supplendum, indicatur, maxime cum mox *maledictio*-ic subjungatur. 5. Denique secuta est benedictionis, ictionis, praelectio a Josua facta v. 35. ad exemplum qui eas c. XXXIII. et seq. pronunciavit. Quod idem iit Josua.

XCIII. Duabus hisce illustrioribus et validioribus ci-, Hierichunte et Ai, subactis ac deletis, ejusque rei ge lateque divulgata, metus omnes Cananaeae incolas, adeo ut sese prudente consilio ab excidio conati indicare, sed diversa longe ratione. Alii enim, et ites, vim vi repellere, et Israelitas oppugnare unitis pacto sociali inito, constituerunt; soli Gibeonitae paude adhibita, inpetrare ab Israelitis statuerunt. Utri*mtiam* politicam, quae c. IX: 4. ערמה dicitur, cujus num et malum usus, exhibuerunt reliqui aeque ac ie, uti vocula גם *etiam* edocet, ubi legitur *et incolae tiam callidi fuerunt*, h. e. usi sunt calliditate, seu i, aeque ac reliqui Cananaeae populi, sed alio modo, e successu. Reliqui enim, qui c. IX: 1. recensentur, dicuntur, *ut cum Israele pugnarent uno ore*, scil. vel unitis animis ac consiliis, sicut Gen. XI: 1. *erat omnibus*; *ore* pro consiliis ore prolatis sum-

Mm to-

to. Quod non de actuali congregatione, sed proposito est intelligendum; postea enim et per partes id est executioni mandatum. Sed *Gibeonitae*, qui quatuor civitates constituebant, vers. 17. quarum tres Benjamini cesserunt, quarta Judae, prudentius et callidius instituerunt. Missis enim legatis, se e Cananaeae populis non esse, sed remotioribus, dixerunt, ac per longinqui itineris signa inposuerunt Israelitis, a quibus pacem, facto juramento, inpetrarunt. De quo singulari casu varia possunt formari quaesita, sed quae hujus non sunt loci. Unum alterumve, a scopo non alienum, verbo adtingam. Primum habet, licueritne Israeli, salvo interdicto de pace cum Cananaeis incunda, Gibeonitas, sese submittentes, in foedus admittere; si tanquam Canaanitae innotuissent? Ad quod respondeo, interdictum quidem fuisse absolutum, nulla expressa addita exceptione, et ita ab Israele ac Gibeonitis intellectum, cum Gibeonitae propterea sese remotiores esse populos finxerint, et Josua cum senioribus eo fundamento foedus cum iis pepigerit, attamen in eo fuisse fundatum, quod populi illi sese Israeli sint oppposituri, Jos. XI: 19, 20. adeoque bello subigendi: quo casu omnes erant internecione delendi, secus ac extranei; quo respicit lex Deut. XX: 16. praeterea pro scopo habere, Israelem in tranquilla possessione Cananacae ponere, sine ullo periculo idololatriae, Ex. XXXIII: 12. Deut. VII: 16. XX: 18. Si itaque sese sponte submitterent, et idololatriae renunciarent, de interdicto dispensari, et vita ipsis relinqui poterat, licet, ut probabile est, non nisi consulto Deo, ne populus, ut facile fieri poterat, decipiatur. Quare vers. 14. diserte notatur, tanquam male actum, *eos non rogasse Jehovam.*

§. CCXCIV. *Secundum* est, num recto et legitimo *modo* pax fuerit Gibeonitis concessa? De illegitimo illud 1. testatur, quod, de longinquitate situs eorum non satis persuasi, *absolutum* cum ipsis, tanquam talibus, fecerint pactum, juramento firmatum, v. 15, 19. unde est, quod, fraude eorum detecta, se stare debere juramento, putarint. 2. Quod Deo inconsulto, nec de legis hoc in casu dispensatione certi, illud fecerint.

3. Addi-

3. Addi poteſt, inconſulto populo Iſraelis, id a primoribus eſſe effectum, incerto fundamento, in eorum verbis, et corrupto viatico, ſito, ut ex v. 7 et 18. colligitur. Cum itaque v. 14. habetur, *ſumſerunt* האנשים *ex viatico ipſorum*, vel *viri principes* intelligendi ſunt, vel litteris duabus transpoſitis הנשיאים *primores* legendum, uti v. 18, 21. Sed, pacto hac ratione inito, recte fecerunt Iſraelitarum proceres, quod *tertium* eſt quaeſitum, quod eo ſteterint, et in vita eos conſervarint: erat enim abſolute factum juramentum legis diſpenſabilis obſervantia ſanctius: maxime cum Deus, quem a Joſua conſultum putaverim, adprobaverit, ſicut ex facinore Sauli, quo Gibeonitas conatus eſt exterminare, a Deo inprobato, 2 Sam. XXI. colligitur; ſed, quod *quarto* quaeritur, quo jure, ſalvo pacto, eos perpetuae addixerunt *ſervituti?* Pactum nil niſi *vitae* conſervationem continebat, adeoque ſtatui ſervili non erat adverſum. Deinde fraudibus ſuis id meruerant, nec aliter cum Cananaeis, jam olim a Noacho, divinitus adflato, ad ſervitutem condemnatis Gen. IX., agere licebat. Cum tamen fraus ex laudabili principio, et naturali vitae deſiderio, orta fuerit, nec ullius cum damno conjuncta, honorabiliore ſervitio ſe fecerunt dignos, quod etiam nacti ſunt, lignatorum et aquatorum officio in aede Dei ipſis adſignato.

§. CCXCV. Secuta dein ſunt duo praelia decretoria, per quae Iſrael in totius Cananaeae poſſeſſionem venit, *prius* cum Auſtralibus, *poſterius* cum Septentrionalibus populis, adunitis viribus, habitum. *Prius* Joſ. X. narratum eſt, quo Joſua *quinque* reges, Hieroſolymae, Hebronis, Jarmuth, Lachis et Eglonis, qui vires junxerant, profligavit miraculoſe prope Gibeonem, quam oppugnatum venerant tanquam rebellem, ob pacem cum Iſraele factam. Quod praelium praecipuarum tractus auſtralis urbium, a Kadeſ-barnea ad Gazam, excidium ſecum traxit Joſ. X. Singularis plane auxilii Jehovae indicia fuerunt 1. in conſternatione hoſtibus inmiſſa, verſ. 10. et *contabeſecit eos Jehova ante faciem Iſraelis.* Quo verbo ויהמם comprehenditur, vera ejus emphaſi, animus fractus, et con-

 ſternatione,

ſternatione, divinitus injecta, *ſolutus* ac *diffluens*, uti obſervavit Schultens Orig. l. I. c. 5. 2. in lapidibus, ſive proprie dictis, ſive grandinis, ſed majoris molis, in eos coelitus dejectis: verſ. 11. quibus multi perierunt, 3. in miraculoſa Solis et Lunae ſtatione ad preces Joſuae, ad lucem prolongandam, ut profligatio fieret pleniſſima: verſ. 12, 13. Eſt in hoc miraculo recte intelligendo aliquid certi et dubii. Certum eſt, diem fuiſſe duplo majorem factum, et lucem protractam, quod verſ. 13. fin. innuitur, et Eccleſ. XLVI: 4. diſerte traditur. Cum itaque dicitur, *ſol queiſce* et *Luna ſta*, (verbum enim דום et דמם, proprie *adfigi*, *compingi* firmiter, ſeu haerere inſtar rei calce vel gypſo illitae, tenaciſſimam ſignat inmobilitatem Ex. XV: 10. Jer. XLVIII: 6. Thren. III: 28. Job XXXI: 34.) ſignificatur, luminaria illa curſum ſiſtere, et inmobilia manere ad tempus debere, adeoque ſolem non eſſe occiſurum, nec lunam orituram tam cito. Solis curſus tendebat ad occaſum, et Lunae ad ortum. Quod ex loco, ubi Joſua erat haec verba proferens, *ſol ſile* in *Gibeon*, et *Luna in Ajalon*, ulterius confirmatur: ſtabat enim prope Bet-horon, ad cujus occaſum vergebat Gibeon, ſed ad ortum vallis Ajalon, adeoque Solem ad occaſum, et Lunam ad ortum videre potuit properantem: quo verba ſunt referenda, *ſol quieſce et Luna ſta*, h. e. ſol ne occidas, Luna ne oriaris. Interea *modus*, quo id factum eſt, non ita facilis eſt definitu; num ſcilicet ipſe Sol et Luna curſum ſtiterit, an lux ſolis miraculoſe manſerit, ſole in curſu pergente, et Lunae lux non fuerit viſa? *poſterius* eſt perceptu facilius, cum ceteroquin totus orbis effectum ſenſiſſet, quod non eſt probabile: ſed *prius* cum verbis videtur conjunctius, quibus ipſe Sol jubetur *ſtare*, ac Luna. Ad quod tamen reſponderi poteſt, enunciatum illud fuiſſe ad popularem opinionem adcommodatum, cui ſatis ſit, ſi lux ſolis maneat, quippe quod idem cenſendum ſit, acſi Sol fixus maneat. Popularis quoque ſermonis indicium ſeſe offert, non tantum in *ſtationis* ſolis *phraſi*, quatenus Sol currere videtur, et populariter cenſetur, ſed et in ejus ſtatione

ne *super Gibeone;* quod physice verum esse nequit, cum Sol perpendiculariter non immineat Cananaeae, multo minus Gibeoni. Quicquid sit, nihil enim definivisse tutius est, miraculum modo agnoscatur, quod, quacunque ratione capiatur, grande fuisse constat, dignum, cujus memoria in longam posteritatem conservetur, sicut factum est, cum *libro carminum* Israelis fuerit insertum. Legi enim pro הישר debet השיר, uti habet vers. Syr. et Ephraem Syr. ad 2 Sam. I: 17. Oper. Syr. t. I. p. 393. qui addit, librum fuisse, in quo *carmina* per ordinem descripta legebantur. Vox ישר *rectus* hic commodum non admittit sensum, nec epitheton libri esse potest, longe rectius השיר collective pro השירים, uti 1 Reg V: 12. Sic et liber *canticorum* lugubrium memoratur 2 Chron. XXXV: 25.

§. CCXCVI. Subjungitur per modum adpendicis, ut opinor, v. 16.—narratio consequentium hujus victoriae, seu quinque regum caedis, et urbium Makkedae, Lebnae, Lachis, Chebionis ac Debhiris expugnationis ac destructionis; adeo ut totus tractus australis, a Kadesch barnea ad usque Gazam, versus austrum et occasum, in potestatem a Josua fuerit redactus, ut et ad Gibeonem versus septentrionem. Adpendicis conspectum confirmat, quod alias ratio reddi nequeat, vers. 15. *et rediit Josua, et totus Israel, cum eo Gilgalem:* qui reditus demum factus est post urbes illas occupatas, v. 43. Si itaque statuatur, historiam praelii fuisse finitam v. 15. et dein alteram partem fuisse adpendicis loco additam, adeoque, cum v. 15. dicitur, Josuam Gilgalem repetiisse, illud intelligendum esse, non mox, sed post reliquias praelii profligatas, ordo historiae recte concinnatur: nec necesse est, ut cum LXX Interpr. hic versus expungatur.

§. CCXCVII. *Alterum* habitum est praelium cum populis septentrionalibus, quo reliquam Cananaeae partem subjecit Josua, Jos. XI. Rex Chatsoris, urbis primariae ejus tractus, supra Samochonitidem paludem, teste Josepho Ant. V: 6. quae postea tribui Naphtali cessit Jos. XIX: 36. *Jabin* dictus,

qui inter reges totius tractus septentrionalis tenebat primas, ibid. 10. audito Josuae prospero successu, sibique metuens, reges omnes vicinos excitavit, et in unum coegit, ut junctis viribus sese Josuae opponerent: inter quos memorantur 1. Jobab rex Midon, cujus ignotus est situs, 2. Simron, quae urbs cessit tribui Zabulonis, c. XIX: 5. adeoque a Samaria probe distinguenda, quare מראון *Maron* adpellatur c. XII: 20. forte pro מראום (rad. enim רום aliquando א habet insertum,) ut *altior*, seu septentrionalior tractus designetur, sicut aquae מרום, c. XI: 5. 3. Achsaph, in finibus tribus Ascher cap. XIX: 25. 4. reges, qui montanum inhabitabant septentrionale, et campestria circa Jordanem, ad meridiem maris Gennesaritici, denique planitiem occidentalem, ubi Naphet-Dor in tribu Manassis, ad mare Mediterraneum, c. XVII: 11. Erant autem ex diversis populis Cananaeis ad ortum et occasum, Amorraeis, Chittaeis, Pherizaeis, et Jebusaeis in tractu montano septentrionali, denique Chivvaeis sub Chermone monte, parte Antilibani ad ortum Jordanis, in terra Mitsphae prope Chermonem. Hi omnes, copiis inmenso numero contractis, castra posuerunt juxta aquas *Merom*, h. e. lacum Samochonitidem, quem perfluit Jordanes supra mare *Genesareth*, quasi dicas aquas superiores, ut distinguantur ab ipso lacu Genesareth et Asphaltite, aquis inferioribus, adeoque prope sedem regiam Jabini, regum illorum primarii. Hi omnes cum in castris adhuc essent, et de summa belli deliberarent, hostem longe remotum existimantes, inproviso a Josua, summa uso festinatione, sunt invasi, prostrati et fugati. Illud enim verba, et *percusserunt eos* et *persecuti sunt* significant; scilicet, partim trucidarunt, partim fugientes insecuti sunt eos quaquaversum, et occasum et ortum versus. Sidon enim et Misrephoth-majim erant versus occasum et septentrionem, vallis Mispha versus ortum.

§. CCXCVIII. Hoc praelio decretorio habito, Josua reliquas regiones Cananaeae, longioris temporis bello, occupavit. Quae historia occurrit, cap. XI: 16. ad fin. Non enim ibi

narrata

narrata, eo ipſo tempore, quo pugnatum fuit cum modo memoratis populis, ſed longo demum tempore poſt, peracta ſunt; donec nihil amplius reſtaret belli. Quae noſtra hypotheſis, recte obſervanda, 1. ex verſ. 18. firmatur, ubi *diebus multis* Joſua dicitur *bellum geſſiſſe.* Interpretes quidem ad 5 vel 6 annos hoc bellum reſtringunt, ſed a. contra uſum phraſios, *dies* enim *multi* ſunt ſtylo ſcript. *anni multi.* b. Subleſto nixi fundamento, in aetate Calebi poſito cap. XIV. de quo poſtea. Hic notaſſe ſuffecerit, ea, quae cap. XIV. narrantur, contigiſſe quidem mox poſt praelium illud decretorium, ſed non poſt has in pericopa, quae, quod adverti velim, adpendicis, ſuperiori narrationi adnexi, conſpectum habet, relata. Joſua enim tribubus Judae et Ephraimi ante diviſit poſſeſſiones, quam cum Cananaeis eſſet debellatum. Hic autem de tempore agitur, quo bellum ſub Joſua duravit, aliquandiu poſt ea, quae cap. XIV. traduntur. 2. Idem liquet ex verſ. 23. ubi terminus ponitur *quies terrae* a bello, et ejus diviſio tunc demum facta inter Tribus; quod non niſi diu poſt contigit, ut ex cap. XVIII. pateſcit, ubi Tabernaculum dicitur in *Silo* fuiſſe, quo tempore diviſa eſt terra. Sed, quae cap. XIV. narrantur, acciderunt, quando caſtra adhuc in Gilgale erant, c. XIV: 6.

§. CCXCIX. Praeter ſuperiorem adpendicem, c. XI: 16—fin. eſt adhuc altera pericopa, eundem conſpectum habens, cap. XII. ſummariam omnium regum a Moſe et Joſua devictorum trans et cis Jordanem continens recenſionem, cujus itaque duae ſunt partes, prior Tranſ-jordanenſium, poſterior Cis-jordanenſium. In priore, v. 1—6. ſeſe generalis deſcriptio terminorum totius tractus Jordanenſis offert, v. 1. et montani et campeſtris reſpectu. Limites enim Arnon et Chermon ad tractum montanum, in plaga orientali ejus, pertinent, a quo diſtinguitur tota planities ad ortum Cananaeae. Dein in ſpecie regnorum Sichonis et Ogi ducuntur limites, v. 2—6. Sichonis erat Cheſbon, et regnum ſeſe porrigebat, orientalis ejus partis, quae montana erat, reſpectu, ab Aroer, et urbe in medio flu-

vio, usque ad medium Gi'eadis, et Jabokum fluvium, versus terminum filiorum Ammon: qui sensus est vers. 2. In hoc autem orientali ejus tractu terminus australis erat Aroer, ad oram fluvii Arnon, et urbs in ejus medio, propinqua quidem, sed ab Aroer distincta, c. XIII: 16. Nostro loco vox *urbs* reticetur, et tantum dicitur, *et a medio fluvii:* sic enim verti debet: pendet enim quoque a praep. מ in מערער. Terminus autem ejusdem tractus versus septentrionem est dimidium Gileadis, et fluvius Jabok, ubi terminat filios Ammon. *Medium* Gileadis est terminus septentrionalis, quo regnum Sichonis ab Ogi distinguitur v. 5. quare facilius flueret scriptura, si ועד *et ad* ponatur ante חצי *medium.* Secabat ille terminus mediam Galaaditin, quae regna Sichonis et Ogi continet, quo phrasis, *medium* Gileadis, spectat; sic pro *media* septimana Dan. IX: 27. et *medio* diei Neh. VIII: 3. sumitur: occidentalis vero partis regni Sichonis termini ducuntur v. 3. inter utrumque mare Genezaret et Sodomaeum, per totum tractum campestrem Moabiticum, ut adpellatur; cujus terminus australis erat sub *Asdot Pisgae* h. e. defluxus, seu convallis montis Pisgae: de quo vid. Masius ad Jos. Tantum observo vocem וגבול *et terminum* v. 4. ad vers. 3*tium* pertinere, et faciliorem fore structuram, si ante מתימן ab *austro* ponatur, vel legatur גבול sine praef. ו: sensus enim est, terminum australem esse, *sub convalles Pisgae.* Patet praeterea ex v. 2. et nexu, vocem וגבול *et terminum* ante עוג *Gog* locum non habere, nec cum eo recte construi posse. Denique Ogi regia erat Hastaroth et Edrei, regnumque se extendebat per montanum Chermon, Salcha, et universum Basan, usque ad limites Gesuritarum et Mahachitarum, scilicet versus septentrionem, et ad medium Gileadis, termini Sichonis nimirum a meridie. Quae ad haec regna cognoscenda non abs re visum fuit observasse.

§. CCC. Posterior cap. pars regum Cis-jordanensium catalogum texit per totam terram Cananaeam, cujus duo memorantur limites a Septentrione et Meridie. Baal-gad in valle Libanon a Septentrione, et mons Chelek, qui Seirum versus

adscendit,

it, a Meridie, v. 7. In quo catalogo nihil occurrit
ndum, quod hujus est loci, praeter hoc unum alte-
. 1. לשרון v. 18. vel השרון rectius, alias *Saron*, et
: 35. Ασσαρων, ut multi cod. legunt, est tractus inter
am et Joppen, probe distinguendus ab alio ejus nomi-
r montem Tabor et mare Tiberiadis: uti jam observa-
Reland. in Palaest. 2. Pro גלגל vers. 23. omnino
גל *Galil*, ut habent LXX, qui verterunt γαλιλαίας Ga-
vid. c. XX: 7. et XXI: 32. Rex גוים *Gentium* est
colluviei Galilaeae, sive hominum ex diversis familiis
rum; sicut Gen. XIV: 1. rex *Gentium* eo sensu ad-
Tidal aliquis; cum regna alias passim essent earundem
um, vel gentium. Huc etiam facit epitheton *Gali-*
entium. Vid. Jos. B. J. III: 4. et Strab. Geogr. l.

CCI. De terrae *divisione*, quae *tertium* illustriorem in-
casum constituit, antequam agam, de *tempore*, et *modo*,
racta fuit, disserendum est. Vulgata de *tempore* habet
la, eam anno 7*mo* ingressus in Cananaeam incepisse,
astra in Gilgale adhuc essent, sed 7 annis post resum-
e. et absolutam in Silunte; ita ut duplex fuerit divisio-
iodus, *prior* ab anno 7*mo*, quando duae tribus Juda et
m haereditates suas acceperunt cap. XIII, XVII. *poste-*
anno 14*mo* ingressus in Cananaeam, qua reliquae tri-
te suas fuerunt nactae cap. XVIII. In qua hypothesi
idem recte sese habet, quod divisio terrae statuatur ali-
n interrupta, vel dilata, posteaquam duae tribus haere-
t crevissent, quippe cujus certum est in c. XVIII. in-
, ubi Josua reliquas tribus septem increpat ob diutur-
oram in adeunda haereditate. Sed, quod vulgata opi-
tempore utriusque divisionis habet, solido non nititur
ento, et gravibus premitur difficultatibus. *Priorem* pe-
anno 7*mo* ingressus incepisse, speciem aliquam habet,
rem vero anno 14*mo*, praeter traditionem Judaicam, ni-
se commendat: sed praeter *speciem* quoque nihil ha-

bet prior periodus; cum unice in aetate Calebi, quando haereditatem a Josua petiit, c. XIV: 6. collata cum aetate, qua ad explorandam terram fuit a Mose missus, sit fundata. Tunc 40 annos erat natus, et nunc 85 habebat, anni itaque 45 intererant, cum a tempore missionis ad ingressum in Cananaeam fluxerint 38 tantum, ab ingressu ergo in Cananaeam et hoc tempus, quo 85 ann. habebat, 7 numerantur anni. Valet argumentum ad demonstrandum, petitionem Calebi fuisse 7 annis post introitum illum factum; sed hinc nondum liquet *prioris* divisionis epocham in eo esse figendam, nisi eam fuisse tempori, quo haereditatem postulavit Calebus, aequalem constiterit: quod tantum abest, ut verum sit, ut ne quidem probabilitate gaudeat, quin falsum pronunciare ausim. Epocham enim prioris divisionis fuisse eo tempore *posteriorem*, hae evincunt rationes. 1. Caleb eo tempore in pleno adhuc erat vigore, et ad gravissima bella aptus cap. XIV: 11. Josua vero, quando mandatum dividundae terrae accepit, decrepitus et viribus enectus, c. XIII: 1. nec tamen multo senior erat Calebo, quippe *juvenis*, cum explorator terrae missus est, aequae ac Caleb, et anno aetatis 11*mo* mortuus. 2. Inter hostes residuos non numerantur Enakitae, et tractus australis incolae, quo tempore mandatum de terrae divisione accepit Josua c. XIII: 2—6. manifesto indicio, illud post eos populos a Josua et Calebo devictos contigisse, adeoque post petitionem Calebi, cap. XIV. 3. Mandatum de terra distribuenda Josuae non est factum, nisi postquam *terra quieverit a bello*, cap. XIII: 1. Coll. XI: 23. ubi Josua narratur bellum persecutus, donec *quieverit terra*, cum tamen ad bellum jam fuerit ineptus, quo tempore mandatum accepit, c. XIII: 1. Quod idem de terrae quiete refertur post Hebronem a Calebo occupatam, c. XIV: 15. 4. Accedit *multis annis* bellum dici gestum, antequam terra quieverit c. XI: 18. non itaque ann. 7*mo* ab ingressu in Cananaeam instituta fuit divisio.

§. CCCII. Ex mea itaque opinione inter *occupationem* terrarum a duabus tribubus Judae et Josephi, ac *divisionem* a Josua

factam,

factam, cap. XIII. probe est distinguendum. Duae illae Tribus haereditates suas acceperunt per anticipationem, mox post primum *septennium* ingressus in Cananaeam, c. XIV: 6. donec bello profligato, et terra quiescente, divisio fuerit jussu Dei facta, qua primo haereditates, a duabus illis tribubus jam occupatae, iis denuo sunt adsignatae ac confirmatae, terminis accuratius positis: deinde aliquandiu post reliquae terrae inter reliquas tribus sunt divisae. Tres itaque statuendae sunt epochae divisionis terrae, *prima* anticipata, *secunda* legitima inter duas primarias illas tribus, *tertia* inter reliquas. *Anticipatae* occupationis clara et expressa quidem non extat mentio, sed ejus haud unum sese offert indicium. 1. Filii Judae, ubi ann. 7*mo* ingressus a Josua dicuntur c. XIV: 6. petiisse australis Cananaeae partes, illud ante divisionem, a Deo Josuae imperatam, contigisse, modo demonstravi. 2. Judae et Josepho confirmatur haereditas, ab ipsis jam occupata, c. XVIII: 5. Dicitur enim, eas tribus esse retenturas possessiones, scilicet, quas jam ante justam ac legitimam divisionem, Divino jussu factam, sibi vindicaverant per anticipationem; ceteroquin enim lites a reliquis tribubus non potuissent iis moveri; ut ibi innuitur factum fuisse. 3. Addatur, rationem esse in promtu, quare terras illas duae istae tribus aemulae occuparint; ut nimirum a Septentrione et Meridie tuti essent Israelitae ab hostibus, et castra haberent munitiora. Erant quoque illae tribus primariae, in quas duplex illud jus primogeniturae Rubenis, principatus ac duplae portionis, erat translatum, 1 Chron. V: 1, 2. Videtur autem a Calebo initium ejus rei factum, dein mox a tribu Juda idem postulatum, et ad ejus exemplum a tribubus Josephi, inter quas et Judae perpetua fuit aemulatio, quae deinceps saepe sese exseruit. Ceterum, occupatione illa terrarum anticipata a duabus tribubus facta, castra, quae tunc erant in Gilgale adhuc c. XIV: 6., brevi post mota videntur, et translata in *Siluntem*, ubi tabernaculum est erectum c. XVIII: 1. quod factum videtur ante *primam* legitimam divisionem, c. XIII. memoratam. Etsi enim loci nulla fiat expressa mentio

c. XIII., alio tamen in loco tunc fuisse castra, colligi potest ex c. XIV: 6. quia ibi *Gilgalis* fit expressa mentio; argumento, petitionem illam a Calebo et Juda, sicut alio tempore, ita alio in loco, cum castra adhuc essent in Gilgale, contigisse. Accedit, c. XVIII: 1. indicari, castra jam antea fuisse in Siluntem translata, cum solius convocationis populi ibi fiat mentio: sensus versus istius est, totum coetum fuisse in unum coactum *Silunte*, ubi tabernaculum posuerant, terra quaquaversum subacta.

§. CCCIII. Post anticipatam illam occupationem a duabus tribubus factam, et castra in medio illarum in Silunte posita, bellum ulterius persecuti sunt Israelitae, donec nulli restarent hostes, qui bellum movebant, aut haereditatibus adeundis obicem ponere poterant, quando ad divisionem terrae jussu Dei perrexerunt: sed quod non nisi sub finem vitae Josuae accidit, uti ex c. XIII: 1. colligitur. Sed et confirmatur ex dimissione tribuum Trans-jordanensium, mox post terrae divisionem et occupationem a tribubus factam, paulo ante mortem Josuae, ea enim, quae c. XXII: 7—34. narrantur, post eam contigerunt.

§. CCCIV. De modo divisionis paucis absolvere potero; 1. *Prima* divisio ad tribus Trans-jordan. pertinet, qua terrae, ipsis a Mose datae, confirmatae sunt cap. XIII. 2. *Secunda*, ad duas tribus Judae et Josephi spectans, eodem modo facta est, c. XIV—XVII. quatenus anticipata regionum occupatio, ab iis facta, corroborata est, et limitibus suis circumscripta. Sortitioni itaque, ut facile adparet, nullus ibi locus fuit, nec ea legitur instituta, nisi 7 tribuum reliquarum respectu. Occurrit quidem c. XVI. et XVII. nomen גורל *sortis*, sed cujus ibi latior est significatio, qua portionem divinitus adsignatam, quocunque etiam modo, denotat. 3. *Tertia* denique *sortitionem*, proprie dictam, comprehendit, qua *septem* reliquae tribus creverunt haereditatem. Quae sortitio qua ratione fuerit facta facile intelligitur, nec moras injicit. Illud unum notari meretur, Josuam distributionem in 7 partes, a metatoribus eum

in

[redacted]

in finem in eas terras missis, uti traditur c. XVIII. factam, mutasse aliquatenus, cum eas nimis exiguas esse, quam ut tribubus, quae restabant, sufficerent, observasset; id quod ex trium tribuum, Benjaminis, Simeonis et Danis possessionibus colligi videtur. Benjaminis enim haereditas divisit vel coarctavit limites Ephraimi et Judae. Simeon vero et Dan in ipsa sorte Judae sedes acceperunt. Metatores autem terras, a Juda jam possessas, non adierunt, sed septentrionem versus profecti sunt ad eas terras, quae nondum occupatae erant. *Sortitio* ipsa hoc modo videtur facta, ut, duabus positis urnis, in *unam* portiones terrae, in *alteram* nomina tribuum fuerint conjecta.

§. CCCV. Ceterum, hanc divisionem ultimam, *sortitione* factam, non mox cum *secunda*, sed aliquandiu vel paulo post fuisse institutam, ex cap. XVIII. init. manifestum est, cum Josua ibi dicat, *quousque torpescetis* etc. Quae phrasis aliquod temporis spatium intercessisse quidem indicat, nec tamen semper longum absolute sumtum, sed relative, respectu rei, de qua agitur; uti hoc loco. Ratio vero interruptae divisionis fuit penes reliquas tribus septem, sive ipsis aegre fuerit, quod tam amplae possessiones, eaeque in media ac optima Canaanaeae parte, duabus illis tribubus fuerint adsignatae prae reliquis, sive conjunctas manere, quam a se invicem separari, satius et tutius duxerint, cum, ut Tabernaculo et castris in Silunte propiores essent, tum, ne novo bello cum hostibus, qui adhuc multi supererant, praecipue in parte septentrionali, implicarentur. Quam utramque rationem Josua indicat, *priorem* indirectius c. XVIII: 5. ubi tribus Judae et Josephi in possessionibus suis declarat mansuras; quo non fuisset opus, nisi lites hac super re fuissent motae: *posteriorem* directius, cum dicit, *quousque torpescetis*, et animo et manibus flaccidi ac remissi: quod utrumque denotat verbum רפה, cujus proprietas est in re flaccida, succo et vigore destituta; unde et ad animum, et ad manus remissiores transfertur.

§. CCCVI. Ceterum cum haec partitio in *Silunte* fuerit facta, Tabernaculum quoque diu fixam habuerit sedem, locus

et alio nomine fuerit ſatis celebris; de ejus nomine, ſitu et indole, non abs re fuerit, quaedam dixiſſe. Adpellatur שלה *Silo*, hic et Jud. XXI: 12. ſed שלו ib. verſ. 19. et Jer. XLI: 5. LXX σαλωμ vel σηλημ pro σηλωμ, vel σιλω, ut noſtro loco, Joſeph. habet σιλω et σιλουν. Nomen videtur accepiſſe partim a ſitus amoenitate, apud Joſ. Ant. V: 1. celebrata, partim a tranquillitate ac ſecuritate, qua populus, quum hic caſtra metatus eſt, gaudere coepit, ſimul ſe otio dedit, de terrae diviſione minus ſolicitus, Joſ. XVIII: 3. Radix שלה proprie *defaecatum* et *liquidum* eſſe denotat, inſtar butyri, unde tranquillitatis, et dein ſecuritatis notio facile fluxit. *Situs* ejus ex Jud. XXI: 19. clare ſatis conſtat. Medius enim ibi ponitur inter Bethel et Sichem, a Septentrione et Auſtro, ad viam, quae a Bethel ducit Sichemum, et quidem ad *ortum* ejus *viae;* et non ad *ortum ſolis* reſpectu Bethelis, ut vulgo accipi ſolet. Voces enim *ab ortu ſolis*, non cum antecedentibus cohaerent, ſed ſequente voce למסלה *viae;* uti ex conſtructione hoc verſu obſervata patet. Habet itaque Silo Bethelem ab Auſtro, et Sichemum a Septentrione, inter utrumque media, juxta *viam* Bethele Sichemum, quae ad occaſum Siluntis tranſit. Diſtabat Sichemo 12 milliar. ſecundum Euſeb., 10 ſecundum Hieron., Hieroſolyma vero tribus fere horis. Sita fuit in monte alto, quo nullus erat in vicinia editior, adeoque in tutiſſimo, ſimul amoeniſſimo, teſte Joſeph *l. c.* praeterea in media fere Cananaea: quod forte innuitur phraſi *in terra Canaan* Joſ. XXI: 2. XXII: 9. Jud. XXI: 12. pro in *media* terra, in terra Canaan, ſumma emphaſi: quid enim ceteroquin id expreſſe addidiſſe adtinebat? ſita denique, quod per ſe liquet, in ditione Ephraimitica: quare, ſede Tabernaculi inde deinceps ablata, Deus dicitur *tentorium Joſephi* deſeruiſſe Pſ. LXXVIII: 66. Ex quibus omnibus non eſt obſcurum, quare *Siluntem* pro ſede ſua Deus elegiſſe dicatur Jer. VII: 12. Erat enim in tribu Ephraim, unde erat Joſua, in media terra, ad quam undiquaque confluere facile poterant Iſraelitae; praeterea inter duas primarias et potentiſſimas

mas tribus Joſephi et Judae, in tractu ſimul tutiſſimó, ſimul amoeniſſimo. Manſit ibi quam diutiſſime, ut ex hiſtoria Samuelis, cujus tempore ibi adhuc erat, patet, ſed poſtea ob vitia et ſcelera populi inde eſt ſedes Dei ablata, ac Hieroſolymam tranſlata, in tribu Juda, penes quam tunc principatus erat.

§. CCCVII. De poſſeſſionibus ſingularum tribuum, earumque limitibus, antequam agam, de terra Cananaea, ſeu *promiſſa*, ejuſque terminis ac indole, nonnulla praemittam. Circumſcripta fuit Libano, vel proprie Anti-libano, monte a ſeptentrione, fluvio Jordane ab ortu, fluvio, ſic dicto, AEgypti, a Meridie, denique ab occaſu mari mediterraneo. De quibus limitibus nonnulla ſunt adcuratius exponenda. 1. Quoad *ſeptentrionalem* terminum, notandum eſt, eum nonnullis in locis poni *Euphratem*, uti Gen. XV: 18. Exod. XXIII: 33. Joſ. I: 4. (non enim, quod multi putant, pro orientali, ſed ſeptentrionali limite illis in locis occurrit: quod probe obſervandum) non acſi terra *promiſſa*, proprie dicta, *ſe eouſque* extendat, quippe Anti-libano terminari ſolita, ſed quod dominium et principatus populi eouſque aliquando ſe porrigeret, ſicut tempore Davidis et Salomonis factum eſſe conſtat.

§. CCCVIII. 2. Terminum orientalem eſſe *Jordanem*, adeoque regiones trans-jordanenſes, a duabus tribubus, Ruben et Gad, ac dimidia Manaſſis occupatas, ad terram promiſſam non pertinere, ſecus ac nonnulli opinantur, Maſius ad Joſ. XII. quoque diſputat, ſequentes evincunt rationes. *a*. Jordanes tanquam terminus ipſis verbis occurrit, Num. XXXIV: 11. et Ezech. XLVII: 18. *b*. Moſes, cui terram promiſſam adire fuit a Deo interdictum, Num. XX: 24. et alibi, in tractu trans-jordanenſi fuit, ubi in monte Nebo mortuus eſt, et unde terram promiſſam oculis uſurpaſſe traditur. Deut. XXXIV. *c*. Denique cum Moſes legatos ad Sichonem, illius tractus regem, miſerit, pacem efferentes, et liberum tantum tranſitum petentes ad terram promiſſam, Deut. II: 26. clare ſatis indicat, ſe terras illas occupare in animo non habuiſſe,

adeoque eas ad terram, Israeli adsignatam, non pertinere. Plura necesse non est addere; objectionem, ab Euphrate termino Cananaeae sumtam, jam occupavi. 3. Moras quoque non injiciet quaestio de termino australi, *fluvio AEgypti* adpellato, sitne *Nilus*, seu extremum ejus ostium, quae vulgatior est opinio, a Cl. Millio defensa, an torrens נחל, prope Rhinocoruram, in mare Mediterraneum se exonerans, olim *Arisch* dictus; uti pluribus demonstrare conatus est Cl. Iken in Dissert. de *finibus terrae promissae* etc. cum tanti non sit, et in utramque partem disputari possit. Posterior sententia quidem videtur probabilior, nec tamen ab omni difficultate est libera: ex. gr. 1. quod remote nimis et inproprie *torrens AEgypti* nuncupetur, cum AEgyptus sese ultra Nili ostia non extendat, et hic torrens *tridui* fere spatio inde distet. 2. *Sichor* alibi, uti Jes. XXIII. manifeste sit Nilus. 3. Euphrates et Nilus sibi rectius opponantur, quam hic obscurus torrens; maxime cum tanquam remotissimi termini occurrant. 4. Occidentalis terminus fuit, ut constat, mare Mediterraneum, nemini non notissimum, eximie etiam ים *mare*, vel גדול *magnum mare*, dictum; unde est quod vox ים *mare* pro *occidente* saepe usurpetur: adpellatur etiam *posterius*, seu occidentale, sicut Sodomaeum *anterius*, qua orientale. Deut: XI: 24. Joel II: 20. Zach. XIV: 6.

§. CCCIX. Terra Cananaea, ut ejus aliquam, sed generalem, dem notitiam, non fuit adeo magna, attamen commode sita, in meditullio quasi terrae, populariter loquendo. *Longitudinem* scilicet a Dan ad Bersaben fuisse 160 milliar. Roman. tradit Hieron., sed 156 ex intervallis locorum patet. *Latitudo* a Joppe ad Bethlehem tantum est 46 milliar. seu hor. 16. Vid. Reland. l. II. c. 5. Fuisse in umbilico orbis habitabilis, olim fuit creditum, nec sine ratione, si res in genere et populariter consideretur. Unde patet, eam commodissime fuisse sitam relate ad Ecclesiam, inde per omnia spatia terrae facile quaquaversum disseminandam. Tractus medius, a septentrione ad austrum, fuit totus montosus, licet campis hic

illic

illic interstinctus, quorum celeberrimus est *Megiddo*, ad radices montis Hermon, circa quem oritur fluvius Kison, celeberrimus praeliis ibi saepe habitis, in primis Josiae cum rege AEgypti. Ad mare mediterr. et Jordanem celebres sunt campi et planities. Fuit quoque variis fluviis et fontibus irrigua Cananaea, nec *thermae* defuerunt, inter quas celebriores Tiberiadis, Gadarorum, et Calirhoës. Terram olim, cum habitata est et bene culta, fuisse optimam et fertilissimam, olei, mellis, vini, et frugum, abundantissimam, Script. ubique testatur et celebrat; alii scriptores confirmant; cui sterilitas dein secuta, cum desolata est et inculta, non obstat. De quo ex professo egit, praeter Relandum, Iken in Diss. ad Mal. IV: 6. et Elsner in hist. Academ. regiae Berolin. tom. I. Tantum steriliores fuerunt aliqui prope Hierosolymam montes. Denique ad Cananaeae qualitatem etiam pertinet, *pluviae*, unde, et non sicut AEgyptus a fluvio, irrigatur et foecunda redditur, fuisse stata tempora, autumno et vere; pluvia autumnalis יורה *prima*, verna, et serotina מלקוש adpellata in Script. S.: sed mens. Jun. fin., et Jul., se nunquam, utique in Judaea, vidisse pluviam, testatur Hieron. ad Amos IV. ubi addit, in locis, ubi degit, praeter parvos fontes, omnes cisternarum aquas fuisse, adeoque sitim magis quam famen semper metuendam esse.

§. CCCX. Singularum tribuum possessiones nunc quidem forent cum earum limitibus recensendae: sed cum Geographiam hic non tractem, nec nimias ausim nectere moras, ad commentatores Josuae, et Cl. Relandum in Palaest., aliosque, qui hic illic aliquid lucis adtulerunt, sicut in comment. ad Gen. XLIX. quoque feci, hujus rei curiosum ablegasse, et, nonnulla secundum ductum libri Josuae, simul ad ejus intellectum, dedisse observata, suffecerit. Ditiones duarum tribuum Rubenis et Gadis, ac dimidiae Manassis, in tractu Trans-jordan., quarum prima regnum Sichonis, et reliquae Gogi acceperunt, de quibus supra exposui, et in comment. ad Gen. XLIX. §. CLXVI. etc. distinctius de limitibus Gaditarum, quae hic non repetam, postquam recensuisset autor libri Jos. c. XIII: 15—fin. ad limites et

urbes duarum tribuum Judae et Ephraimi, ac dimidiae Manassis transit cap. XV—XVII. Ad cap. XV., ubi limites et urbes Judae memorantur, illustrandum, unum alterumve tantum habeo observandum. 1. In pericopa v. 21—32. quae urbium in parte ejus australi continet catalogum, illud singulare est, quod summa urbium v. 32. minor sit recensitarum numero. Urbes enim, si, quot nomina, tot sint, numerantur 38 vel 39, et summa tantum dicitur esse 29. Sed huic difficultati facile occurritur statuendo, singulas voces non semper urbes denotare diversas, sed unius aliquando esse urbis. Sic ex. gr. v. 25. חצור חדתה est una urbs *Chatzor nova*, et v. 23. חצור ויתנן forte est *Chatzor vetus*, si יתן sit pro ישן, quae litterae sunt permutabiles; quod ex LXX firmatur, qui pro una urbe habuerunt. Quod idem statuendum est de חצר גדה *Chatzar Gada* v. 27, et de חצר שועל v. 28. forte etiam de בעלה ועיים v. 29. vid. c. XIX: 3. et 1 Chron. IV: 28. Nec improbabile mihi videtur, pro ביותיה v. 28. leg. בנותיה *filias ejus*, ut est v. 47. uti LXX legerunt, vertentes αἱ κῶμαι αὐτῶν *vicus*. 2. Nec alia ratione rectius eadem tollitur differentia in pericopa v. 33—36. inter nomina urbium, quae 15 sunt, et summam, quae est 14 tantum. Nomina enim צנים עין et תפוח, videntur unius esse urbis; uti in tribu Ephraim occurrit עין תפוח Jos. XVII: 7. Illud denique 3. singulare est, quod inter urbes Eltekan et Kirjat-jearim, v. 59 et 60. undecim urbes inserantur in Graeca versione, inter quas *Bethlehem* est, quarum in textu Hebraeo nulla fit mentio. Sitne lectio Graec. genuina, et unde defectus textus Hebr. fuerit ortus, me latet, nec conjecturis indulgere licet. Ceterum, ad indolem terrae Judae non inutile fuerit verbo observasse, eam minime sterilem, contra fertilem fuisse, in specie viniferam; de quo exposui ad Gen. XLIX. §. 56.

§. CCCXI. In historia fortis filiorum Josephi c. XVI, XVII. quam fusius descripsi ad Gen. XLIX. §. CCLI. et seq. tres occurrunt partes diversae, etiam, quod observo, ordine temporis distinctae. *Prima* pars c. XVI; 1—3. limites comprehen-

dit;

dit meridionales, secundum primam et anticipatam distributionem, quae septem annis post ingressum in Cananaeam facta est inter tribus Judae et Josephi, ut supra notavi. Quae ratio est, quare nulla fiat limitum septentrionalium mentio, quia nondum erant fixi, nulla quoque distinctarum portionum Ephraimi et Manassis. Limites autem, quos memoravi, a campis Hierichuntis, versus ortum, ducuntur usque ad mare Mediterraneum ab occasu; justo inter tribus Josephi et Judae relicto spatio, quod Benjamini postea cessit. *Secunda* pars adcuratiorem exhibet divisionem, postea institutam, inter posteritatis Josephi duas tribus Manassis et Ephraimi c. XVI: 4— c. XVII: 1—10. In qua pericopa *a*. limites Ephraimi septentrionales, ab ortu ad occasum, et vice versa, ducuntur, qui simul sunt Manassis australes, v. 4—10. et in qua pericopa difficilis reperitur pars, v. 5—8. hac ratione, ut opinor, expedienda, ut v. 5. statuatur, limites Ephraimi describi ab ortu ad occasum, seu a Jordane ad mare Mediterraneum, dein v. 6. eosdem denuo ab occasu ad ortum, seu a mari ad Jordanem; denique, per modum conclusionis, duos ultimos terminos, orientalem et occidentalem, subjungi, v. 8. Quod uberius exsequi non licet.

§. CCCXII. Sequuntur limites australes Manassis, qui erant Ephraimi septentrionales, cap. XVII: 7—10. post parentheticam expositionem partis tribus Manassis, quae has terras occupavit, v. 1—6. quia dimidia tribus Manassis haereditatem ceperat trans Jordanem. Parentheticam autem esse pericopam, et seriem orationis interruptam resumi, vel continuari, v. 7. ex nexu facile elucescit. Quo observato, cuncta recte procedunt. Illud peculiare est in ea pericopa, ut illud obiter observem, quod Manasse expresse adpelletur *primogenitus* Josephi, licet ei fuerit Ephraim praelatus a Jacobo Gen. XLVIII. cujus tituli hic expressi inde forte petenda est ratio, quod una tantum primogeniturae pars, in dominio sita, fuerit in Ephraimum translata, et duae partes haereditatis relictae sint Manassi. Cui conjecturae momentum addit, quod Manassi duplex

contigerit portio, una trans-jordanem, altera cis fluvium; Jacobus quoque Gen. XLVIII: 19. dominium videatur in oculis habuisse; ut ad superiorem periodum in vita Jacobi exposui. In limitum autem Manassis australium, qui Ephraimum a septentrione terminant, enarratione v. 7—10. initium sumitur a loco intermedio inter Jordanem et mare Mediterraneum, unde primum limes ducitur versus Jordanem, et dein versus mare. Ex quo observato cuncta sunt facilia. Locus iste intermedius vocatur *Ascher Michmetatae*, *quae est e regione Sichemi*: quod additur, ut a Michmetata prope mare Mediterraneum, cujus mentio est c. XVI: 6., distinguatur, et situs in medio inter Jordanem et mare definiatur, *Ascherem* autem hic non esse tribum ejus nominis, quippe remotiorem, sed nomen urbis, facile patescit. Hinc limites producuntur versus Jordanem, cum dicitur, *et ivit limes ad Jamin ad incolas Hentapphuach.* Ubi *Jamin* non denotat, quod passim putatur, *dextram*, cujus nullus hic est sensus, sed *loci*, cujus criteria vox habet, licet ejus alibi non reperiatur mentio, quod cum multis aliis locis commune habet, *Entapphuach* vero prope Jordanem est in finibus Manassis; de quo v. 8. Limes quidem Manassis ab ortu nonnullis censetur Issaschar, quia v. 10. Manassitae dicuntur a septentrione ad Ascher, et ab *ortu* ad Issaschar pertigisse; sed illa vox latiorem admittit sensum, et plagam comprehendit orientalem versus Aquilonem, seu inter Aquilonem et Ortum; cum quatuor tantum plagarum nomina habeant Hebraei. Praeterea sensus non est, limitem orientalem Manassis esse Issascharem, sed possessiones ejus sese ad urbes in tribu Issaschar porrexisse, quas occuparunt Manassitae, post absolutam divisionem terrae inter reliquas tribus, ut ex seq. parte pericopae patet. Extendit itaque sese limes Manassis ad Jordanem, ubi erat Tappuah; v. 8. Sed occasum versus limes ab Ascher-Michmetatae descendit ad *vallem Kanam*, et *per eam ad mare*, ita ut ea vallis disterminaverit tribus Manassis et Ephraim; cum illius fuerit limes ad septentrionem vallis, hujus vero ad meridiem, urbes autem

autem ad auſtrum vallis pertinebant ad Ephraimum, ſed in ipſa valle ad Manaſſem, qui ſenſus eſt verſ. 9. ita reddendi; *et deſcendit terminus ad vallem Kanam; urbes vero ad auſtrum vallis erant Ephraimi; in medio*, ſcilicet vallis, *erant urbes Manaſſis* etc. voces vero נגבה לנחל ad ſequentia pertinent.

§. CCCXIII. *Tertia* denique pericopae, ad ſortes harum duarum tribuum pertinentis, pars recenſet urbes, quas Manaſſitae, abſoluta diviſione, occuparunt, iis a Joſua, ad eorum querelas de ſorte ſua nimis arcta, adſignatas; cap. XVII: 10. a medio ad finem cap. Urbibus, quae Manaſſi in tribubus Aſcheris et Iſſaſcharis ceſſerunt, memoratis, v. 10—13. ubi nihil admodum occurrit notandum, occaſio, qua limites eorum dilatati ſunt, narratur, v. 14—fin. Querelae, quae anſam illam praebuerunt, Joſephitarum, quod ante omnia obſervo, factae demum ſunt poſtquam tota diſtributio inter omnes tribus jam facta erat; uti cum ex eo patet, quod Aſcheris et Iſſaſcharis ſortes memorentur v. 11. in quibus aliquas acceperunt urbes, tum quod illa diviſio querelas concitaverit; per eam enim, quum, limites ſuos ſeptentrionales eſſe fixos, nec ulterius ampliandos, animadvertiſſent, de ſorte ſua nimis anguſta conqueri coeperunt; quam utique querelarum rationem non habuiſſent, niſi poſtquam limites ſeptentrionales eſſent poſiti, quod tempore diviſionis inter reliquas tribus demum factum eſt. Materiam querelarum conſtituit haereditas, nimis arctis limitibus circumſcripta, quae inter duas tribus Ephraimi et Manaſſis diviſa non ſufficiebat, ut eſt v. 14. *Unam mihi dediſti ſortem*, inquit tribus Joſephi, *cum ego ſim populus copioſus*, ex duabus etiam tribubus conſtans, *propterea quod* (עד אשר enim exſtat ibi pro על אשר) *uſque adeo mihi benedixit Jehova.* Agnovit quoque querelarum juſtitiam Joſua, ipſiſque viam monſtravit limites per Pherezitarum ac Raphaeorum montes et valles extendendi; quippe quos populos nulla tribus facilius ipſis expellere poterat; quorum terrae itaque ipſis pro hac opera praeſtita concedi poſſent, jure merito. Sita ergo fuit ratio in difficultate eas terras occupandi; quam quidem non exprimit

mit Josua, sed tacite innuit, et Josephitae satis perceperunt, ut ex responso patet, quo conditionem se acceptare declarant. Difficultatem enim montanum et valles occupandi non movent, ut alias petant terras, sed ut, conditionem sibi placere, eaque ratione se justo titulo terras possidere velle, significarent. Quod ex Josuae responso ulterius confirmatur. Ipse enim justitiam querelarum eorum agnoscit, et jus in eas regiones eo modo acquirendum ipsis adjudicat. Hac ratione censeo pericopam esse expediendam. Ceterum *currus ferrei*, quorum hic prima fit mentio, fuerintne *ferro* tantum tecti, ne securibus secari possent, an *falcati*, ut adpellantur, *falcibus* ex axe et rotis prominentibus instructi, de quo disputatur, hic non est inquirendi locus: licet prius videatur verius, cum curruum et equorum simpliciter soleat fieri mentio, ubi hostium terribilitas describitur, et de falcatorum usu tam antiquo nihil constet; contrarium potius ex Homero.

§. CCCXIV. Sors Benjaminis, c. XVIII: 11—28. descripta, quam prolixius exposui ad Gen. XLIX. §. CCLXVII, et seq., num sese ab occasu porrexerit ad mare magnum, an tantum ad *Betchoron* inferiorem a septentrione, et *Kirjatjearim* ab austro? disputatur, et passim statuitur posterius, maxime fide v. 14. sed Jos. Ant. V: 1. a Jordane ad mare in longum protendi, diserte tradit: quod Ez. XLVIII: 23. quoque dicitur. Majoris adhuc est, quod in hac ipsa pericopa sese haud spernendae offerant rationes, quae ad mare protensos fuisse limites evincunt. Ne dicam portionem Benjaminis poni inter Josephitas et Judam mediam, v. 11. sine ulla limitatione, adeoque aeque longe protensam, 1. Terminus v. 12. legitur *Hierichunte progredi* per *montem ad mare*, *ubi exitus ejus sunt:* sic enim verba sunt vertenda et capienda, secus ac solent. Vox enim ימה non significat in hisce locorum descriptionibus *occasum*, sed *mare*, et phrasis, *exitus ejus sunt*, ad mare refertur in descriptione limitum Ephraimi australium, qui sunt Benjaminis septentrionales, cap. XVI: 3, 6. Servanda quoque est lectio textualis, וְהָיָה *et fuit*, scilicet *ma-*

re,

re, quae vox praecesserat et repetenda est, *exitus* ejus. Ultimae denique voces, *ad desertum Betaven*, quae Interpretes turbarunt, progressum limitis, in genere modo definiti, adcuratius incipiunt ducere, acsi legeretur, *adscendit limes ad montanum usque ad mare, ubi exitus ejus sunt*, hac scilicet ratione, ad desertum Betaven, inde Lazam etc. 2. Idem ex v. 14. colligi potest, modo recte vertatur et capiatur hac ratione: *et flectit terminus et circumit angulum maris* (vox enim ים mare mediterraneum, ut modo notavi, denotat) *versus austrum* a *monte e regione Betchoronis ad austrum* (*et fuit exitus ejus*, scilicet *mare*: voces enim illae hic locum non habent nisi parentheticum, quae eo tendunt, ut lateris maritimi terminum ad mare cognosceremus) *usque ad Kirjat-baal, quae est Kirjat-jearim, urbs filiarum Judae: hic est angulus maris* h. e. terminus tractum maritimum cingens, et ambiens, qui sese a Betchoron circa hunc tractum porrigit ad Kirjat-jearim versus austrum. Betchoron itaque et Kirjat-jearim hic memorantur, tanquam quibus terminus hujus tractus maritimi definitur ab ortu, ita ut alter sit versus septentrionem, alter versus austrum. 3. Denique idem clarissime ex v. 15. demonstratur; modo rectius, quam solet, capiatur. Verba sunt; *et angulus australis ab extremitate Kirjat-jearim, et exiit terminus ad mare, et exiit ad fontem aquarum Nephtoach*, h. e. partim ad mare, partim ad fontem, adeoque ab occasu ad mare Mediterraneum, ab ortu ad Nephtoach. Terminus itaque australis, a Kirjat-jearim ductus, hic ad mare occasum versus, illic ad Nephetoah ortum versus pergebat. Terminus ergo, quod non est observatum, a Kirjat-jearim non versus unam eandemque plagam, sed diversas occidentalem et orientalem ducitur: ut patet ex voce ים *maris*, quo exire dicitur terminus, adeoque ad occasum, uti Nephtoach erat ad ortum Kirjat-jearimis. Conjuncta per *et* haud raro partitive esse intelligenda, notum est.

§. CCCXV. Sors Simeonis, cap. XIX: 1—9. quae in australem partem Judae incidit versus AEgyptum et Arabiam,

ut Jos. Ant. V: 1. tradit, ubi loco *Judaeam* habet Idumaeam, stylo seculi sui forte usus, nisi vitium sit librarii; cum nihil, nostrae curae relictum, habeat, ad eam Zabulonis, ib. 10—16. pergo, sed paucis defungar, cum fusius de ejus limitibus disseruerim ad Gen. XLIX. §. XCVII. etc. Lateris australis respectu describitur v. 10—13. initio a Jarid facto, indeque limite ducto 1. versus occasum ad mare mediterraneum usque v. 11, 2. versus ortum ad mare Gennezaret v. 12, 13. lateris vero septentrionalis ratione ab ortu ad occasum, v. 14. quando urbes quaedam recensentur, ea in tribu sitae v. 15. sed initio facto, quod observo, a Gejiphtacel v. 14 fin. pertinet enim ad vers. sequentem ea urbs, prava versuum distinctione inde avulsa. Phrasis vero, et *fuerunt exitus ejus*, ad mare magnum referenda est, sive per ellipsin ex superioribus suppleatur vox ימה, sive excidisse statuatur. Praeterea duo mihi suppetunt observata, unum ad terminum ejus *occidentalem*, alterum ad *orientalem*, pertinens. Priorem terminum censeo fuisse mare mediterraneum, contra multorum opinionem, qui sese male in eo fundant, quod Aser et Manasse se invicem adtingant, c. XVII: 10. quia Aser non in Manassen, sed Zabulonem incidere traditur c. XIX: 21. quare statuendum est, vel Manassen aliquas urbes accepisse inter Aseritas, vel potius Aser, c. XVII: 10. non esse tribum, sed urbem, v. 7. memoratam, unde limes Manassis ducitur; quo admisso v. 11, ubi Manassitae in Ascher et Issaschar aliqua habuisse loca traduntur, vox ובאשר *et in Ascher* censenda est ex versu praeced. in textum irrepsisse; cujus indicium in eo est, quod urbes, hic recensitae, omnes fuerint in Issaschar; nec *Dor*, cujus ratio habenda foret, usquam Ascheri tribuatur. Accedit, vers. Syr. vocem eam non agnoscere, fuisse autem terminum occidentalem mare magnum Jos. Ant. V: 1. adserit, et, quod fortius stringit, v. 11. diserte testatur, ubi terminum tetendisse dicitur לימה *ad mare*, scilicet occiduum, *per Marhalam* etc. hic enim sensus est. Cum enim extremum terminum memorasset historicus, mox intermedia recenset loca.

Terminum

Terminum *orientalem* esse mare Genezariticum, nimis est manifestum, quam ut in dubium vocari possit, licet id fecerit Ligtfot. Chorogr. Matth. c. 62 et 71. Rabbinos, duces infidos, secutus, limitem septentrionalem Zabulonis ad oram ejus maris australem tantum pertingere autumans, ita ut totum illud mare fuerit finibus Nephtaliticis inclusum. Joseph. utique l. c. terminos diserte posuit Genazereth et mare magnum; Capernaum quoque, sive, ut vulgata habet opinio, ad oram maris Genezaritici, sive, ut Ligtf., ad mediam oram ejus occidentalem sita, diserte traditur Matth. IV. *in confiniis Zabulon et Nephtali*; adtigit itaque Zabulon oram occidentalem maris. Alia mitto.

§. CCCXVI. Tribus Issascharis sors, alibi jam in comm. ad Gen. XLIX: 57. c. XVII. et seq. respectu limitum et indolis illustrata, media inter Zabulonem a septentrione, et Manassen ab austro, describitur ibid. 17—23. respectu terminorum 1. australis v. 18—21. ubi Jizreel ad austrum primum occupat locum, tanquam limes, et reliquae urbes primariae recensentur. 2. Septentrionalis, v. 22. *et incidit limes in Taborem*, sive montem, sive urbem ad eum, monti cognominem, sicut Carmel et mons est, et urbs in eo. 3. Occidentalis et orientalis, v. 22. his verbis: *et fuerunt exitus, terminus eorum Jordanes:* quorum priora sunt elliptica, et voce *maris* supplenda, uti v. 14. et c. XVIII: 14. quoque observavi: nec est a probabili alienum, excidisse eam vocem post שחציםה, per ultimas ejus nominis litteras absorptam: quod facile non tantum fieri potuit, sed et factum esse ex LXX aliquid roboris acquirit; verterunt enim ἐπὶ Σαλιμ κατὰ θάλασσαν; adeoque legerunt, שחלים et ימה pro שחצימה. Ceterum vocem *exitus* ad mare pertinere, ex eo quoque confirmatur, quod terminus occidentalis ceteroquin plane fuisset omissus; quod non est probabile. Jos. Ant. V: 1. terminos longitudinis et latitudinis eosdem habet, ac qui hic occurrunt, tantum pro occidentali ponit Carmelum, qui hic שחצים Schachazim adpellatur,

§. CCCXVII. Sors tribus Ascher, de qua etiam pluribus exposui ad Gen. XLIX. §. CLXXXVI. etc. tractum inter Nephtali et mare mediterraneum complexa, a Sidone usque ad sinum maris juxta Carmelum, describitur 1. respectu limitum occidentalium a septentrione ad austrum v. 25, 26. ubi notetur, terminum australem statui *Carmelum ad mare*, seu sinum maris inter Acco et Carmelum. Unde liquet, tribum hanc ad Manassen non pertigisse; quod nonnulli putant: de quo supra egi. 2. Limitis australis respectu ab occasu ad ortum, v. 27. ad medium; ubi cum incidere dicitur in Zabulonem, capiendum illud est de termino australi, quo adtingit Zabulonem: quod ex v. 34. firmatur, ubi Nephtali cadere dicitur in Zabulonem ad austrum: fuerunt enim Nephtali et Ascheris iidem limites australes. 3. Respectu terminorum orientalium, ab austro ad septentrionem, et inde flexu facto ad occasum septentrionalem, v. 27. a medio, v. 28. ubi *Tsidon* magna, tanquam ultimus limes memoratur; quam tamen nunquam possederunt. 4. Denique respectu termini occidentalis, a septentrione ad austrum v. 29, 30. Ubi notandum, *exitum* rursus constitui mare, in tractu Aczibae; quo idem Sinus manifeste intelligitur.

§. CCCXVIII. Haereditas Naphtali, de qua egi ad Gen. XLIX. §. CCIX. et seq. v. 32—39. narrata, continet tractum, qui Ascherem habet ab occasu, Jordanem, supra Genezaret, cum aliqua maris istius parte ad ortum, Zabulonem ab austro, et limites Cananaeae a septentrione: uti ex hac pericopa et Josepho constat. Ubi uno alterove defungar observato, 1. vers. 34. ימה non denotat, ut putatur, occasum, sed *mare* versus, scilicet Genezariticum, ubi ab austro incidit in Zabulonem. 2. Quid ultimae voces, *et in Judam ad Jordanem versus ortum solis*, sibi velint, nondum expeditum est, licet varie tentatum: *Juda* nimium distat a Naphtali, et *Juda ad Jordanem*. insolita phrasis est. Mihi nihil melius suppetit, quam ut יהודה *Juda* pro glossa habeatur, sicut LXX quoque omiserunt, vel legatur יאור *fluvius*, ה fin. ex sequen-

te

te voce addita, et י in ד mutato: quod facile fieri potuit, ut א in ה, sed nihil definio. Si vero retinenda sit vox יורדה, haberi debet pro nomine, non tribus Judae, cui hic nullus est locus, sed tractus alicujus Jordanici, aut loci in eo. De quo exposui ad Gen. XLIX §. CCIX.

§. CCCXIX. Sors denique Danitarum, in partem occidentalem tribus Judae incidens, delineatur, qualis tempore Josuae fuit, v. 40—46. sed qualis progressu temporis aucta est, v. 47. Extendit autem sese hoc tempore a Tzorha et Esthaol versus austrum, usque ad Japho, vel Joppe, versus septentrionem. Recensio enim urbium incipit ab austro, et terminatur in septentrione. Jos. Ant. V. Danitis adsignat τῆς κοίλης *vallis quicquid ad occidentem vergit;* ubi κοίλη est Hebr. שפלה Schephela πεδινῆ. Addit quidem, eos *Azoto* et *Doris* terminari, scilicet ab austro et septentrione; sed pro *Dora* δώραις, quippe remotiore, et in tribu Manassis, legi debet, ut Cl. Reland. ad Jos. jam observavit, γαδάροις: Gadara enim et Joppe sunt urbes vicinae. Sequente vero tempore, post obitum Josuae, aliorsum miserunt colonias, et occuparunt *Lasem*, vel Lais, ad fontes Jordanis; Jud. XVIII. de quo postea. Videtur autem illud hic per parenthesin insertum, v. 47. ubi not. phrasis, *et exiit terminus filiorum Dan ex ipsis* h. e. terminus eorum extra has terras alio sese vertit.

§. CCCXX. Subjungitur denique his omnibus portio Josuae ab ipso petita, ipsique a populo, non sine permissu Dei, concessa v. 49, 50. Fuit territorium urbs תמנת-סרח Timnat-Serach, una cum urbe ipsa, a Josua condita, ubi etiam sepultus est, et sepulchrum ejus ad Eusebii usque tempus conservatum, ut ipse in Onom. in Θαμναθσαρα tradit: sita fuit urbs ut Jos. XXIV: 30. habetur, in *monte Ephraim ad septentrionem montis Gaas;* quod idem repetitur Jud. II: 9. ubi Timnat חרס *chares* vocatur, quae a superiore סרח *Serach* non nisi scriptione a sinistra ad dextram differt, quales sunt et aliae plures voces.

§. CCCXXI. Divisione peracta, et singulis tribubus portione

sua adsignata, antequam ad terras suas occupandas sese separarunt Israelitae, urbes sunt jussu Dei selectae, trans et cis Jordanem, utrobique tres, adeoque sex, quae pro asylis essent cap. XX. Fuerunt cis Jordanem, Kadesch in tribu Naphtali, Sichem in montano Ephraim, et Chebron in Judae: trans fluvium Bezer in tribu Rubenis, Ramoth in Gilead. in Gadis, et Golan Basanis in Manassis. Denique urbium, quae ex omnibus tribubus cesserunt Levitis et sacerdotibus, texitur catalogus c. XXI: 1—40. Quod factum videtur, postquam reliquis tribubus suae jam contigissent sortes; cum filii Israel v. 3, eas dedisse legantur, *ex suis haereditatibus*. Acceperunt itaque non distinctas et unitas sortes, sed per omnes dispersas tribus, ut Jacob Gen. XLIX. jam praedixerat, praeterea urbes tantum cum suburbiis, sine agris et pagis, ad urbes pertinentibus, ut ex v. 12. liquet, quod ad reliqua omnia extendendum est; attamen non in usufructum, sed propriam et perpetuam possessionem: ut ex Lev. XXV: 33, 34. patet, quo etiam pertinet discrimen inter Hebronem cum suburbiis, et agrum ejusque vicos. Sed hic non erat silentio involvendus insignis defectus in textu Hebraeo-Masorethico hodierno, quo duo versus ante 36*tum* desiderantur, qui 1 Chron. VI: 63, 64. reperiuntur, et in omnibus MSS. Graecis ac Oriental., etiam aliquibus Chald. ac Latin., imo ipsis nonnullis Hebraeis, reperiuntur; nec deesse hic possunt, 1. enim Meraritis dantur v. 38. urbes *duodecim*; sed sine nostris versibus tantum *octo* sunt. 2. Levitis dicuntur v. 39. datae urbes 48, sed sine 4 urbibus in versibus, qui deficiunt, sunt tantum 44. ne alias memorem rationes, uti quod, cum v. 7. Meraritis dicuntur adsignatae urbes ex tribu Rubenis, aeque ac Zabulonis et Gadis, deficiunt urbes ex Ruben, si versus illi desint. Ceterum cum Masora hos versus respuat, biblia Masorethica nostra non carere naevis, vel hinc manifestum est.

§. CCCXXII. Terra occupata et divisa, hostibus omnibus oppressis, dimissae sunt tribus Trans-jordanenses a Josua, ut terras suas repeterent; cap. XXII: 1—6. Contigisse enim

hanc

hanc dimissionem non ante terram distributam, mox post duo illa supra memorata praelia decretoria, uti nonnulli opinantur, sed post terram divisam, hostibus omnibus debellatis, series narrationis requirit; quae sine ratione solida non est turbanda. Ratio enim, quae ex Num. XXXII: 20—22. petitur, quia Moses praeter hostium subactionem nihil a Trans-jordanensibus requisivit, tanti non est; cum hostes censeri nequeant subjugati, nisi quando terra plane *quiescit*, et Israelitae in possessiones suas dimissi sunt: quae duo etiam connectuntur Num. XXXII. Sed huic dimissioni subnectitur ab autore libri Josuae, per modum adpendicis et parenthesios, historia consequentium hujus discessus, v. 7—34. quae, mortuo Josua, contigerunt; excepta pericopa v. 7—10; quae res, tempore Josuae factas, comprehendit. Repetitur in ea dimissio illarum tribuum, in specie respectu Manassitarum, v. 7, 8. quia pars illorum cis Jordanem manserat; quod hic distincte narratur, et ad superiorem historiam illustrandam additur; praeterea *altaris* extructio traditur v. 9, 10. quae sequentis casus praebuit occasionem, eo tempore fieri coepta, quo tribus dimissae ad possessiones suas redierunt, adeoque vivo Josua, ut ex v. 10. colligitur; sed ad aures reliquarum tribuum non venit, saltem ad animum non est revocata, nisi aliquanto post, Josua jam e vivis ablato, sive nimis occupatae fuerint tribus in rebus suis ordinandis, sive rem minoris fecerint. Erectum quidem dicitur altare *ad Jordanis limites, in terra Canaanis*, v. 19. (vox גלילים enim fines denotat regionis, a primaria radicis potestate, in *volvendo*, per orbem circumeundo, sita, quod fines circumquaque cingant regionem) sed num cis, an *trans* Jordanem, non distincte traditur. Videtur vero in ripa ejus orientali erecta ara, secus ac alii putant, 1. quia v. 11. altare distincte dicitur fuisse e *regione terrae Cananaeae ad trans fluvium Israelis*; non itaque in ipsa Cananaea, et interiore fluvii ripa. 2. Cis-jordanenses putare non potuissent altare *cultus* gratia fuisse conditum, ad terram trans-jordanensem sanctificandam, ut putarunt v. 19, si in ipsa Cananaea fuisset: innuunt utique id eorum verba,

si inmunda est terra possessionis vestrae etc. scilicet, ut ad eam sanctificandam censeatis opus esse altari, ad eam reddendam puram; quod mox clarius elucescit, ubi dicunt, licere ipsis ad se venire, ubi Tabernaculum Dei est, per quod terra Cananaea fuit sanctificata etc.: 3. Denique scopus Trans-jordanensium requirebat, ut in sua terra sedem habeat altare. Erat enim, ut sortis suae in cultu et foedere Jehovae esset perpetuum monumentum, v. 24. fin. et 34. Quem adsequi non poterant, si extra regionis suae fines fuisset in ipsa Cananaea. Dubium enim semper mansisset, pertineretne altare ad Trans-jordan.? Debebat ergo in ipsorum terra exstare, ut manifestum semper maneret Trans-jord. ad idem altare Jehovae pertinere, quippe cui simile erat altare suum, a majoribus eo fini erectum.

§. CCCXXIII. Historia belli inde orituri, sed per legationem ad Trans-jord., eorumque responsum, prohibiti v. 11— fin. non Josua vivo, sed jam defuncto, contigit, adeoque adpendicis instar ab autore libri subjuncta est. Praeterquam quod praefatio, quae dimissiones tribuum earum, et benedictionis *repetitionem* continet, v. 7, 8. illud arguat, 1. indicia ἀναρχίας Anarchiae hic occurrunt haud obscura, quod Josuae nulla fiat mentio, et filii Israelis, audito facinore reliquarum tribuum trans Jordanem, congregati fuerint Siluntem, ut fratribus inferant bellum. Quod historiae belli Benjaminitici, quo tempore rex non erat, plane convenit. 2. Pinehas, filius Eleazaris, cum Pontifex fuerit, v. 30. et missus sit legatus a tribubus Cis-jordan. v. 13., manifestum videtur, mortuum jam fuisse Eleazarum, una cum Josua c. XXIV: 53. Denique 3. decem principes cum Pinehaso, pro numero tot tribuum cis Jordanem, non fuissent, ut videtur, missi, si Josua superfuisset. Ipsa narratio cum nostram non requirat operam, exposuisse suffecerit rationem moventem, quae Israelitas primum ad bellum compulit, dein avertit. *Prior* fuit ex suspicione altaris, causa cultus erecti, nata, et sita fuit in metu irae Dei in populum propterea accendendae, ac studio legem

Dei

Dei fartam tectam conservandi inter fratres, quos verebantur ad idololatriam defecturos esse. Quo pertinent exempla, ab ipsis producta, unum idololatriae cum Baal-Peor in deserto, alterum commissi Achanis in Cananaea: quorum *posterius* ad casum praesentem directe spectabat, quia altaris, causa cultus, erectio erat aperta legis et foederis Dei transgressio, cum unum debeat esse altare in loco, quem Deus elegerit, *prius* praeterea metum Israelitarum indicabat, ne fratres ad idololatriam deficerent.

§. CCCXXIV. Quod vero ad alteram rationem moventem, quae bellum inpedivit, adtinet, a proposito discesserunt, cum de scopo fratrum essent certiores facti; eos scilicet non religionis, sed signi et testimonii causa in usum posterorum erexisse altare; ut traditur v. 21—24. Declararunt Trans-jordanenses 1. se Jehovam pro vero Deo, eoque solo colendo secundum praescriptum ejus, habere, et habituros esse in posterum, v. 22. his notabilibus verbis, bis, majoris adseverationis ergo, prolatis, *Deus*, *Deus Jehova*, uti vertenda sunt, et non *Deus Deorum* Jehova, primum enim nomen אל non occurrit in statu constructo. Sensus est, Jehovam, Deum Israelis, esse solum verum Deum, cui nomina divina, quae verum Deum characterizant, unice competunt. Quam emphasin habent haec tria nomina conjuncta: quod ex tota pericopa, in primis v. 34. facile elucescit. Nomina אל et אלהים sunt veri Dei tituli, et יהוה *Jehova* est nomen proprium Dei Israelis. Praeterea 2. significant, hunc suum esse scopum, ut haec sua fides et professio ad omnem perveniat posteritatem, eoque fini se hoc monumentum adpellare *Jehova Deus*, v. 34. ad exemplum Mosis, qui, devictis Amalekitis, construxit altare, cum inscriptione, *Jehova vexillum meum* Ex. XVII: 15. Denique 3. testificantur, se ad id fuisse compulsos, ut sequentium temporum Israelitarum contentionibus obviam irent, si forte Trans-jordanensibus litem moveant de eorum in foedere Dei sorte, quia portionem non habent in terra promissa; eumque in finem se altare erexisse in testimonium, ex quo patescat,

unius Dei et cultus vinculo, Patres eorum semper fuisse devinctos. Quod utrumque, et fidem et testimonium hoc, exhibet versus 34. *Rubenitae* ac *Gaditae adpellarunt altare, quia testis inter nos, quia Jehova Deus*, h. e. adpellarunt altare, *Jehova Deus*, ut testis sit inter nos Jehovam esse Deum. Nomen Jehovae in primo membro non est expressum, quia ex seq. facile suppleri poterat.

§. CCCXXV. Trans-jordanensibus oratione valedictoria dimissis, ut filum historiae, per superiorem narrationem parentheticam abruptum, pertexatur, subjungitur, ex nova schedula, oratio similis, a Josua ad Cis-jordanenses, ante eorum dimissionem ad terras suas cernendas, habita in Silunte, qua eos a commercio cum populis in Cananaea residuis dehortatur, et ad legem Mosis adcurate observandam excitat, promisso Dei auxilio in populis illis superandis et exterminandis: cap. XXIII: Novae schedulae, ex qua haec narratio excerpta est, indicium offert praefatio v. 1. qua alias opus non fuisset, nec ei commodus locus. Habitam fuisse in Silo, ubi tunc erat Josua cum populo, et terra divisa est, vel inde constare videtur, quod *loci* nulla fit mentio, secus ac sequentis concionis c. XXIV: 1. cui *Sichem* expresse adsignatur; argumento, eodem loco fuisse habitum sermonem, in quo tunc erat Israel. Ad Cis-jordanenses vero eam pertinere, ex v. 4. videtur colligi posse, quippe qui iis unice convenit, ut facile cernitur. Sicut itaque apta oratione dimiserat modo Trans-jordan. ita nunc quoque Cis-jord. Denique de tempore cujus memini clare constat ex v. 1. his verbis: *et factum est post dies multos postquam Deus Israeli ab omnibus hostibus circumquaque quietem dedisset, et Josua summam adtigisset senectutem.* Quae ad proxime praecedentia referri non debent, ut ad primam speciem videri posset, acsi diu post divisam terram, et dimissos Trans jordan, hoc accidisset, sed ad totum occupatae ac divisae terrae tempus, ita ut novae schedulae sit generalis praefatio; uti ex cap. XI: 18. et XIII: 1. quoque liquet. Sensus ergo est, paulo post divisionem terrae absolutam concionem

em esse habitam, post multorum annorum bellum cum Cananaeis et quietem jam adductam, post terram modo divisam, cum Josua esset a morte proximus.

§. CCCXXVI. Praeter hanc concionem habuit Josua adhuc aliam jam jam moriturus, ad seniores et judices expresse convocatos ex omnibus tribubus Israelis, sed alio in loco, non Silunte, verum Sichemo coram Jehova, qua, recensitis beneficiis in populum, et antiquis temporibus et nunc collatis, populo liberam concedit electionem objecti cultus, et cum Jehovam elegisset, eum de adcurato eum solum colendi modo admonet; in quem cum populus consensisset, foedus nomine Dei solenniter pangit, ac in ejus perpetuum monumentum erigit magnum lapidem sub quercu, cap. XXIV. Quam concionem antequam uno alterove illustrem observato, de ejus loco et tempore aliquid monendum est. Cum *Sichem* diserte adpelletur locus v. 1 et 25. mirari subit, de Silunte fuisse a nonnullis cogitatum, qui vel lectionem putant vitiatam, vel *Sichemi* nomen hic ferre Silo, quod sit in agro Sichemitico. Quod utrumque absonum est. Silo et Sichem nimium distant, nec ferendus sermo, quo, loco Siluntis, Sichem ponitur. LXX quidem habent Σηλω *Silo*, sed Ald. et Compl. editio Σιχεμ *Sichem*, ut et Jos. Ant. v. 1. nec non Chald. et Syr. Fundatur quidem opinio de Silunte in phrasi *coram Jehova* v. 1, et quercu, juxta quam lapis est erectus juxta *sanctuarium Jehovae*, v. 26. Sed phrasis *coram Jehova* non necessario involvit Tabernaculum et arcam, cum in genere praesentiam Jehovae exprimat, uti Jud. XI: 11. et hic eo majore jure usurpatur haec phrasis, quod Josua Deum introducat loquentem, et foedus cum Deo fuerit pactum, ac monumentum erectum. Praeterea quercus cum sanctuario Jehovae construi non debet: uti mox observabo. Ceterum *Sichemum* videtur elegisse Josua, cum, quod Patriarchae ibi fuerint sepulti, et ossa quoque Josephi hoc tempore ibi reposita, v. 32. tum, foedus Moabiticum in montibus Ebal et Garizim solenniter pactum; ut supra habuimus: erat autem hoc montanum prope Sichemum. De

tempore nihil certi habeo, nisi paulo ante mortem illud factum esse, ut ex v. 29. colligitur, paulo post superiorem concionem ad Cis-jordanenses dimissoriam, cui mox subjungitur, forte etiam antequam Israel penitus esset ad haereditates suas dimissus, ex v. 28. de quo tamen nihil adfirmaverim, cum ad *congregationem* populi v. 1. respici possit.

§. CCCXXVII. Ubi Josua ad populi declarationem, se Jehovam pro Deo suo habere et colere velle, regerit v. 19, ut unum alterumque concionis locum aliqua luce perfundam, *non potestis Jehovae servire*, suppleri debet, nisi ipsi soli serviatis, et diis peregrinis renuncietis; ut ex seq. manifestum est; adeo ut sensus sit, Jehovae non esse peregrinos Deos adjungendos, sed eum solum esse colendum: plena fuisset oratio, si haberetur, *non potestis Jehovae* et *diis peregrinis servire*; quia Deus sanctus est, nec ferre potest aemulum. Deinde, postquam Josua populo ob oculos posuisset mala, quae, si peregrinos Deos adsciverit, ipsi evenirent, ubi populus v. 21. respondet, *non, quia Jehovae serviemus*, significatum vult, tale quid non futurum, nec sese illis minis absterreri a Jehova colendo, quia Jehovae soli servire propositum habebat. Vocula לא *non* ad minas superiores respicit, easque non habituras effectum, nec se per eas a Jehova colendo abstrahi posse, significat. Posset etiam verti, ut saepe alias, *nihil*, hoc sensu: *nihil* est, quod nobis objicis, nec nos deterrere potest, *quia Jehovae soli serviemus*.

§. CCCXXVIII. Alterum observatum, ad v. 26. spectat, habetque, ultimas voces, *qui est in sanctuario Jehovae*, recte cum *libro legis* Jehovae construi posse, ita ut sensus sit, Josuam foederis pactionem inscripsisse libro legis, qui repositus est in sanctuario Jehovae, adeoque addidisse libro Mosis, seu Deuteronomio. Sic Gen. XIII: 10. ultimae voces, *qua Tsoaram itur*, non ad proxime praecedentia, seu AEgyptum, sed ad remotiora, seu planitiem Jordanis, refertur. Qualia exempla plura sunt. Quod si alicui nimis durum videatur, verba ultima statui possunt transposita, et *libro legis* subjicienda. Sed possent

quoque

quoque cum *lapide* connecti, adeo ut sensus sit, *lapidem* illum, a Josua eo in loco positum, postea fuisse ad sanctuarium Jehovae translatum, tanquam *lapidem positionis*, qui deinceps *arcae* fundamentum fuit, donec in Templo secundo, arca deficiente, ejus locum suppleverit, secundum traditionem Judaicam: quo digitus censeri posset intendi Zach. III: 9, 10. Quicquid sit, illud mihi certum videtur, *quercum* juxta sanctuarium Jehovae statui non posse fuisse, contra disertam legem Deut. XVI: 21.

§. CCCXXIX. Duratio totius intervalli, ab ingressu in Cananaeam ad mortem Josuae usque, de qua unice restat dicendum, cum nusquam in script. S. tradatur, consulenda est traditio, quam Jos. Ant. V: 11. et Chron. Samarit. conservavit, secundum quam praefecturae Josuae anni 25 dantur. Cui aetas Josuae cum Calebi collata aliquid roboris addit. Obiit ann. 110 natus cap. XXIV: 19. et Jud. II: 8. missus autem est ad terram explorandam cum Calebo anno 2*do* exitus ex AEgypto, quando Caleb habuit annos 40; Josua forte, quippe paulo senior, et Calebo in perfectura praelatus, ann. 47. Addantur anni 38 pro mora in deserto, et 25 pro praefectura; anni vitae Josuae 110 sese facile offerunt.

§. CCCXXX. *Secundo* intervallo, a morte Josuae usque ad interitum totius generationis, quae cum eo in Cananaeam venerat, seu primam servitutem, quo Israel sine supremo rectore fuit, et species quaedam anarchiae obtinuit, singulis tribubus res suas disponentibus et agentibus, uti innuitur Jos. XXIV: 31. Jud. II: 7. et ex iis, quae ultimis *libri Judicum* cap. narrantur, confirmatur, quippe quae hoc intervallo accidisse videntur, hac, inquam, periodo temporis, quae ab Israele gesta sunt, eique contigerunt, Jud. I. et initio II*di*, ut et c. XVII. et seq. narrantur. *Prima* libri Judicum pars, cap. I—II: 1—5. singularem continet schedulam, a libro ipso distinctam, et ei praemissam, ab alio etiam autore, ex mea opinione, compositam: cujus ratio non est longe quaerenda. Historia enim mortis Josuae et seniorum, illiusque sepul-

turae, locum cap. II. non invenisset, postquam narrata essent gesta tribuum post mortem Josuae respectu Cananaeorum, maxime cum mortis Josuae mentio jam c. I: 1. fuisset facta. Narratur vero ea in pericopa bellum, post mortem Josuae felicibus auspiciis resumtum a duabus tribubus Judae et Ephraimi, vers. 1—26. dein inobedientia reliquarum tribuum, qua Cananaeos in medio sui superesse siverunt, sive e pigritia, sive timiditate, sive aliis de causis, vers. 27—36. Denique reprehensio Israelitarum ab Angelo facta, cum denunciatione malorum, quae inde orirentur, c. II: 1—5. Ubi ad primam schedulae partem vers. 1—26. in genere observandum est, in ea quae referuntur, non omnia post Josuam esse gesta, nec etiam omnia sub eo, licet alterutrum statuant Interpretes de Hierosolyma occupata, et Cananaeis Hebrone et Kirjath-sepher expulsis vers. 8—15. sed alia vivo, alia mortuo Josua: quae paulo distinctius tradam, secundum ordinem partium capitis I.

§. CCCXXXI. *Prima* pars victoriam continet tribus Judae, opem ferente Simeone, de Cananaeis et Pheresitis in tractu urbis Bezek v. 4—7. post Josuam, ut e serie narrationis, cui nihil obstat, liquet. *Secunda* destructionem Hierosolymae per tribum Judae tradit, vers. 8. hoc etiam tempore factam. Licet enim regem Hierosolymae cum sociis jam antea devicerit Josua, urbem terrasque eorum sibi subjecerit Jos. X. regiones tamen eas tunc non occuparunt Israelitae, aut praesidiis inpositis sibi vindicarunt, quare Cananaei urbem receperunt, et Juda eam nunc demum expugnavit, et combussit. Quod vero Adoni-bezek legatur vers. 7. Hierosolymam abductus, non indicat, eam jam antea tenuisse Judam, ut putant nonnulli, cum eum secum duxerint Judaei, ad urbem oppugnandam se conferentes, quod seriei narrationis rectius respondet. *Tertia* pars de felici expeditione Judae agit in Cananaeos, qui montanum, austrum, et planitiem incolebant, in specie contra Hebronitas et Debiris incolas, v. 9—15. Quod ut cum historia libri Josuae in concordiam redigatur, ... not. antea

quidem

quidem a Josua fuisse urbes illas Hebronem et Debirum occupatas, civibus occisis, ut Jos. X. narratur, sed expeditione transitoria, absque ut tunc retinuerint: quod hoc demum contigit tempore, quo reliquias Cananaeorum, qui loca illa denuo occupaverant, deleverunt. *b*. Enakitae quidem a Calebo antea fuerunt in his locis exstirpati, sed non omnes Cananaei; de illis autem Jos. XI, XIV, XV. sermo fit, sed hic de Cananaeis. Juda quidem hic vers. 10. praecipuos Enakitarum percussisse legitur, sed illud ex praeterita historia repetitur, ut jus Calebi in Hebronem innotesceret, et verba vertenda sunt, non *percusserunt*, sed *ubi* percusserant, ut ex vers. 20. liquet. *c*. Quae de Debiris occupatione per Othnielem, vers. 11. etc. narrantur, hic vero suo occurrunt loco, et Jos. XV: 15. per anticipationem sunt inserta, ansa ex mentione portionis Calebo datae arrepta, idque ex hac ipsa schedula Jud., cum verba exacte respondeant. Imo tota pericopa Jos. XV: 13—19. videtur parenthetica, uti ex nexu et serie orationis colligi potest. Nostro vero loco Jud. nihil occurrit non tantum, quod praeteritum sapit, sed quod tempus spirat, Enakitarum clade, in libro Jos. narrata, posterius: Caleb enim, qui tempore istius victoriae de Enakitis in pleno vigore fuit, ut ipse gloriatur Jos. XI, occurrit tanquam inbecillior, et decrepitae senectutis, cujus etiam in eo est indicium, quod Debiris occupationem non sibi sumserit, sed aliis cum magno promisso obtulerit.

§. CCCXXXII. Reliquas partes, ne prolixior sim, de Kenaeis, ex urbe palmarum in desertum Judae, seu australem Judae partem migrantibus, de bello Simeonis, a Juda adjuti, cum incolis Tsephatae ejusque successu, mitto. De Kenaeis nonnulla monui in superioribus, §. CXLIX. ubi de Jethrone, ad Num. X. egi. Hic verbo addo, Kenaeos esse קינים *Kenim* dictos, ad austrum Cananaeae in deserto Arabiae, jam ab antiquis temporibus habitantes, Gen. XV: 19 et Num. XXIV: 21. partem vero hujus populi constituisse Jethronis familiam, et hos ejus posteros hic intelligi, non Kenaeos in genere, ut

ex titulo *soceri* Mosis addito patet. Repeti ergo debet vox בני *filii*, ut sensus sit facilior, acsi legeretur; *filii Kenaei*, *filii soceri Mosis*. De *Sexta* parte cap., quae, per modum conclusionis, eventum et finem expeditionis *Judae*, initiis felicibus non respondentem, tradit, vers. 18—20. verbo absolvam. Eo enim, quo dixi, tendit ea pericopa, ut ex vers. 19. liquet, sed et vers. 18., licet obscurius, indicatur; quod minus observatum Interpretibus crucem fixit. Cum enim Juda hic cepisse dicatur Gazam, Askelonem, et Ekronem, sed cap. III: 3. Philistaeorum satrapias fuisse occupatas negetur, illud secum conciliare vix potuerunt: sed sensus in facili est, modo ad verbum לכד *capere* adtendatur, cui hoc in cap. opponitur הוריש *expellere*. Ceperunt quidem Israelitae has urbes cum territoriis, sed transitoria expeditione, quatenus occuparunt, spoliarunt, et tributis onerarunt, absque ut expulerint incolas, et loca sibi in possessionem vindicarint. Quod vers. 19. clarius exponitur, ubi habetur, eos montanum Judae quidem haereditario jure occupasse, sed non *vallem*, adeoque nec urbes Philistaeorum. Ratio petitur a *curribus ferreis* quibus se muniebant hostes: quod segnitiae, timiditatis, et diffidentiae populi erat indicium, et non Deo inputandum. *Septima* pars eundem Benjaminitarum defectum tradit vers. 21., quod, occasione superioris pericopae de Juda, hic inseritur. Intelligendum autem esse, quod de Jebusaeis non *expulsis* traditur, de ea parte Hierosolymae, quam Benjaminitae tenuerunt, tralatitium est. *Octava* denique de prospera Josephitarum agit expeditione in Bethelem, v. 22—26. ubi nihil difficile.

§. CCCXXXIII. Hucusque cum autor schedulae, nonnullas tribus aliquid cum successu praestitisse, narravisset, licet non quemadmodum debuerant, et potuerant: ad reliquas tribus pergens, nihil de illis refert, praeter obedientiae, et fiduciae in Deum defectum, in tolerandis in medio sui Cananaeis, demonstratum vers. 27—36. initio a Manassitis, ipsisque Ephraimitis facto, quorum exemplum reliqui sunt imitati. Tantum

cum

cum fortiores erant Iſraelitae, tributarios ſibi fecerunt Cananaeae incolas, ſed non, ut debebant, expulerant. Ultimam vero partem ſchedulae conſtituit pericopa, cap. II: 1—5. reprehenſionem divinam, per eundem Angelum Jehovae, qui Joſuae in Gilgale adparuit, Joſ. V. fin. felicem expeditionum ſucceſſum ſe duce promiſit, factam comprehendens, non eo ſcopo, ut Iſraelitae ad Cananaeos expellendos excitaret, ſed partim ob id non factum objurgaret, partim rationem redderet quare Cananaeos exterminare non potuerint, quia a foedere cum nonnullis pangendo non abſtinuerunt, et altaria idololatrica reliquerunt, partim denique judicium Dei, ipſis propter haec commiſſa imminens, pronunciaret, et noxia ob oculos ſiſteret conſequentia. Unde *fletus* populi ortus eſt, et loco nomen *Bochim* inditum. Illud unum ad pericopae intellectum obiter obſervo, verſ. 3*tio. et etiam dixi, non expellam eos* etc. Angelum non ſignificare, ſe hoc tempore illud dicere, ſed jam antea dixiſſe, et nunc praeſtare. Reſpicitur ad Num. XXXIII: 55. et Joſ. XXIII: 12. verba, *et etiam dixi* etc. conditionem habent involutam; ſi ſcilicet verbum Dei de expellendis Cananaeis, et altaribus eorum evertendis, non obſervarent Iſraelitae. Unde patet, eos in culpa fuiſſe, quod auxilio Dei non fuerunt uſi in hoſtibus debellandis, et hos propterea in eorum poenam eſſe relictos, qui offenſionis et multiplicis lapſus occaſionem praeberent et cauſam; ut v. 3. traditur. Pertinet vero haec pericopa ad cap. praecedens, tanquam ejus adpendix, male ab eo avulſa. Accidit autem, non vivo Joſua, ut multi opinantur, ſed eo mortuo, cum, quod cum ſuperiore narratione manifeſte cohaereat, quippe ad quam reſpicit Angeli reprehenſio, tum, in tempus Joſuae tale quid, quod hic culpatur, non conveniat, tum denique, ipſe Joſua populum ea de re admonuerit, et ab ea dehortatus ſit, cujus eum hic reum Angelus agit, Joſ. XXIII: 12. Nec obſtat ſereis narrationis ſequentis verſ. 6*to*, ubi dimiſſio populi per Joſuam narratur; quia pericopa, cap. I—II: 1—5. ſeparatam conſtituit ſchedulam, hiſtoriae Judicum praemiſſam, et ab ea

distinctam. Incipit enim historia illa demum cum vers. 6to cap. IIdi.

§. CCCXXXIV. Altera schedula, adpendicis instar, libro Judicum subjuncta cap. XVII. et seq., quae duos, vel tres notabiles casus complectitur, idoli domestici, a Micha formati, ejusque adsumtionis a Danitica aliqua familia, ad sedes in septentrionali parte Cananaeae occupandas tendente, denique inmanis facinoris Gibeonitarum, et ex eo funestissimi belli, inter Benjaminitas ac reliquos Israelitas orti, quo tendat, et quando confecta sit? vix pro certo adfirmari potest. Serioris esse temporis, post praefecturam Samuelis, *duo* in primis faciunt, ut probabile habeam: *unum* est, quod idolum, Michae surreptum, et in Dane erectum, ibi fuisse dicatur usque dum *domus Dei fuerit in Silo*, c. XVIII: 31. cui non obstat, quod vers. 30. posteros Jonathanis fuisse ejus sacerdotes dicatur *usque ad tempus* גלות הארץ *migrationis terrae*, modo, quod Houbigantio quoque in mentem venit, pro הארץ legatur הארון *arca;* quod et facile est, et necesse, cum alia vox nullum ferat tolerabilem sensum; quo admisso, versus sibi recte respondent, et tempus definitur, quo arca desiit esse in Silo, ac in exilium deportata est a Philistaeis, tempore Eli Pontificis, mox post ejus mortem; 1 Sam. V. *Alterum* suppeditat formula, ter vel quater in hac schedula repetita, nec usquam in libro Jud. occurrens, *non erat rex in Israele*, *quisque pro lubitu agebat*. Solet quidem formula de interregno aliquo, quo Israel *Judicibus* caruit, exponi, sed, ni fallor, minus recte, cum, quod *Judices* non soleant *regum* titulo insigniri, nec commode possint, quia *Judices* et *Reges* sibi opponuntur in historia Gideonis et Samuelis; *tum* quod tanta non fuerit potestas ac autoritas Judicum, ut populo leges ponere, aut ejus inpetum refraenare potuerint, teste ipsa historia, et cap. II: 17. Intelligendi itaque sunt Reges, proprie dicti, et formula haec censenda est ab autore schedulae profecta, qui regia majestate jam obtinente in Israele vixit, simul eo collineare, ut tristes illi casus, in hac schedula narrati, a defectu regiminis Monarchici repetendi,

ſendi, neceſſitatem vel utilitatem ejus demonſtrent, quippe quod ſolum ſit abuſui *libertatis* et aequalitatis Tribuum ſub Theocratia tollendo aptum; cui Judices non ſufficiebant, niſi Moſis et Joſuae autoritate pollerent, qua non gaudebant. Ponamus nunc, de forma regiminis mutandi fuiſſe tempore Samuelis diſceptatum, uti vere, teſte hiſtoria, fuit, praeterea fuiſſe tunc aliquem, qui regiminis monarchici neceſſitatem, vel utilitatem urgere, ſaltem introducti rationem reddere inſtituit, ab abuſu libertatis ſub alia, et uſitata, regiminis forma repetitam; cum experientia ſuperiorum temporum docuerit, quantus Theocratici regiminis, ſeu nimiae libertatis ac aequalitatis tribuum, fuerit abuſus, non per ipſam illam formam, ſed corruptam populi indolem, quae illam ferre non poterat. Cujus cum, praeter hiſtoriam Judicum, duo notabilia ſpecimina ad manus eſſent, ea hac occaſione fuerunt in publicum producta, ac cum populo communicata; ſive ſchedula fuerit ab autore illo, qui tunc vixit, confecta, ſive publicata, et recenſita tantum, et hic illic interpolata. Cujus etiam indicium eſt in phraſi, *a Dan ad Berſeba* c. XX: 1. non niſi tempore poſt expeditionem Danitarum in illum tractum, ejuſque poſſeſſionem, jam aliquandiu ante factam, uſitata. Unde caſum illum tunc demum contigiſſe non quidem colligendum, attamen autorem ſchedulae, vel compoſitae, vel recenſitae et publicatae, tunc vixiſſe recte derivatur; ita ut formula ſui temporis fuerit uſus.

§. CCCXXXV. *Tempus*, quo caſus contigerunt, ſi definiendum ſit, nullum mihi cum aliis occurrit aptius intervallo, a morte Joſuae uſque ad primam ſervitutem, forte circa finem, quum Iſrael jam a lege incepit deſciſcere. Rationes ſunt ſequentes. 1. Danitarum tribus cum *ad hoc uſque tempus* negetur *haereditatem creviſſe in medio Iſraelis*, cap. XVIII: 1. (ſive illuſtris aliqua ejus familia per *tribum*, ut poteſt, intelligatur, ſive ſenſus ſit, Danem nondum ſufficientem, plenamque, accepiſſe haereditatem) lapſum quidem fuiſſe aliquod tempus a diviſione terrarum inter tribus, nec tamen longum

nimis, indicari videtur; adeoque recte statuitur, id eo, quo dixi, tempore factum esse: cum aliud commodius non occurrat. Cui 2. robur accedit, quod Danitae tempore oppressionis populi a Cananaeis septentrionalibus jam tenuerint possessiones illas; quia Danitae in cantico Deborae c. V: 17. recensentur inter tribus septentrionales; nec a probabili alienum videtur, hanc ipsam Danitarum invasionem in illas terras occasionem, vel caussam praebuisse Cananaeis, Israelem infestandi ac opprimendi. 3. Cum Jonathan, filius Gersonis, filii Mosis (vel Manassis; variat enim lectio, licet *Mosis* videatur rectior: de quo hic non est disputandi locus): *sacerdos* idoli in Dan legatur constitutus, c. XVIII: 30. serius vix tempus huic casui aptari posse videtur. Cui 4. concinit, quod ad bellum Benjaminiticum pertinet, *Pinehasum*, filium Eleazaris, tunc fuisse summum sacerdotem c. XX: 28.

§. CCCXXXVI. Illustrabo nunc uno alterove observato hos casus, eosque in vero suo collocabo conspectu. Ad *primum* cap. XVII. recte intelligendum, notari velim 1. Micham pecuniam matri surripuisse hoc pio, seu religioso, proposito, ut in sacrum converteret usum, indeque Ephod et Teraphim formaret. Quod licet sileatur, elucescit tamen ex eo non tantum, quod mater, pecuniam a Filio esse sublatam cum ex ipso intellexisset, dixerit, *benedictus sis, fili mi! Jehovae!* sed in primis ex vers. 3tio. ita vertendo: *et restituit mille et centum argenteos matri suae; dixitque mater ejus, consecrasti mihi* (id enim est, הקדשתי verbum secundae person. cum י paragogico emphatico: qualia exempla alia non desunt) *argentum Jehovae e manu mea, fili mi! ad faciendum sculptile et fusile, et nunc restituam tibi;* sequitur vers. 4. *et restituit argentum matri* (h. e. cum reddidisset) ipsa *sumsit et dedit conflatori.* 2. Alterum est observatum, per *sculptile* intelligendum esse *Ephod* ac *Teraphim*, seu duplex simulacrum *Ephodi* et *Teraphimi*, utrumque in usum oraculi et responsi divini: quippe cui *Ephod* inter ornamenta Pontificis inserviebat, et *Teraphim* quoque ex opinione Veterum; erant autem, ut notum est,

est, icunculae humanae formae et figurae in usum oraculi domestici. Erexit itaque Micha oraculum in domo sua, et *Ephod* adjunxit, ut *Jehovae* se adhaerere significet; idque in domus suae et aliorum usum: quo etiam tendit, quod sacerdos, ab ipso institutus, appelletur *Pater* vers. 10. quippe qui titulus est prophetis proprius, quorum est, *consulere*, et quid agendum sit praecipere: sicut Debora *matris* titulo venit c. V. et Elias *Patris* in Israele 2 Reg. II: 12. Quem ipsum usum hoc sculptile praebuit *Danitis* cap. XVIII: 6.

§. CCCXXXVII. Secundus casus expeditionis Danitarum, occupationis Laisae, oppidi et tractus in septentrionali parte Cananaeae opulenti, simul securi, sed et debilis, et patrono destituti, uti c. XVIII: 7. traditur, urbis *Danis*, de Dane, progenitore tribus, denominatae, aedificationis, denique sculptilis Michae, una cum sacerdote, spoliationis in ea urbe, qui cap. XVIII. narratur, nihil fere habet, nisi in nonnullis phrasibus, notandum, quod ad scopum nostrum hic non facit. Tantum cum in c. XVIII: 7. ubi status securus et opulentus, simul inbecillis, urbis et tractus Laisae describitur, verba media, *et non erat pudefaciens aliqua in re*, *tenens* עצר, maximam pariant difficultatem, aliquid lucis obiter inspergam. Vertenda mihi videntur, *nec erat aliquid in terra frangens*, aut notam inurens, h. e. nihil erat in terra, quod incolas *sauciabat*, dedecebat, aut propter quod aliqua merebatur *convitia* et *contumelias*, sed erat opulentissima et *saluberrima*. (Verbum כלם proprie sauciare, frangere vel resecare carnem, inde ad gravem calumniam transiit) concinit Num. XIII: 32. *terra consumens incolas*; et Ez. XXXVI: 13, 14. nec erat *tenens robur* (nemo ibi erat viribus et potentia pollens, qui urbem contra invasionem tueri potest. Vocula אין *non* ex praeced. est repetenda, et עצר proprie denotat *strictionem*, *pressionem*, unde ad robur transiit, seu succi et virium exsertionem. Vid. notae nostrae ad Deut. XXXII: 36.)

§. CCCXXXVIII. Ad *tertium* casum, seu bellum, sic dictum, Benjaminiticum, cap. XIX. ad fin. libri, pergo. *Occasionem*

ſionem funeſti hujus belli Iſraelitarum omnium, in unum conſpirantium, cum Benjaminitis praebuit pudendum et crudele facinus incolarum Gibeae in Levita aliquo, ibi pernoctante, et uxore, ſeu concubina, ejus perpetratum: quod prolixe cap. XIX. narratur. Quae hiſtoria videtur compoſita ex ſchedula, vel ab ipſo Levita, vel autore aequali, et ipſi noto, confecta: quia nimis ſingulares circumſtantiae, nec adeo magni momenti, ex. gr. verſ. 4—10., hic occurrunt, quas hiſtoricus alius non commemoraſſet. *Gibea* vero, hic memorata, alias *Gibea Sauli* dicta 1 Sam. XI: 4. quia ibi natus eſt, et *Gibea Benjaminis* 1 Sam. XIII: 2. ſtadiis 30 Hieroſolyma diſtans Joſ. B. J. VI: 2. media inter eam et Silo, probe diſtinguenda eſt a גבע *Giba*, urbe quoque Benjaminis, ſed in extremis finibus, ut ex hiſtoria Sauli, domum ex Ephraimo tendentis, 1 Sam. X: 10. patet, limite quoque Judae verſus ſeptentrionem, ut Berſeba verſus Auſtrum 2 Reg. XXIII: 8. Utraque nomen a *colle* tulit, et poſterior etiam *collis Dei* a ſchola Prophetarum 1 Sam. X: 5. Ut autem *facinoris* narratio recte capiatur, notari velim 1. non omnes cives, ſed nonnullos tantum illud patraſſe, ne quis, tantam et tam univerſalem hanc urbem invaſiſſe corruptionem, putet: adpellantur enim viri *Belial*, nequam et ſceleſti, 2. primum eorum fuiſſe inpetum in ipſum *virum*, hoſpitio exceptum, quem *cognoſcere* voluerunt, ſive libidinoſe, ſive crudeliter ad necem, et poena exemplari adficere; uti verbum ſumitur Jud. VIII: 16. Ezech. XIX: 7. et alibi. Quod poſterius non eſſe excludendum, ex c. XX: 5. liquet. 3. Levitam, cum nebulones a propoſito blanda hoſpitis oratione abſterreri non poſſent, tandem coactum, et in certiſſimum vitae diſcrimen adductum, obtuliſſe *pellicem* violandam, ſpe ſeſe lactantem, fore, ut, libidine expleta, ſalva foret ejus vita. Hac utique ratione capiendum cenſeo, quod cap. XIX: 23, 24. traditur, cum, quod filiam et pellicem non ſponte, ſed poſt fruſtraneas admonitiones coacte exiſtimandus ſit ſenex obtuliſſe, tum, quod aliter explicari nequeat, *eos noluiſſe audire ſenem* v. 25. cum illud de oblata pellice capi nequeat, ea

enim,

enim producta contenti fuerunt, sed de senis admonitione debeat, ne viro noceant, ante oblatam pellicem. Verti ergo debet *etenim noluerant audire;* et ratio datur, quare senex coactus fuerit pellicem tradere. Reliqua ex historia facile peti possunt.

§. CCCXXXIX. *Causa* belli ex hoc facinore orti, a parte Israelitarum fuit, quod sceleftos homines non tantum puniri voluerint, quae justa erat postulatio, sed et *sibi*, ut puniantur, tradi, vers. 13. a parte Benjaminitarum, quod illud recusarint, judicium sibi competere et relinquendum esse contendentes, nec sine specie juris, cum viros non recusaverint puniri, aut facinus defenderint, quod de tota tribu non est praesumendum, sed jurium et priviligiorum suorum studiosi, eos tradere noluerint aliis. Ex quo elucescit, neutram partem culpa caruisse, cum *Israelitae* culpandi sint, quod sibi eos dedi voluerint, et hoc negato, mox ad arma convolaverint, sese quoque juramento satis temere ad id obstrinxerint, nec Deum ante consuluerint per Urim et Tummim, uti oportebat. Benjaminitae, quod sceleratos non mox puniverint, vel fratrum postulata superbe spreverint et obstinate, nihilque de jure suo remittere voluerint, uti belli praeveniendi causa debuissent, maxime cum universa gens Israelitica unanimiter id vellet, res petita justa esset, denique Pontifex Pinehas in id consensisset, cujus autoritas et Majestas non debuisset laedi.

§. CCCXL. Convenerunt Israelitae usque ad 400 virorum militarium millia *in Mispa coram* Jehova c. XX: 2. scilicet tanquam totius populi rege, et judice supremo: qui phrasios usus est; uti Jos. XXIV. Jud. XI: 11. et alibi. Unde itaque colligendum non est, arcam ibi fuisse praesentem, quae etiam erat hoc tempore in Silo, vel Bethel: de quo mox, uti ex hoc ipso cap., et XXI. patet. Mispa vero in confiniis Judae et Benjaminis fuit, et utrique aliquando tribuitur Jos. XV: 38. XVIII: 16. Erat itaque locus vicinus, et omnibus tribubus commodus, in confiniis Judae, cui primae partes competebant, et hic a Deo datae sunt, vers. 18. Erexerunt au-

tem, antequam bellum inceperunt, *tribunal* in publico concilio populi, coram quo scelestos viros Gibeae citarunt, vers. 13. De quo etiam processus judicialis testatur vers. 3. etc. ut et vers. 2*dus* recte intellectus: *et stiterunt* se *anguli totius populi omnium tribuum Israelis in conventu Dei* etc. quorum sensus est, universo populo congregato, in ejus comitiis primores populi, qui פנות *anguli* adpellari solent, uti 1 Sam. XIV: 38. Jes. XIX: 13. Zach. X: 3. et alibi, erecto aliquo tribunali, sumsisse *stationem*, personis et rei congruam: quod verbum התיצב denotat. Cum autem Benjaminitae sese subjicere nollent, eos invadendi et puniendi consilium jurati sumserunt, Benjaminitis quoque in unum coactis ad 26 millia, inter quos 700 erant strenuissimi, simul peritissimi jaculatores et omnes ambidextri; Deum denique consuluerunt, Bethelem adeuntes, ubi hoc tempore, non quidem Tabernaculum, sed *arca* erat, uti vers. 27. etiam traditur, forte eo translata, ut castris esset propior, et Deus commodius consuli posset, quod et alias, ut tempore Eli et Davidis, factum est. Bethelem, בית-אל de *domo Dei*, adeoque Silunte, ubi Tabernaculum erat, non debere intelligi, sed nomen proprium *loci* esse, quod praeter Schmidium jam demonstravit, ut postea intellexi, Iken Diss. Philol. Theol. III*tia*, variae evincunt rationes. Praeterquam quod nulla ratio dari possit, quare *Silo* non aeque ac c. XXI: 12. adpellaretur, nomen quoque בית-אל *Bethel* pro *domo Dei* sit insolitum, ne cum loco Bethel confundatur, 1. c. XX: 27. ibi traditur fuisse *arcam* Jehovae, postquam vers 26. dictum fuisset, Israelem *adscendisse Bethel*; manifesto indicio locum intelligi, non *domum* Dei, cum arca in ea semper sit, et per se pateat. 2. Nomen loci esse, ex vers. 31. ejus cap. ubi via publica hinc Bethelem, inde Gibeam, tendere traditur, dubio caret, maxime cum c. XXI: 19. Silo dicatur fuisse *ad septentrionem Bethel, ad ortum viae, quae ducit Bethele Sichemum.* 3. Denique c. XXI: 1, 2. leguntur *Bethelem* venisse, et ibi *altare* ad offerendum exstruxisse, quod fieri non potuisset, si *domus Dei* intelligeretur, cum ibi esset

altare.

ſtare. Ceterum Bethel, urbs eo nomine nota, in confiniis Ephraim et Benjamin, licet in ipſa tribu Ephraim, ſita fuit, haud procul Silunte, cui fuit ad auſtrum c. XXI: 19.; qua a urbe fuit hoc tempore arca, ſed non Tabernaculum, cap. XX: 27. eum in locum tranſlata, ut videtur, ut caſtris eſſet propinquior, et Deus facilius conſuli poſſet per Urim et Tummim.

§. CCCXLI. Conſuluerunt quidem Iſraelitae Jehovam, ſed *modo* et *animo* non ut decebat, cum, quod de bello gerendo, nec ne? nihil interrogarint, ſed de *ordine* tantum in eo obſervando, adeo ut bellum jam ipſi in animo habuerint, et ira in Benjaminitas nimium inflammati fuerint, teſte quoque juramento, quo ſe mutuo, temere nimis, obſtrinxerant, *tum*, depoſita cum religione, et adfectu pio non videantur Deum conſuluiſſe, nec a Deo petiiſſe auxilium, ſuis viribus, et numero ſuperiore longe, innixi. Addi denique poteſt, zelum religioſis, quem praetexebant, fuiſſe minus ſincerum, cum facinora Danitarum, eorumque idololatriam in ſculptili erigendo, ſimiliter non inſtituerint vindicare; quod majore jure potuiſſent, cum idololatria ab univerſo populo erat ubique tollenda: uti Joſ. XXII. factum eſt, adeoque ſe jam tunc ad idololatriam pronos demonſtraverint, ſicut et haud diu poſt ad eam fuerunt prolapſi: ut ex hiſtoria Judicum patet. Mirum itaque non eſt, vindictam divinam ab ipſis incepiſſe, ut ad ſaniorem redigerentur mentem.

§. CCCXLII. Paſſi utique in initio ſunt haud leve damnum, cum Benjaminitae, licet numero longe inferiores, eos ceciderint, duobus praeliis, uſque ad 40 hominum millia, et ſupra. Qua clade humiliati, et auxilium a Deo inplorantes, ultima pugna pleniſſimam de Benjaminitis reportarunt victoriam, 25 millibus et 100 viris occiſis, ita ut de univerſo populo militari 600 tantum ſalvi evaſerint ad petram Rimmon. Quo nondum contenti Iſraelitae, ira in rabiem quaſi verſa, totam tribum, nullo ſexus aut aetatis facto diſcrimine, exceptis 600 illis, exſtirparunt, nec urbibus ipſis pepercerunt. Quae in

inaudita sane fuit saevitia, a Deo, in poenam totius populi, sed ut simul ab ejusmodi consiliis temerariis absterreretur, tolerata, seu permissa.

§. CCCXLIII. Ultimi praelii narratio c. XX: 30. etc. ut aliquid luminis, quo indiget, ei infundam, hac ratione est digerenda, ut ordine procedam. 1. Posuerunt Israelitae 10 millia in insidiis in campis Gibae contra Gibeam, v. 29. coll. 33, 34. solent quidem illa millia ab insidiis distingui, sed sine ratione, et contra textum. Qui enim v. 33. e loco suo dicuntur erupisse, ut Gibeam occuparent, mox 10 millia adpellantur, v. 34. qui urbem invaserunt. Est adhuc alius error, quo duae urbes Geba et Gibea sunt confusae, et insidiae prope Gibeam putantur locatae: textus enim גבע *Gaba* diserte memorat; cujus notitiam supra dedi. Ex quo simul elucescit, eos insidiatores commode dici posse insedisse *campos* Gabae, quae vocis מערה est significatio, ut recte observavit Dieu. Si enim Gibea intelligatur, Israelitas apertum et nudum campum pro insidiis, ut latitarent, occupasse, percipi nequit; quod recte sese habet, si Gaba fuerit, ubi se tenuerunt, ut Gibeam possent *circumquaque*, tempore opportuno, adgredi. 2. Insidiis locatis, reliqui Israelitae se prope Gibeam ostenderunt, et Benjaminitas elicuerunt, ut clade aliqua ab iis adfecti eos ab urbe abstraherent. Quod ipsis cum 30 hominum clade successit, v. 30—32. 3. Quo facto Israelitae in Baal-tamar castra posuerunt, urbis incendium exspectantes ab insidiatoribus, ut, eo peracto, insidiatores a tergo, et ipsi a fronte irruerent in Benjaminitas; eaque ratione omnes ad internecionem usque delerent. Quod α. generatim, v. 33—35. β. speciatim per partes narratur, v. 36—48. Qui narrationis ordo, sine quo partes historiae digeri nequeunt, probe est observandus. α. In generali propositione, notanda est v. 33. in ultimo membro ellipsis historica, ex speciali narratione facile supplenda, hac ratione, *et insidiatores erumpebant e loco suo e campo Gabae*, adde, et urbem ceperunt ac incenderunt. Quo facto, in Benjaminitas a tergo tetenderunt, v. 34. ubi dicitur, eos *a coram Gibea*

Gibea ivisse, et *bellum*, seu praelium, gravius esse factum, Benjaminitis quippe a tergo et fronte invasis, quod itidem ex speciali supplendum est relatione: unde etiam patet, quod additur, *Benjaminitas nescivisse*, *malum sibi imminere*, de initio esse capiendum, antequam incendium, et hos 10 mille viros vidissent.

§. CCCXLIV. β. In speciali narratione crucem fixit vox מנוחה v. 43. in phrasi, *conculcarunt eos* מנוחה, quod singularis ejus usus, quo gravem et diuturnam *incubationem*, vel et dejectionem in terram, ac violentam denotat mortem, non fuerit perspectus. Verbum הניח proprietatem in *recubatione*, instar gregis pascentis habet; unde inter alia in malam partem, pro gravi et violenta ac diuturna incubatione sumitur, uti Jes. VIII: 2. Ps. CXXV: 3. praeterea dejectionem in terram, ac violentam mortem comprehendit, ut Lat. *procumbere* Jer. XV: 9. et Job XVII. fin. Hic itaque vox, cum *proculcare* constructa, gravem et tenacem incubationem, qua proculcati sunt, vel violentam denotat dejectionem, ac mortem, quae instar jumenti procumbere facit. Denique, media membra v. 48. vertenda sunt, et *percusserunt eos acie gladii ex urbe*, *hominem* scilicet *ad bestiam usque*, et hunc fundunt sensum; ex singulis urbibus (eam enim emphasin habet phrasis *ex urbe*) eos esse percussos, homines nimirum et bestias, ita ut nihil relictum fuerit vivum. Facilior foret structura, si מתים habeatur pro ממתים *ab homine ad bestiam*; uti acceperunt Syr. et Lat. una littera מ in altera latente: quod non est insolitum.

§. CCCXLV. Hoc bello profligato, et animorum motibus factis sedatioribus, magno cum dolore intellexerunt, et ad animum revocarunt ingens malum, quod Israeli accideret, si tota tribus Benjaminis funditus, et in perpetuum, deleretur; quod evenire deberet, nisi 600 viris, qui in rupe Rimmon residebant, non prospiceretur. Quare, castris Bethelem motis, de Deo placando, et tribu Benjaminis conservanda, ac instauranda deliberarunt, duplicemque invenerunt viam id efficien-

di, *unam* in Jabesitarum inobedientia, *alteram* in festo Siluntico sitam. Quam utramque ut aperirent, et insisterent, seu propositum uxores dandi Benjaminitis exsequerentur, castra transtulerunt Siluntem, ut arcam in Tabernaculo reponerent, et deliberata commodius exsequerentur. Quod cap. XXI. fusius narratur. *Prior* via originem repetiit ab ea parte juramenti de omnibus delendis, qui sese reliquis tribubus in hoc bello non adsociassent. Cum vero, instituta recensione, Jabesitas officio suo defuisse adparuisset, aeque temere ac antea mox miserunt copias ad Jabesitas, exceptis virginibus, exscindendos: quo facto adductae sunt 400 virgines Siluntem, et Benjaminitis superstitibus in uxores datae, pace quoque cum iis facta. Sed cum 600 essent Benjaminitae, adeoque ducentis adhuc dandae uxores, succurrit ipsis, quae *altera* erat via, festum aliquod, quotannis in Silunte celebrari solitum, quo virgines Silunticae choreas extra urbem in via ducere solebant; incertum quale fuerit festum, et unde natum. Suaserunt itaque Benjaminitis, ut filias illas raperent, et secum copularent, addito promisso, parentes a se esse placandos, et ad consensum permovendos. Quae omnia praestita sunt, et hac ratione effectum est, ut tribus Benjaminitica progressu temporis instaurata sit, et refloruerit. Qua ratione parentibus satisfecerint, sesеque, salvo juramento de filiabus suis non dandis, liberos declararint, ex historia facile hauritur. Moras enim in phrasibus explicandis nectere non licet.

§. CCCXLVI. Verbum restat de *duratione* intervalli, a morte Josuae ad primam servitutem, in quo hactenus fui illustrando. Definiri ea ex Script. S. nequit, nisi in genere, quatenus historia tradit, *seniores*, qui bello cum Cananaeis interfuerant, *prolongasse dies* post Josuam; et Israelem, post eorum mortem, a cultu Jehovae ad idololatriam defecisse, absque ut dierum numerus fuerit additus, aut traditum, num mox, an aliquandiu post eorum obitum prolapsus sit Israel? Vid. Jos. XXIV: 31. et Jud. II: 7. Succurrit hic rursus, ut antea, Joseph. Ant. l. VI: 6. ubi annos 18 tradit durasse

hoc

hoc intervallum, cui non male convenit 1. phrasis, *prolongare dies*, quae de senioribus adhibetur, quippe 20 annos comprehendens 1 Sam. VII: 2. sicut διὰ χρόνȣ πολλȣ̃ *post longum tempus*, apud Herodot. L. III. p. 170. ed. Gron. annos 25, quot dari solent Apidis adparitioni, uti Jablonskius observavit in Panth. Aeg. L. IV. c. 2. 2. aetatis quoque seu *generationis* duratio, quae, teste Jos. contra App. l. I. c. 11. est 43 annorum: quot anni ex praefectura Josuae, et prolongatione dierum post eum, sese offerunt, si Josuae 25, et senioribus 18 dentur. Durarit vero intervallum usque ad interitum *generationis, quae miracula Dei vidit*, adeoque Josuae et seniorum. In hisce licet acquiescere liceat, tempus forte longius statuendum est, si ad primam servitutem extendatur; praecessit enim defectio populi a Deo, quae post seniorum obitum demum incepit, ut locis cit. traditur: cui utique aliquid temporis sibique dandum est. Quod etiam requirunt casus supra memorati, qui in hoc censendi sunt incidisse intervallum. Dicimus itaque durasse 18 annos ad minimum, vel paulo plures.

§. CCCXLVII. Tertii intervalli historiam antequam adgrediar, de autore, et tempore, ac scopo conscripti *libri Judicum*, proprie sic dicti, quo gesta Judicum Israelis continentur, quaedam, pro more, praemittenda videntur: de duabus enim libri adpendicibus, in initio et fine, earumque autoribus, supra exposui. Pericopam, quacum incipit liber, c. II: 6—10., collatam cum Jos. XXIV: 28. quae loca parallela sunt, qui attente consideraverit, in eam mecum forte incidet opinionem, unum eundemque utriusque libri fuisse autorem. Ultima enim verba libri Josuae censeri potest eo scopo, cum aliqua licet variatione, repetiisse autor, ut, duos illos libros cohaerere, et historiam, uno filo contextam, continere, indicaret. Quae conjectura ex eo firmatur, quod ceteroquin nimis abruptum, et minus intelligibile, foret principium, *et dimisit Josua populum* etc. nisi eo factum fuerit scopo, ut lector ad finem historiae Josuae manu quasi duceretur, et cum ea hanc

cohaerere hiſtoriam intelligeret. Sed, licet liber fuerit a Samuele, aut alio propheta, uti ſuperior Joſuae, compoſitus, pluſquam probabile eſt, antiqua et coaeva monumenta fuiſſe in conſilium adhibita, ex quibus confectus eſt. Cujus rei non in eo tantum eſt indicium, quod ſine ejuſmodi monumentis hiſtoria, tot circumſtantiis veſtita, componi vix potuerit, ſed et in cantico Deborae, quod vel conciſo et ſublimi ſuo ſtylo redolet antiquitatem, nec non in majore minoreve prolixitate partium hiſtoriae, cujus vix commodior dari poteſt ratio, ac quod antiqua monumenta praebent, quorum alia plura, alia pauciora poſteritati mandarunt.

§. CCCXLVIII. Scopus libri eſt 1. hiſtoriam Iſraelis, in poſſeſſiones ſuas jam inmiſſi, et in iis ſtabiliti, perſequi uſque ad tempus Samuelis, reſpectu oppreſſionum a vicinis populis, et liberationum per Judices, ſeu ſervatores, divinitus ſuſcitatos: quare titulo libri *Judicum* apte inſignitur. De quo mox. 2. Virtutum juſtitiae, veracitatis ac benignitatis Jehovae, Dei Iſraelis, erigere monumenta, ut veritas illa capitalis, Deum Iſraelis eſſe verum Deum, populi ſui ſervatorem et judicem, legemque Moſis obſervatam vel violatam eſſe bonorum vel malorum cauſam certiſſimam, poſteritati commendaretur, et in omnium animos ac oculos ingereretur. De quo ex libri argumento facile conſtat. Sed 3. et eo hic liber manifeſte tendit, ut chronologia ſacra tradatur, uti ex eo clare eluceſcit, quod ſervitutis ac quietis viciſſitudines ſuis ſemper temporibus adcurate adligentur, quodque praeterea nonnullorum Judicum nulla geſta, ſola annorum duratio, et ſeries, fuerit adnotata, adeoque ne temporum rationes aliqua parte laborarent, et incertae redderentur. Denique 4. addere liceat, verum formae regiminis Theocraticae, ut adpellatur, conſpectum, in hoc libro ob oculos poni, quippe quae tempore Judicum, magis quam Regum, ſeſe exſeruit. Deus enim, durante hac periodo Judicum, ſupremi Regis Iſraelis munia majore emphaſi explevit, quam poſtea. Egit utique ſubinde cum populo per coeleſtes legatos, Angelos, uti c. II: 1. et in hiſtoria Gideonis ac

Manoae,

Manoae, bellum quoque expresso ejus jussu aliquando gestum fuit, uti cap. I. et alibi traditur, heroes etiam et judices, seu vindices, extraordinarie suscitati sunt a Deo, ac heroico animati spiritu, qui populum liberarunt et instaurarunt; fuit denique major populi et tribuum aequalitas, et populus speciem regalis sacerdotii majore praetulit emphasi.

§. CCCXLIX. *Tertium* intervallum, a prima servitute ad Sauli initia, ad quod pergimus, continuas complectitur vicissitudines, oppressionis ac servitutis per populos vicinos, et liberationis ac quietis per Judices, a Deo extraordinarie suscitatos, prout Israel a Deo ad idola defecit, seseque ad Deum convertit, uti summatim narratur Jud. II: 10—fin. qui pericopae istius verus est conspectus. Ad quam illustrandam uno alterove contentus hic ero observato. 1. Idola, hic memorata, generalibus veniunt nominibus בעלים *Baalim* et עשתרת *Astoret*. Prius, quod dominii involvit significatum, per varia solet distingui epitheta, uti in *baal-semin*, *baal-peor*, *baal-zebub* etc. sive heroes et progenitores, sive sol et stellae, designentur. Fuit enim Veterum idololatria, vel φυσικη *physica*, vel μυθικη *mythica*. *Astoret* quoque est generale *Dearum* nomen, unde unde etiam ortum: forte ex עשר et עתר compositum, quo abundantia et opes designantur, unde ad foeturam et gregem ovium transfertur: sive sit Venus Orientalium, sive Isis AEgyptiorum, physice Luna et terra. 2. Malorum quae describuntur v. 14, 15. tres memorantur gradus; α. depraedationes per hostiles turmas, transitoria expeditione irruentes, uti c. VI: 3. narratur. β. Servitutes, quibus in manus hostium vendebantur, ita ut, tutela Dei soluti, tributa pendere, et ad eorum arbitrium sese deberent gerere. γ. Summus gradus complectitur *angustias*, quibus constricti quaevis dura patiebantur, nec exitum reperirent, Deo ipsis, si quid in hostes tentarent, contrario, uti v. 15. traditur, ubi *exire* ad expeditionem militarem respicit.

§. CCCL. Vicissitudines ipsas recensebo et illustrabo, posteaquam de genuino earum, et Judicum, conspectu exposuero.

α. *Servitutes* non fuerunt tales oppressiones, quales ex. gr. Assyriacae et Babylonicae, sed longe aliae, ac leviores, *partim* in statu obnoxio et *tributario* sitae, adeo ut victoribus tributa quotannis solvere debuerint Israelitae, *partim* invasiones ac spoliationes, sed transitorias, continebant, quas Israelitae passi subinde sunt: uti ex lectione libri Judicum cuivis facile patet. Hae plenariae servitutes et liberationes, se invicem continuo excipientes, durarunt usque ad Simsonem, quando status exortus est intermedius inter plenam servitutem et quietem, qui usque ad Davidem continuavit, quippe qui, quod incepit Simson, perfecit, populum plenissime a Philistaeis, et omnibus hostibus liberando, 2 Sam. III: 17. VIII: 10. et alibi. *β*. *Judices*, quorum primus fuit Otniel, probe a *Josua*, qui non *Judicis*, sed successoris Mosis, personam egit, ut supra jam observavi, distinguendi, vero suo conspectu fuerunt *Vindices* causae Israelis oppressi, qui eum ab injustis illis infestationibus, ac servitutis statu, in libertatem vindicarunt, simul in statu quietis ac libertatis tuiti sunt. Quam sensum haud raro praefert verbum שפט *judicare*, uti notum. Praeterea primas quoque videntur habuisse partes in populo liberato regendo, ac judicando; quod ex populi vindicatione quoque sponte videtur fluere: licet quanta eorum fuerit dignitas et autoritas, numque omnibus judicibus, qua talibus, fuerit propria, et ab iis exercita, definiri nequeat. Samuel quidem eam summo gradu exercuit, sed is majore gavisus est praerogativa, simul propheta fuit, et quasi vicarius Dei: Eli quoque simul summus sacerdos: Debora denique *prophetae* quoque dignitate fulsit, et qua talis *judicavit* Israelem Jud. IV: 4. propterea *mater* in Israele dicta ib. V: 7. Ceterum Judices tempore necessitatis, quando populus sub servitute gemens, et ad Deum conversus, vindicandus erat, vel a Deo inmediate electi sunt, ut Gideon, Barak, Samuel, vel a populo, sed a Deo confirmati et adprobati, ut Jephta; Vid. et cap. II: 18. Fuerunt itaque viri extraordinarii, spiritu Dei heroico animati, ad id divinitus constituti, ut Israelem vindicarent, defenderent et gubernarent, sub

ſub Dei, ſupremi regis, auſpiciis; a *regibus* itaque, proprie dictis, diverſi, ut ex Gideonis et Samuelis quoque eluceſcit hiſtoria.

§. CCLI. *Prima* ſervitus fuit *Cuſchan-Reſchataimis*, ſeu Meſopotamica, regis ארם-נהרים *Aram Naharaim*, ſeu *Syriae interamnis*, non itaque totius Meſopotamiae, ſed partis ejus, inter Euphratem et Chaborram fluvios, quae eo ſolet inſigniri nomine. Duravit 8 ann. Jud. III: 8. quando Iſrael in libertatem eſt adſertus, victo ac oppreſſo rege ab Othniele, Calebi nepote, fratris ejus minoris natu Kenazi filio. Gaviſa vero hac quiete narratur terra 40 annos, Jud. III. fin. Plura de hoc rege, et geſtis Othnielis, non traduntur, nec conſtant. Anni ſervitutis ac quietis tantum adcurate ſunt ab hiſtorico notati, convenienter *ſcopo* hujus libri praecipuo, qui fuit *chronologiam* hujus intervalli tradere; ut ex multis patet indiciis, inter quae eſt, quod nonnullos *judices* ſimpliciter cum annis praefecturae eorum recenſeat, de geſtis parum aut nihil referens.

§. CCLII. *Secunda* fuit Moabitica per Eglonem, regem Moabitarum, ſed copiis Ammonitarum et Amalekitarum adjutum c. III: 12. De quibus populis cum poſtea ſuo loco accuratius acturus ſim, hic notaſſe ſuffecerit, Moabitas, Iſraele oppreſſo, ſtatim caſtra habuiſſe in tractu Hierichuntino, ipſumque regem ibi *villam* quoque condidiſſe, quam certo tempore, forte quo tributa ſolebant ipſi pendere Iſraelitae, inſedit, quod Joſ. Ant. V: 5. quoque tradit, et nonnullae confirmant rationes. Utique 1. Moabitae diſerte dicuntur *urbem palmarum* ſibi in *poſſeſſionem* vindicaſſe c. III: 13. adeoque ibi reſediſſe: ſive ager Hierichuntinus ſit intelligendus, ſive *urbs palmarum* fuerit ab Hierichunte diverſa, ſed ei proxima. Ipſa enim Jericho intelligi nequit, cum a Joſua fuerit devota, nec niſi diu poſt, ut notum, reaedificata. Videtur urbs, vel arx, fuiſſe in campo, vel convalle Hierichuntis, ubi celebres erant *palmae*; uti ex Joſepho, Theophraſto, Euſebio, et aliis conſtat autoribus. Vid. Reland. Palaeſt. l. I. c. 55, 57. 2. Eglonem,

quo tempore ab Ehude obtruncatus est, ibi resedisse in aula sua, *cum* ex eo liquet, quod Israelitae *transitus* Jordanis dicuntur occupasse, ne quis Moabitarum evaderet, vers. 28. argumento, eos castra habuisse cis Jordanem, *tum* etiam ex loco *Pesilim* juxta Gilgalem vers. 19. qui a sede regia haud longe aberat.

§. CCCLIII. Quae adflictio, cum 18 ann. duraverat, vers. 14. finita est per *Ehudem* Benjaminitam, virum strenuum, qui vers. 15. adpellatur אטר *revinctus manum dextram*, id enim verbum Hebr. denotat, proprie, *nervo firmius ligare*, et *obvincire*, ut ex ling. Arab. patet, sive quod *laeva* manus ipsi tantum fuerit usui, *obligatus* quasi *nervo* quoad manum dextram, qualem Lat. *Scaevolam* vocant, sive fuerit *ambidexter*, quatenus, si vel dextra post tergum religetur, *sinistra* aeque uti potuerit ac dextra, qualem Graeci *ἀμφοτεροδέξιον*, Lat. *ambidextrum* adpellant; uti acceperunt LXX et Jud. XX: 16. usurpatur. Quicquid sit, eum *sinistra* manu in Eglone occidendo usum esse, ex vers. 16, 21. patet. Cum auspicia liberationis sumserit Ehud a rege Eglone, in ipsa aula, occasione *tributi* ad eum delati captata, inprovisо, et cum aliqua fraude, obtruncato, quaeritur, fueritne illud ejus facinus licitum, an vetitum? De quo ut sanum feratur judicium, sequentia probe advertenda sunt. 1. Non privata, sed publica auctoritate, consensu quippe et jussu populi, eum id fecisse, ex vers. 15. colligitur, quo etiam facit, quod munus non per Ehudem solum, sed per legatos, quorum caput ipse erat, fuerit delatum. Plures fuisse ex v. 18. quoque colligitur. Accedit, Israelem mox post peractum facinus fuisse ad bellum paratum, vers. 47. 2. Imo, quod majoris est, illud non patravit, nisi postquam a Jehova esset electus *servator* populi, et *spiritu* ejus roboratus: vers. 15. 3. Nec *mendacium* commisit, dicendo Egloni, se *sermonem* Dei ad eum habere; cum vere habuerit *verbum* Dei ad ipsum, scilicet puniendum et occidendum: quod reticuit, eoque Regi suscitavit opinionem de mandato Dei ad ipsum. Reticentia itaque ad regem fallendum apta,

apta, tantum usus est, utique erga hostem non illicita. 4. Accedit, Eglonem fuisse injustum oppressorem Israelis, et tyrannum, cui populus se nunquam sponte subjecerat, inito pacto, tantum tributum pendere coactus. De quo etiam testatur, quod castra ibi habuerit Eglon, ad populum vi et metu coercendum. Hoc facinore patrato, Israel, ad bellum jam paratus, Duce Ehude, Moabum magna clade non tantum adfecit, sed et adeo contrivit, ut ab eo tempore nihil amplius in Israelem tentaverit, tota quoque terra quieverit 80 annos; vers. 30.

§. CCCLIV. Interseritur, filo historiae Judicum abrupto, singulare facinus *Samgaris*, cujus notitia non traditur, quo 600 Philistaeos *stimulo boum* percussit, meruitque Servatoribus Israelis adnumerari, c. III: 31. Quod facinus cum de spiritu ejus heroico, divinitus concesso, testetur, simul ex Simsonis historia, quae simile quid offert, illustretur, plures socios, quibus fuisset adjutus, comminisci opus non est, textu prorsus silente. Nec instrumentum, quo usus est, *stimuli boum*, aliquid adfert, quod rem reddit incredibilem, modo notetur, illud satis longum fuisse, ab una extremitate *acutum*, ad boves *stimulandos*, inde מלמד dictum, (radix enim proprie dicit *pungere*, inde pungendo stimulare, et figurate *docere* etc.) ab altera instructum *spatha* crassa et ferrea, ad lutum aratro adhaerens auferendum, Vid. Maundrell. in Itinerario. Accidit hic casus, non vivo Ehude, et tempore *quietis* terrae, non tantum quod ab eo aliena sit haec Philistaeorum invasio, quae haud levis fuit, ut ex Jud. V: 6. patet, sed inprimis quod post Ehudem, (*post ipsum* c. III: 31. est, teste serie sermonis, post *Ehudem*) contigerit, et nova oppressio cum morte Ehudis, ac nova defectione populi, connectatur c. V: 1. nec ante adflictionem Cananaeam, sed vel sub finem ejus, vel tempore victoriae a Cananaeis reportatae, cum, quod ratio dari nequeat, quare illae tantum oppressiones sub Samgare et Jaele in cantico Deborae Jud. V: 6. fuissent memoratae, nisi fuissent contemporaneae, tum, quod *Judae* tribus eo in cantico nulla facta sit, aut in laudem aut vituperium, mentio inter eas, quae re-

 prehen-

prehenduntur vel celebrantur: cujus alia reddi nequit aptior ratio, ac quod Juda sibi eo tempore metuendum habuerit a Philistaeis. Nec obstat series sermonis, qua casus novae adflictioni Cananaeorum, et victoriae Baraki praemittitur c. IV: 31. quia iste versus conspectum gerit parenthesios, ab alia manu insertae, cum vers. *primus* cap. V. manifeste cum vers. 30mo cap. IV. cohaereat. Ceterum Samgar non est *Judicibus* Israelis, sic proprie dictis, adnumerandus, sed casus fuit extraordinarius et transitorius, licet ea clade, accedente in primis victoria a Cananaeis reportata, Philistaei fuerint aliquandiu ab Israele infestando absterriti. Patet id, quod dixi, non ex eo tantum, quod casus narratio sit abrupta, ad seriem historiae Judicum non pertinens, sed et ex ipso textu: quo habetur, *servavit etiam ipse Israelem.* h. e. Et ipse, licet in classem Judicum non relatus, nec in historia Judicum memoratus, singulari facinore suo meruit *Liberatoris* nomen et elogium.

§. CCCLV. *Tertia* vicissitudo est servitutis Cananaeae per Jabinum regem, ejusque ducem Siseram Jud. IV. Quorum *ille* residebat in Chatzor, urbe vicina paludi Samochonitidi, in septentrionalibus Cananaeae partibus, Jos. XI. *hic* vero castra habebat in *Charoseth Gentium*, ut Israelem inde commodius continuo vexaret, et opprimeret, qui locus est in eadem tribu Naphtali, forte magis versus austrum. Josua Jabinum quidem devicerat, et urbem deleverat, sed ex ejus *posteris*, eodem nomine adpellatus, regnum recuperaverat, urbe etiam instaurata. Extendit autem hoc tempore dominium suum latius, fortissimum nactus ducem Siseram, sed et Israelitas oppressit, sive vindictae litans, quod Israelitae olim sub Josua terras illas invaserint, et nuper Danitae Laisum occupaverint, ibique sedes fixerint, sive ambitione dominii dilatandi ductus. Expilavit autem Israelitas, non tantum tributis et exactionibus, sed et latrociniis ac depraedationibus Jud. V: 6. Quo fini castra posuerat in loco modo memorato Sisera. Hoc misero in statu Deus Israeli succurrit per Deboram et Barakum, illam prophetica, hunc judicis dignitate insignem. Debora,

ra, uxor Lappidotis, vel mulier Lappidotensis, incertum enim est, sitne viri an loci nomen, munere fuit *Propheta*, et qua talis Barakum constituit Judicem, vel Servatorem Israelis. Sed et dono prophetico gavisa, insignem populo, in adflicta hac reip. conditione, praestitit utilitatem, summamque nacta est autoritatem, *judiciali* quoque officio fungens: non acsi ea praedita fuisset potestate, aut ad judicum, proprie sic dictorum, classem pertinuisset, sed quatenus in perturbata civitate ad eam, tanquam divinitus inspiratam, sapientiae ac probitatis plenam, instar oraculi alicujus, undiquaque confluxerint, quod verba vers. 4 et 5. clare indicant, et titulus matris c. V: 7. confirmat; conf. 2 Sam. XX: 18, 19. Quo fini sub *palma Deborae*, ab ipsa denominata, sedit, inter Rama et Bethel, in confiniis Ephraimi et Benjaminis, sive haec patria ejus sedes fuerit, sive sedem ibi fixerit, majoris securitatis ergo, cum locus a Cananaeis esset remotior. Cujus autoritatis signa quoque dedit, in evocando Barako, ipsique partibus *vindicis* Israelis demandandis, mandatisque instruendo ipsum, promisso auxilii Dei, ac victoriae, addito, una cum vaticinio de Sisera a muliere occidendo.

§. CCCLVI. In historia victoriae, non sine claris Divini auxilii signis, in cantico Deborae obviis, de Sisera reportatae, animadversionem in primis meretur audax Jaelis, uxoris Cheberis, facinus, quo Siseram fugientem, amice primum exceptum, sive vere et ex animo benevolo, sive simulate, quod dubium aliquatenus est, mox singulari modo, somno sopitum, occidit. Fueritne illud ejus facinus justum, an injustum? quaeritur. Nihil periculi in Jaele damnanda foret, si Debora in Cantico eam non laudasset. Quare statuendum est, vel Deboram aut proprio motu laudasse, aut ipsum tantum facinus, non principium, ex quo fluxit, in oculis habuisse, uti cum dici solet, *proditionem amo, proditorem odi*; vel Jaelem nihil admodum culpabile commisisse. Quod posterius admitti nequit, ut videtur, nisi divinus jussus, aut inpulsus locum habuerit; ut statuunt Interpretes passim. Forte pacem, inter

Jabinum et domum Cheberis, cujus meminit historia, multis violaverat modis Sisera, dux supremus exercitus, et primarius regni gubernator, seseque eo nomine dignum fecerat, quem mala morte mulctaret Jael. De quo forte quid conjicere licet ex cap. V: 6. unde liquet, publica latrocinia exercuisse Siseram, nec ipsam Cheberi domum fuisse inmunem, aut tutam: quo jus censere potuit Jael sibi esse natum, hunc latronem, tanquam omnium hostem, quovis modo e medio tollendi. Mentio itaque *pacis* inter Jabinum et Cheberum fit vers. 17. ut, quare Sisera ad ejus tentorium diverterit, ratio reddatur, simul insinuetur, pacem eam violatam jus dedisse Jaeli Siseram obtruncandi. Deinde eum in initio benigne tractavit Jael, ut ostenderet, se nihil paci fecisse contrarium, ipsi vero tacite eam violatam, et latrocinia patrata, exprobraret; denique occidit, tanquam communem et publicum hominum hostem, a quo omnes sibi metuere debeant, cum, quod Israelem, qui ipsum non laeserat, tam inmaniter tractaret, tum, publica ubique instituerit latrocinia. Sisera utique in hac historia, tanquam unicus, vel praecipuus, omnium malorum autor occurrit; quare in cantico Deborae c. V: 27. eximie epitheto שדוד insignitur, quippe quod ibi, ut et Jer. IV: 30. et alibi virum designet, spiritu et virtute vastandi insuperabili plenum: uti ad Jer. l. c. observavi.

§. CCCLVII. Hac ratione finita est Cananaeorum, seu Phoenicum, qui eo nomine proprie insigniti sunt, ad mare Mediterraneum habitantes, et ex Canaane orti Gen. X. oppressio, postquam annos duraverat *viginti*; c. IV: 3. Continuavit vero Israel in statu libertatis, et pacis ann. 40. cap. V: 31. Cum inter Chronologos controvertatur, sintne hi servitutis et quietis anni in chronologia Judicum constituenda seorsim putandi, quae communior est hypothesis, an cum quiete 80 annorum sub Ehude conjungendi, eaque ratione catalogo annorum expungendi, quae Marshami est opinio, quaestio illa, antequam in historia pergam, tractanda est et decidenda. Plausibilis quidem est, ut videtur, Marshami sententia, in primis

quod

quod ad chronologiam Judicum cum totius periodi annis, 1 Reg. VI. consignatis, conciliandam videatur necessaria, fierique posset, ut Israel trans Jordanem a Moabitis liberatus, eo ipso in statu fuerit a Cananaeis cis Jordanem, ac in septentrionali tractu, infestatus. Sed, re adcuratius pensitata, et periodi totius annis suo loco relictis, uti decet, eam missam esse faciendam, et hos annos servitutis Cananaeae, eamque secutae quietis, non esse superiori intervallo quietis sub Ehude adjungendos, tanquam contemporaneos, sed subjungendos, et seorsim numerandos, cum aliis statuendum esse vidi, his motus in primis rationibus, quas breviter tantum in medium adferam. 1. Phrasis, *quievit terra sub Ehude* 80 *annos* c. III: 30. mihi pati non posse videtur, Israelem eo ipso tempore fuisse tam gravi adflictioni ac servituti, per 20 annos, obnoxium. Generalis enim est phrasis, nec de hac illave Israelis terrae parte, sed de tota capi debet, ac constante usu suo solet. 2. Ipsa narrationis series, servitutem Cananaeam post annorum 80 quietem sub Ehude contigisse, omnino requirit: cap. IV: 1. Cum enim historicus dixisset, terram tot annos sub Ehude quievisse, subjungit, Israelem denuo a Deo defecisse, et in novam propterea incidisse servitutem Cananaeam. 3. Probabile non videtur, Israelem, vivo adhuc Ehude, tam strenuo duce, aut a Deo adeo descivisse, aut a Cananaeis oppressum esse, aut per novum ducem liberatum; cujus nullum in tota hac historia Judicum prostat exemplum. In vivis autem, toto tempore quietis 80 annorum, fuisse Ehudem, ex c. IV: 1. manifestum est. 4. Denique, cum scopus autoris libri Jud. sit *chronologiam* in primis contexere, ut supra observavi, et ex multis patescit indiciis, annos utique oppressionis Cananaeae, et eam secutae quietis, vel tam adcurate non notasset, ut pote nullius usus in Chronologia, vel de hoc synchronismo monuisset, quod non fecit.

§. CCCLVIII. *Quarta* servitus est Midianitica, quae *septem* duravit annos c. VI: 1. brevior quidem reliquis, sed et gravior, quae, si longior fuisset, Israelem vel perdidisset, vel ter-

ram coegisset deserere. Cujus ut aliquam dem clariorem notitiam, simul ejus descriptionem, quae vers. 2—6. occurrit, illustrem 1. notari velim, vers. 2. sensum non esse, Israelitas *speluncas*, *antra* et *arces* pro sedibus suis perpetuis sumsisse, sed eo certis temporibus, quibus hostes terram solebant invadere, confugisse, prae metu et violentia hostium. Mox enim refertur, Israelem agros suos fuisse solitum *serere*, nec hostes continuo, sed tempore *messis* terram ejus insedisse ad aliquod tempus, donec omnem proventum spoliarint aut corruperint, simul pecora secum sumsisse, aut perdidisse. Phrasis, ותעז et *praevaluit*, *duroque inperio pressit manus Midianitarum*, significat, Israelem non tantum resistere non potuisse, sed et durissime fuisse tractatum, ita ut in urbibus et pagis, seu sedibus suis ordinariis, manere non fuerint ausi, sed latibula et munitiora quaesiverint loca. Rad. enim עזז *fortitudinem* non tantum, sed et *asperitatem*, ac duritiem denotat, unde עז *capra*, a pilorum asperitate, et apud Arab. de dura, et rigida tempestate sumitur. 2. Oppressio vero, vers. 3—depicta, in eo fuit in primis sita, quod si contingeret, uti solebat, ut Israel agros suos conseruisset, Midianitae, ad orientem Moabitarum siti, cum sociis Amalekitis, ac Arabiae desertae incolis, qui filii *Orientis* adpellantur, homines *scenitae*, pastoritiam ac latrocinalem degentes vitam, de quibus postea exponam, ingente multitudine, tempore messis, una cum tentoriis et gregibus intrarint agros Israeliticos, eosque partim depasti fuerint, partim corruperint et conculcarint, partim armenta et greges diripuerint, dum Israelitae sese in occultis tenerent. Qua ratione cum terra Israelis, ab ortu ad occasum usque Gazam, egerunt, et populum ad summam redigerunt egestatem et miseriam. Ceterum latibula, in quae se abdiderunt, vers. 2. adpellantur, 1. מנהרות *cavernae*, φάραγγες; proprie cavernae fluvio exesae et excavatae, a נהר fluxit, ut Lat. *caverna* a cavando, Gr. φάραγξ seu *scissa terra*, unde ad omnes transiit cavernas, hic ad *montes* restringitur, et a specubus distinguitur. 2. Secunda enim vox מערות *speluncas* signat, a rad. עור proprie

prie in depressam, cavamque, terram altius depressus fuit, 3. מצדות proprie denotat ardua loco in petris et rupibus; quae junguntur, Jes. XXXIII: 16. Ps. XVIII: 3. Job XXXIX: 31. a rad. צוד *venari* in locis arduis, quae perfugii loco erant.

§. CCLIX. Hoc in rerum statu, tandem angustiis pressi Israelitae ad Deum clamarunt, sed responsum per prophetam aliquem tulerunt, hisce malis ipsos ob ingratitudinem erga Jehovam, et defectionem ab ipso ad idola, juste premi: quo simul indicatur, liberationem non, nisi se ad Jehovam convertant, esse exspectandam. Quo praestito, licet conversionis expressa non fiat mentio, Liberator, scilicet *Gideon*, a Deo ipso fuit electus, ac solenniter quasi inauguratus, uti narratur c. VI: 11. Quae cum illustrior sit pericopa, quam ut intacta praetereatur, eam aliqua luce, cujus adhuc indiga est, perfundam, sed per unum alterumve tantum observatum. α. Primum est, inter Angelum, qui sub quercu sedens adparuit Gideoni, et Jehovam, qui v. 14—17, et 22, 23. in scenam producitur, esse distinguendum, ut recte advertit Schotanus vir Clar., in Biblioth. S. tom. II., secus ac vulgo putatur. 1. Nomina Jehovae, et Angeli Jehovae, nimis adcurate et studio distinguuntur, quam ut eadem intelligi possit persona. Angelus Jehovae adpellatur v. 12. et ipse de Jehova in tertia persona loquitur; praeterea v. 14. Jehova adparuisse ei dicitur, qui prima utitur persona: ita in reliquis. Potest quidem nomine Jehovae insigniri Angelus Jehovae, ut alibi fit, sed non in ejusmodi serie, ubi nomina tam solicite distinguuntur. 2. Posteaquam Angelus sese manifestum fecerat Gideoni, et cum ipso locutus fuerat, Jehova ad Gideonem respexisse, ipsique populi liberandi provinciam demandasse traditur, v. 14. claro indicio distinctarum personarum. 3. Angelum in principio pro homine, vel propheta habuit, uti ex epulo, ipsi instructo, et v. 22. adparet, sed Jehovam, secum colloquentem, mox agnovit, tantum signum ad majorem adseverationem requisivit v. 15. 4. Imo, Angelo e conspectu ablato,

cum Jehova loqui perrexit, v. 21, 22. Nec 5. obstat, quod sermo ad Jehovam videatur continuare v. 18. etc. qui tamen ad Angelum est directus, quia Gideon Jehovae illud munus offerre intendit, in usum hujus viri Dei, cum cujus praesentia connexa erat ipsius Jehovae. Petit ergo, ne Deus discedat, donec munus paraverit, a viro illo consumendum, quippe cui adjunctam putabat adparitionem Dei, cum Angelus sese ei, una cum symbolo praesentiae Jehovae, manifestum fecerit.

§. CCCLX. Adparuit utique ei, praeter Angelum tanquam virum, ipse Jehova, sive externo praesentiae solito symbolo, in columna nubis et ignis, sive alio modo, plane ut Josuae Jos. V: 13.—cui praeter Angelum ipse Jehova sese obtulit, quocum hoc visum comparandum est. Ceterum, Angelus symbolicae praesentiae Dei adjunctus videtur, ne quis ad id obhaerescat, *a*. ut Gideonem de praesentia Dei admoneret, uti fecit v. 12. *Jehova tecum* est, *ô heros* fortis, h. e. Jehova tibi adest praesens, sicut tibi in opere, quod tibi injunget, aderit, quare mox adloquium Dei subjungitur, v. 14. *b*. ut Gideoni signum praesentiae Dei exhiberet, et de auxilio Dei certiorem faceret, quo miraculosa muneris consumtio tendit, v. 21. de quo mox *c*. ut se Angelum Jehovae illum, et ducem exercitus Dei, comprobaret, et tanquam talem sese nunc adesse, ut populum liberet. Quo ipso scopo sese Josuae quoque manifestavit Jos. V. Denique *d*. ut sese *intercessorem populi* exhiberet, suaeque intercessioni liberationes populi esse acceptas ferendas, significaret, quo etiam oblatio muneris, Jehovae facta, et ab ipso accensa, tendit. Ex quibus omnibus, ut id obiter addam, elucescit, non creatum, sed increatum fuisse Angelum, ipsum Dei filium, titulo Angeli Jehovae insigniri solitum, adparuit enim una cum symbolo praesentiae Dei, quod ei proprium est, simul potentiam divinam, in igni a rupe eliciendo, comprobavit, seseque in munere offerendo praestitit *intercessorem* populi.

§. CCCLXI. *β*. Secundum circa *scopum* miraculosae muneris

ris rupi impositi consumtionis versatur. Gideon illud paraverat, a viro quidem consumendum, sed in honorem Dei, et ut aliquod a Deo impetraret signum; ut ex dictis, et nexu cum v. 17. colligitur. Angelus vero in eum usum et scopum illud vertit, non comedendo, sed igni in honorem Dei, instar sacrificii, consumendo. Ex quo de scopo, et sensu quoque mystico, judicandum est: de quo paucis absolvam. 1. Eo collineavit, ut, quod mox in oculos incurrit, Gideoni signum praesentiae Dei, quod expetiverat, praeberetur. 2. Favoris Dei erga Gideonem et Israelem publicum ederetur testimonium; quale in igne, sacrificium absumente, esse solebat. 3. Adfine est, Gideoni hoc signo fuisse ob oculos positum, eum ad magna esse destinatum, et liberatorem fore populi, cui Deus, rupes populi, adesset, quique miraculosum hostium excidium, instar ignis, efficeret. 4. Nec remotum est, Gideoni intimatam hoc signo fuisse cultus Dei et sacrificiorum instaurationem, abnegata idololatria, tanquam causam liberationum a foedere Dei repetendarum, quo etiam praeceptum tendit de Deo offerendo, et non Baali v. 26. 5. Denique intercessioni hujus Angeli acceptum esse ferendum, quod Deus tantopere faveat populo, ipse enim tanquam sacerdos, Deo offerens, hic occurrit. Quo cum 6 cohaeret, *fundamentum* omnium liberationum et beneficiorum populo concessorum, et concedendorum in sacrificio, suo tempore ab hoc Angelo offerendo, situm, expingi. De quo vid. Cl. Vitringa obs. s. l. IV. c. 15.

§. CCCLXII. Gideon filius Joasi Abi-ezeritae, e tribu Manassis, chiliade seu familia nunc minus celebri, c. VI: 11, 17. divinitus electus Judex et Servator, mox jubetur nocte sequente primum heroici animi, et destinationis suae ad illustre ac arduum hoc munus, specimen edere, in altare Baalis destruendo, una cum *luco* juxta illud, vel *imagine* Astartis super illo (utrumque enim significare potest vox אשרה, sed prius verisimilius, cum *Baalis* adpellatur altare) et Jehovae altari exstruendo in summitate *arcis* in *castris*, et in eo offerendo *juvencum bovem*, non *anni*, aut *duorum*, sed *septem*, quot annis

 jam

jam erat adſervatus pro Baale. Quod cum, 12 adjunctis ſociis, animoſe eſſet exſecutus, re vulgata, ad necem poſtulatus a zelotis civibus idololatricis, a Patre defenſus eſt, qui indignum eſſe declaravit, pro Baale litigari, qui pro ſe non poſſet. Lite hac ratione ad ipſum Baalem remiſſa, non ſine illuſione ejus, Gideon cognomen *Jerubbaalis* nactus eſt: c. VI: 32. h. e. *litiget cum eo Baal;* pro quo Jerubbeſchet 2 Sam. XI: 21. *litiget pudendum*, in majorem idoli contemtum. Sed quo ipſo indicatur, eum in hac cum Baale lite fore ſuperiorem, ejuſque deſtructorem, ut jam demonſtraverat. Quo etiam tendit *Jerubbeſchet* idolum pudore confundendum et proſtituendum.

§. CCCLXIII. Quibus peractis cum Midianitae, eorumque copiae auxiliares Amalekitarum et Arabum, Jordane trajecto, caſtra in valle Jetſreel, ad ſeptentrionem dimidiae tribus Manaſſis ad occaſum Jordanis, variis praeliis famoſa, poſuiſſent, ut pro more terram quaquaverſum depopularentur, Gideon, exercitu ex Manaſſe, Aſer, Zebulon ac Naphtali collecto, caſtra quoque metatus eſt in eadem valle e regione hoſtium. Ubi hoc occurrit ſingulare, quod ſeptentrionales tantum convocatae fuerint tribus, nullae ad meridiem ſitae. Cujus rei ratio in obſcuro eſt. Forte bellicoſiores fuerunt habitae, quales ſeſe tempore Deborae demonſtrarunt: forte etiam hoſtes ſeſe meridiem magis verſus, quam ſeptentrionem extenderunt, in populationibus ſuis, ut ex c. VI: 4. Ubi ad Gazam uſque leguntur progreſſi, colligi poteſt. Tribus itaque auſtrales nimium erant adflictae, ſeſeque in latibulis continebant ac munitionibus tempore invaſionis. *Signum*, quod altera vice a Deo petiit, dum in motu cum exercitu erat, et a loco caſtrorum prope aberat (eo enim tempore ſupplicaſſe, ex nexu cum ſeq. ac praeced. patet, utique verba ultima verſ. 35. *et adſcenderunt in occurſum eorum*, motum contra hoſtes ſignificant) non tam ſui, quam ſociorum cauſa, ut et illi corroborarentur, erat non *velleris* lanae, ſed ſectae ac *detonſae* lanae, uti vox גז docet, pro defecto gramine uſurpata Am. VII: 1. Pſ. LXXII: 6. primum *rore* madidae, terra ſicca relicta, dein *ſic-*

cae

tae terra *rorata*. Quo quid ſibi voluerit ſigno, non eſt explicatu tam facile, niſi quod in genere voluerit, aliquo ſigno certiorem fieri populum de Iſraele nunc per Gideonem ſervando. Forte, ut mentem obiter exponam, eo tantum tendit duplex miraculum, ut, bona et mala, quae Iſraeli, per *lanam ſectam* figurato, per vices eveniunt, a Jehova eſſe, et non caſu, aut ab idolis, pateſceret. *Prius* autem eo in ſpecie videtur collineaſſe, ut Deus ſibi propoſitum eſſe *rore* caeleſti nunc Iſraelem inbuere, hoſtibus repreſſis, adeoque eum liberare, ſuaque beare benedictione, declararet: *poſterius* vero eo, ut, duraretne ea felicitas Iſraelis in perpetuum vel longum tempus, nec ne? exploraretur. Quod cum nimis videri poſſet curioſum, non, niſi irae Dei praemiſſa deprecatione, petiit. Oſtendit vero hoc ſignum, viciſſitudines illas non ceſſaturas, populum itaque in ſimiles calamitates, per *ſiccam* lanam expictas, poſtea quoque delapſurum eſſe.

§. CCCLXIV. Caſtris utrimque poſitis, exercitus Gideonis, ex 32 millibus conſtans, inminuitur primo ad 10 millia, et mox ad 300, ut ex paucitate manus Dei illuſtrius adpareret, et populo omnis anſa gloriandi eriperetur, c. VII: 2—8. modus vero exercitum minuendi duplex narratur, *prior* uſitatus et lege praeſcriptus, *alter* prorſus ſingularis. *Prior* enim fuit in dimiſſione *timidorum*, ſecundum legem Deut. XX: 8. Ubi illud mirum videtur, quod tot fuerint *pavidi:* forte, ſi terror non fuerit divinitus inmiſſus, ut exercitus inminueretur, hoſtium tanto numero conſpectus animos plurimorum fregit. Sed quid ſibi vult, quod timidus jubeatur abire confeſtim מֵהַר *de montano Gilead*, verſ. 3. cum montanum illud trans Jordanem, et exercitus in valle Jetſreel fuerit? Mihi, ut ambages amputem, nihil aptius videtur, quam ut, aliis punctis ſubſtitutis, legatur מַהֵר *cito*, ut ſit, *aviculam agat feſtinanter Gileadum verſus*. In qua mea conjectura confirmor conſenſu Cl. Scheidii, in Schediaſm. Philolol. p. 156. Alter modus eſt a ſitu corporis ſumtus inter bibendum, ſive ſtando *manu*, inſtar ca-

 nis,

nis, sive procumbendo, ore admoto ad aquam, sine manu aut vase, toto corpore super genibus incurvato: quod proprie verbum כרע exprimit. Sitne *caninus* bibendi modus signum promtitudinis, et *procumbere* ignaviae, an *ille* trepiditatis, ut in proverbio, *canis* e *Nilo*, *hic* securitatis et intrepiditatis, secum dissentiunt Interpretes, et vere dubium est. Posterius si placeat, Deus, qui antea dimiserat timidos, eos nunc elegisset, ut auxilii Divini illustrior esset demonstratio. Quod Jos. Ant. V: 6. adoptavit. Sed unde nunc eorum timiditas, antea non observata? Prius si statuatur, hoc signo demonstravit Deus, se alacres velle, non ignavos; canes festinos, et non tarda jumenta. Quod forte est probabilius; nec aliud hic spectandum.

§. CCCLXV. Cunctis ad congressum paratis, Gideon novo signo de victoria certior redditur, ex ipsis hostibus orto, quod somnium unius eorum praebebat, *panis* scilicet *hordeacei*, cum ingente *strepitu* tentorium susque deque vertentis (id enim vox צליל denotat, a rad. צלל proprie *tinnuit*, sonuit cum tinnitu ferrum, et non, ut putatur, *tostum*, quod est צלי) ejusque interpretatio ab altero eorum data de *gladio Gideonis*: quod sine peculiari Dei directione fieri non poterat, et simul hostium trepidationem designabat: respicitur ad *strepitum*, quo hostium castra per buccinas et lagenarum confractionem, conturbarunt Gideonitae. Symbolum autem *panis hordeacei*, sicut vilitatem medii, quo Deus uteretur, ita paupertatem simul Israelis repraesentat: imo hostibus ob oculos ponere poterat, se populationibus suis cladem suam acceptam ferre debere.

§. CCCLXVI. Victoriae, de hostibus reportatae, modo singulari et miraculoso, non vi, sed arte, et buccinarum clangore, lagenarum confractione, et facium productione, addito clamore *pro Jehova* et *Gideone*, quibus hostes territi, et in furorem acti, in se invicem irruerunt, narratio vers. 15—22. hunc in modum est digerenda et intelligenda. Cum Gideon, sociis in tres turmas, seu centurias, divisis, mandata dedisset,

ipse

ipse mox media vigilia, cum positi essent custodes in castris hostium, adeoque alta nocte, *buccinavit* cum sua turma, et *lagenas* fregit; quod reliquae turmae mox imitatae sunt. Quo facto, dextris *tubas*, et sinistris *faces* praeferentes, clamorem sustulerunt, *gladius Jehovae* et *Gideoni!* simul castra, quam late poterant, cinxerunt. Quando mox secuta est castrorum trepidatio et confusus concursus, sicut in tenebris et consternatione adsolet; quod vers. 21. dicitur, וירץ et *quatierunt* ac *concursarunt tota castra;* rad. enim רוץ proprie est, *quatere terram*, et inde *currere*. Qua in castrorum trepidatione, denuo *jubilarunt* Gideonitae, et *fugarunt* solo jubilo. Verba enim ultima vers. 21. *et jubilarunt*, et *fugarunt* de Gideonitis capienda sunt, et non, ut vulgo fit, de hostibus; quippe quod et *jubilare*, et ויניסו in Hiph *fugarunt*, edocet. Lectio enim textualis, et non marginalis ינוסו *fugerunt*, sana est. Hostibus in fugam conjectis, tres turmae iterum una clanxerunt buccinis, quando tanto correpti sunt terrore ac furore, ut se mutuo invaserint ac trucidarint, fugamque praecipitarint usque ad ripas Jordanis, vers. 22. ubi not. השטה eundem esse locum, qui alias בית-שאן *Betschean* et *Schytopolis* adpellatur. in tribu Manassis, prope Jordanem, praeterea צררתה esse צרתן Jos. III. 1 Reg. IV: 12. VII: 46. a צרר *stringere*, *instringere*, ad metallorum conflationem relata significatione. Nomina quoque *Bet schean*, *bet-schata* et *schytopolis* ejusdem sunt significationis ac originis, in *spinarum* genere, quibus locus abundabat.

§. CCCLXVII. Consequentia illustris hujus victoriae memorantur, nostra animadversione digna, haec quatuor. 1. *Primum* est hostium persecutio a sociis non tantum Gideonis, sed et in primis ab *Ephraimitis*, a Gideone in specie ad id evocatis, qui, jussu vel suasu Gideonis, totum tractum Jordanensem usque ad Bethabaram, notissimum trajectum juxta Hierichuntem, occuparunt, (pro בית-ברה enim legi debet בית-עברה *domus*, vel locus *transitus*, uti Joh. I: 28.) praeterea hostes insecuti sunt *trans Jordanem*, ducesque Zeeb et Oreb cepe-

runt et occiderunt: uti ultima verba verf. 25. docent; ubi capita ducum dicuntur ad Gideonem adtulisse *ex*, vel *de*, *trans Jordanem;* ut verba sunt vertenda. 2. *Secundum* continet altercationem Ephraimitarum cum Gideone, quod non antea fuerint ab ipso convocati ad praelium cum Midianitis, sed prudenter a Gideone sedatam: cap. VIII: 1—3. Contigit non, ut nonnulli opinantur, post confectum bellum, sed ante transitum Gideonis ad tractum Transf-jordanensem, et regum Midianitarum profligationem, *cum*, quod postea demum trajectus Gideonis, et reliquiarum belli profligatio, narretur, *tum*, quod tunc dicere non potuisset, *racemationes* Ephraimi esse *potiores;* nam et ipse tunc jam *racemasset*, reges Midianitarum capiendo. Erroris ansam praebuit, quod ex c. VII: 25. male collegerint Gideonem jam rediisse ab ortu Jordanis, cum Ephraimitae soli id fecerint. Ceterum cum Gideon facinus Ephraimitarum suo praefert, respexit quidem ad victoriam, sola ope Divina, sine sua virtute factam, cum Ephraimitae suam ostenderint virtutem bellicam, attamen simul, licet tacite, ipsis *ignaviam* exprobrat, in non adcurrendo ad bellum cum Midianitis, quod ipsis non poterat esse ignotum. Quam emphasin habet simile *racemationis* post messem, quae pauperibus et perigrinis solebat relinqui.

§. CCCLXVIII. 3. *Tertium* consequens situm est in regum Midianitarum *Zebachi* et *Tsalmunae* subactione, ac reliquiarum belli profligatione trans Jordanem, una cum singulari casu Gideonis cum civibus Succoth et Phenuel c. VIII: 4.—non omnibus, licet *viri* Phenuelis adpellentur, sed *principibus* et praecipuis eorum, nam *viri* Succoth et *principes* alternantur, verf. 8. coll. 6. nec probabile est, Phenuelis cives fuisse aliter a Gideone ac Succothitas punitos. Castigavit autem eos per spinas *deserti ac tribulos*, (sive *lacerando* carnem, si verbum דוש retineatur, quod proprie dicit *triturare*, ut figurate capiatur pro spinis carnem ita adfligere, seu discerpere, sicut frumentum tribulis ferreis solet, sive, si ויֹּדע legatur, uti in minarum executione, v. 16. *poenam* sumendo exemplarem; quam

quam emphasin habet ירע Hos. V: 9. Ps. LXXXIX: 19. CXXXVIII: 6. Job XXI: 19.) et turrim Phenuelis diruit: quae poena non erat crimine gravior, cum hostiliter et inhumaniter admodum egissent cum Gideone, hostes Israelis persequente. Ceterum, ubi vers. 13. Gideon, hostibus trucidatis vel captis, rediisse traditur ab *adscensu* החרס *Cheres*, de *ortu solis* cum Interpretibus non est cogitandum, ipsa phrasi repugnante, sed de loco, eo nomine insignito, in monte sito. Est autem idem ac קיר־חרש, et קיר־חרשת 2 Reg. III: 15. Jes. XVI: 7, 11. denotat autem nomen *urbem solis*, et *adscensus Cheres* idem est ac *adscensus Luhithae* Jes. XV: 5.

§. CCCLXIX. 4. *Quartum* denique comprehendit *dominium haereditarium*, Gideoni a populo oblatum, sed ab ipso recusatum, et ejus loco monumentum victoriae ac dignitatis suae, ex spoliis hostium, in urbe patria erectum, postea pro idolo ab Israele habitum, c. VIII: 22. Qui casus, valde notabilis, ut in vero suo conspectu collocetur, observari velim, populum muneris judicialis continuationem in domo Gideonis non simpliciter intendisse, sed formam regiminis Theocraticam, ac liberam, commutatam cum Monarchica et servili voluisse, uti ex verbo משל *dominari*, et recusatione Gideonis, ratione a Theocratia petita, cui non *Judicis*, sed Regis ac Domini munus et dignitas adversabatur, manifestum est. Ex quo simul elucescit, populum ad Deum minus, quam Gideonem respexisse, et huic magis quam Deo adtribuisse liberationem; adeoque haud una ratione graviter deliquisse, Gideonem vero per recusationem suam prudentiam et pietatem demonstrasse.

§. CCCLXX. Sed quid sibi vult *amiculum* illud aureum, e spoliis populi confectum, quod *Ephod* adpellatur? mihi, missis aliorum opinionibus, Gideon nihil aliud videtur in animo habuisse, quam ut publico constaret monumento *a*. victoriam illam, et liberationem populi, esse a Gideone, sub *auspiciis* Jehovae, profectam. *b*. Ipsum tanquam virum divinum et Judicem, cui Deus se revelavit, quique in munere Judicis integre et perite exercendo fuit versatus, instar viri, qui ora-

cula Dei promulgavit, fuisse agnitum et celebratum. Quae sicut *occasioni*, qua acciderunt, recte et unice respondent, ita rationem *Ephodi* formati reddunt facilem. Cum *Dominum* ipsum vellet populus, ipse recusaret, officio Judicis contentus, hac occasione solum petiit, ut populus, publico erecto monumento, agnosceret, se non nisi sub *auspiciis* Dei liberasse populum, sed et verum ac dignum esse populi Judicem. Sicut itaque nimium a se removit honorem, ita debitum, et personae suae congruum, sibi deferri postulavit. Sine qua hypothesi ratio vix reddi potest, quare illud hac occasione petierit, quemque nexum *Ephodi* erectio cum regno ipsi oblato, et ab ipso recusato, habuerit? *Ephod* quoque hinc facilem, alias vix expediendum, nanciscitur explicatum. Si victoriae et liberationis signum in eo quaeratur, recte quidem illud fit, sed quare illud monumentum fuerit *Ephod*, quod plane singulare est, nondum innotescit. Sed si consideraverit *Ephodum*, tanquam insigne viri, cui Deus adest, quemque ipse *oraculum*, ac ministrum suum constituit, per quem voluntatem suam cum hominibus communicat, controversias in specie dirimit, et bellum gerendum declarat, rationem habes claram Ephodi confecti et erecti, in Gideonis personam egregie convenientem. *Ephod* enim, ut constat, proprie amiculum Pontificis denotat, *pallio* super inpositum, pectorali ejus recipiendo destinatum. Quod, λόγιον dictum, quia oraculum Dei habebat conjunctum, Urim et Tummim continebat, quo Pontifex, tanquam integerrimus, et divinitus inspiratus Judex designatus, et populo publice propositus fuit. Ephod autem hic tam late sumitur, ut pectorale cum Urim et Tummim includat, uti 1 Sam. XXIII: 9. et alibi. Qui cum verus fuerit Ephodi, et pectoralis, in Pontifice conspectus, quo indicatur, Deum eo tanquam oraculo esse usurum, quo in dubiis casibus, in specie ubi de bello gerendo agebatur, voluntatem suam significaret, Gideon, talem se esse personam, sese praestitisse, et in posterum praestiturum esse, ut populus publice testificaretur hoc signo, voluit. Quod vero ex *spoliis* hostium illud constare voluit,

, illud inde est repetendum, quod sese in hac liberatione :m gesserit, nec non divinum in ea fuerit signum, quo quam divinus est declaratus ac demonstratus *Judex.*

§. CCCLXXI. Nec tamen Israeli, et Gideoni hoc monuntum bene cessit, cum populus a vero ejus usu ac scopo civerit ad idololatricum, eoque ipso a Gideone, ejusque do›, abalienatus sit, beneficiorum ejus, et personae, quam gessit, jus rei monumentum erat Ephod, oblitus: vers. 2, Abusus proponitur verbis: *et fornicati sunt totus Israel post ipsum*, licet Ephodum, de quo agitur hoc versu, phrasis quoque, ita rpari solita, requirit. In eo autem haec fornicatio, scilicet ritualis seu idololatrica, videtur fuisse sita, quod Ephodum n amplius pro monumento *victoriae* ac liberationis Dei per deonem, divinum virum et judicem, ac signo praesentiae ei apud Gideonem, oraculum Dei et Judicem, habuerunt, d pro ipso *oraculo* divino, plane sicut *Teraphim*, adeoque o imagine, cui Deus aderat, et per quam oracula dabat. to etiam facit, quod *Ephod*, et *Teraphim* conjungantur Hos. [. tanquam oracula et instrumenta divinatoria. Accedit, hoc um monumentum fuisse ab Israele consideratum, tanquam icitatis ac prosperitatis causam, plane ut Teraphim respici lebant. Cum hoc idololatrico Ephodi abusu neglectus Gionis, ejusque domus, conjunctus fuit, et inde ortus, vers. ;. Quo vers. 27. ultima verba existimo pertinere, *fuitque c Gideoni et domui ejus laquei instar;* quatenus consiliis hisce is, ad speciem salutaribus, illaqueati, et decepti, in multiplim inciderant calamitatem, cum aliter longe ceciderint, ac sis visum fuerit, et exspectabatur. Significatur itaque, Iselitas, hoc ipso occasionem prebente monumento, alieniores isse a Gideone, ejusque domo factos, et ab hoc idolo magis iam a Gideone, viro divino, coepisse pendere. Cujus inia forte vivo adhuc Gideone sese manifestarunt, ut ex eo lligi posse videtur, quod vers. 29. Gideon tradatur *domum am abiisse*, seseque ibi tanquam privatum detinuisse, scilicet,) finem vitae. Nec tamen, eo vivo, ad aliud idololatriae,

 genus

genus palam desciverunt; quod, eo mortuo, demum contigit, Sichemitis et Abimelecho autoribus, uti ex Sichemitarum idolo, ab Israele culto, liquere videtur. *Baal-berith* enim, vers. 33. memoratus fuit Sichemitarum Deus, ita adpellatus, ut videtur, a *foedere* cum Jacobo inito Gen. XXXIV. in cujus monumentum et signum hoc simulacrum erectum, et postea pro *Deo* cultum videtur, utique ejus Templum erat *Sichemi* c. IX: 4. Ceterum quievit terra sub Gideone 40. ann. c. VIII: 28.

§. CCCLXXII. Gideone mortuo, filius ejus naturalis, ex serva Sichemitica natus, Abimelech adpellatus, *regnum*, ope Sichemitarum, adripuit, illudque in 70 filiorum Gideonis caede fundavit: quod cum *tres* tenuisset annos, discordia inter ipsum et Sichemitas orta, ac in bellum civile erumpens, urbi excidium, et Abimelecho necem peperit, in utriusque justam poenam. Quae historia cap. IX. narratur: ad quam illustrandam nonnulla proferam observata. 1. *Primum* est, matrem Abimelechi, quae Sichemi habitavit, et *serva* Gideonis dicitur, vers. 18. origine non fuisse Israeliticam, sed Sichemiticam, ex antiqua Sichemi et Chamoris stirpe prognatam, licet, ut probabile est, proselytam, quae notabilem habebat Sichemi familiam, uti ex vers. 1 et 3. colligitur. Fundum observati praebet vers. 28. sine hac hypothesi de Sichemitica ejus stirpe, vix intelligendus. Gaal enim, magnae autoritatis vir, ut Sichemitas ab Abimelecho abalienaret, eum ab ea stirpe tradit esse prognatum, adeoque alienigenam, cui Israelitis indignum erat servire, Sichemi vero posteris unice congruum; his verbis, secundum meam versionem; *quis Abimelech, et quis Sichem, ut ei serviremus? nonne filius Jerubbaëlis*, et *praefectus* ejus *Zebul*? *servite vos, viri Chamor, patris Sichemi; quare enim nos serviremus ei?* Quorum sensus est, Abimelecho regnum in Israelem non competere, nec qua filio Gideonis, nec qua ex Sichemo oriundo: non priore de ratione, quia Gideon pro se et filiis renunciavit, Abimelech, qua Sichemita, illud rapuit, genuinis ejus filiis et haeredibus occisis; multo minus

posteriore

[redacted]

ofteriore homine, cum Sichemi posteris, non vero Israelitis, onveniat ipsi servire. Partic. את ante אנשי non est hic *ac-usat.*, sed *nominat.*, nota emphatica, ut alibi haud raro. Quo uam facit, quod familia Matris Abimelechi distinguatur ab raelitis, seu *viris* et civibus Sichemi, penes quos summa rei rat, vers. 2, 3, 26. et mater ejus fuerit *serva*, vers. 28. nec on simile *rubi*, vel *rhamni*, quocum Abimelech comparatur apologo Jothami, opposite ad arbores nobiles ac utiles, Is-aelitarum genuinorum emblemata.

§. CCCLXXIII. 2. *Secundum* habet, inter rationes, quae ichemitas ad Abimelechum eligendum moverunt, fuisse, *cum* lololatriam, de qua vers. 4. testatur, et cujus patronum sese effit Abimelech, in cujus signum ipsi concessa fuit pecunia *lolo* consecrata, *tum* Ephraimitarum aemulationem ac invidi-m, quam tempore Gideonis jam conceperant, necdum depo-ierant, Vid: cap. VIII. 3. *Tertium* est, Abimelechum, non olius urbis Sichem, sed totius tribus Ephraimiticae, nec non liquarum, cum ea tribu conjunctarum, regem fuisse, a Si-hemitis vero electum, quia ibi fuisse videtur totius tribus phraimi Senatus. Utique vers. 22. *Israeli* legitur *praefuisse es annos*, Thola quoque ipsi successisse, c. X: 1. Nec pro-abile fit, unam civitatem tale quid, reliquis invitis, ausam isse. Ex quo sponte sua elucescit, *Sichemum* pro communi tius tribus Ephraimi civitate esse habendam, in qua ejus erat onsessus, et supremum concilium, sicut sub Jeroboamo facta ft urbs regia, et sedes Regni. Robur accedit ex vers. 6. bi praeter *cives* Sichemi memoratur tota domus מלוא *Millo* . e. nobilium ac magnatum tribus, in ea urbe consessum abentium. Quam vocis potestatem ex Arab. ling. illustravit I. Schultens ad Gen. XLVIII: 19.

§. CCCLXXIV. 4. *Quartum*, ad Jothami apologum spectans, abet, sequentia per eum doceri, et animis Sichemitarum ac bimelechi inculcari salutaria monita. *a.* Israelem de regimi-is forma Monarchica introducenda minus sane judicasse, um non magis quam arbores ea indigeant, Dei quippe ductu

et gubernatione gaudentes, *b.* a viris piis et bonis, quibus regnum obtulit, repulsam tulisse, uti a Mose, Josua et Gideone, *c.* repulsam non in eo fuisse fundatam, quod onus illud detractarint, suaeque quieti ac voluntati noluerint renunciare, sed quod extra sphaeram suam ire, et virtuti ac pietati, qua Deo et hominibus placebant, nuncium recusarint mittere, uti debuissent, si in reges se super Israele, a Deo dependente, erigerent, et populum suae subjicerent curae ac arbitrio. *d.* Denique populum, hanc repulsam passum, se ad virum nullius frugis, sed nequam, simul alienigenam, contulisse, cum rhamno et rubo comparandum; unde nihil boni, omnia mala sint exspectanda etc. 5. *Quintum*, ad intestinum Sichemitarum bellum cum Abimelecho pertinens, c. IX: 25. est, expeditiones Abimelechi contra eos, hac ratione esse ordinandas: Sichemitae ab eo alieni facti per Gaalem, ut modo observavi, cum defectionis dedissent specimen in spoliandis ac hostiliter tractandis omnibus, qui ejus partes sequebantur v. 25. illud cum Abimelecho per Zebulem, urbis praefectum, fuisset nunciatum, ipse, expeditione in eos instituta, ingente eos in urbem repulit clade. Quo facto, Zebul, praefectus urbis, autores defectionis urbe expulit, eo scopo, ut Abimelechum placaret, et Sichemitis faventiorem redderet, eaque ratione ulteriorem urbis cladem averteret, qua spe cives erecti opera sua receperunt extra urbem, sed illud aliter cecidit. Irruit enim in Sichemitas bello renovato, urbemque cum turri delevit: donec vicinam urbem Tebetz adgressus necem suam repererit, lapide, de turri a muliere inmisso, ad mortem vulneratus, ab armigero occisus.

§. CCCLXXV. Abimelechi dominatu, qui oppressionis et adflictionis intestinae, ob idololatriam Israeli inmissae, ut ex c. VIII: 33. et ipsa historia Abimelechi patet, speciem praetulit, cum ejus morte, postquam *triennium* durasset, finito, Israelitae, ad meliorem frugem redacti, legitimum a Deo acceperunt Judicem, qui Rempublicam misere turbatam restituit, simul hostes, qui in ea rerum perturbatione populum ali-

quando

ndo infestasse videntur, repressit, *Tholam* e tribu Issaschar . X: 1, 2. De quo nihil aliud narratur, ac quod *servave-* populum, et per 23 annos egerit Judicem, sede fixa in ur- *Samir*, in montano Ephraim, quod sese per Manassem, ue ad Issascharem extendit. Urbs vero non fuit in tribu hraim, sed Issaschar, licet de situ nihil constet, quia in ea edit, et sepultus est, quod extra proprias sedes fieri non ebat. Tholam excepit in munere Judicis Jair Gileadita, annos 22 vers. 3—5. De quo nihil aliud traditur, quam od judicaverit Israelem, et potentissimam habuerit familiam 30 filiis, totidem urbes tenentibus, constantem. Quod ve- 30 pullis asininis dicuntur inequitasse, illud ad eorum dig- atem facit indicandam, Jud. V: 10. quare etiam additur, rum fuisse tot civitates, seu villas, quae *villae Jair* adpellari ebant, scilicet jam ab antiquo tempore, nec ab hoc, sed ge antiquiore Jairo, uti ex Num. XXXII: 41. et 1 Chron. 22. manifestum est; nec aliud hic dicitur, quam ipsas illas as hujus Jairis filios possedisse, quae illo nomine notae erant, l et illud hinc colligi potest, praefecturam ejus fuisse paci- m, ejusque mentionem, additis annis praefecturae, ab histo- o fieri, ut series judicum, ac chronologiae notitia, conve- nter scopo ejus, traderetur.

§. CCCLXXVI. Posteaquam per 45 annos sub duobus illis licibus pace gavisi erant Israelitae, denuo a Deo descive- t, et in novam inciderunt servitutem Ammoniticam per 18 ios, unde eos liberavit Jephta. Quae historia c. X: 6.— I: 1—17. narratur. In qua 1. sese generalis offert prolo- , historiae sequentium duarum oppressionum ultimarum, imoniticae et Philistaeae, praemissus, qui totalem populi de- tionem, indeque duplicem servitutem ortam, continet vers. 7. Cujus indicium est in his verbis vers. 7. *et vendidit in manum Philistaeorum ac Ammonitarum*, non simul et dem tempore, sed successive, uti ex seq. narratione, quae mmonitarum tantum meminit, et cap. XIII: 1., manifestum . Praemittuntur autem Philistaei, quia Ammonitarum histo-

riam persequi voluit autor; stylo satis usitato in Script. S. Vulgata quidem fert opinio, Israelitas uno eodemque tempore fuisse ab illis populis adflictos, sed quae se tueri nequit, quia nulla fit Philistaeorum mentio in seq. narratione, et phrasis, *vendere in manum*, non nisi de plena ac totali oppressione intelligi potest, qualis non fuit, nisi cap. XIII. memorata.

§. CCCLXXVII. 2. Sequitur mox in historia descriptio servitutis Ammoniticae, respectu *durationis* et *universalitatis* ac violentiae, vers. 8, 9. Duratio his verbis profertur v. 8. *hoc anno octodecim annis* h. e. ab hoc ipso anno, scilicet defectionis, per insequentes 18 annos; quae est facillima interpretatio, nec alia dari potest tolerabilis: *universalitas* denotatur vers. 9. modo advertatur, non unam unius anni expeditionem intelligi, sed varias, toto illo 18 annorum spatio factas. Verbum enim *transierunt*, morem et consuetudinem exprimit, pro *transire solebant*. 3. Enarrat porro historicus populi, nimis oppressi, clamores ad Deum, sed et objurgationem a Deo, vel ejus nomine a Propheta aliquo factam, denique conversi liberationem, ipsi promissam, vers. 10—16. In qua pericopa cum haud una resideat difficultas, quoad populorum, a quibus Israel jam antea fuerat a Deo liberatus, recensionem, eam verbo e medio tollam, cum ad historiam pertineat. Ordinis itaque ratione habita, et cum historia comparatione instituta. *a.* Ammonitae pertinent ad oppressionem Moabiticam, in qua partes habuerunt, c. III: 13 adeoque Moabitas una comprehendunt. Ammonitae vero expresse memorantur propter praesentem adflictionem Ammoniticam, ut populo insinuaretur, peccatis populi esse inputandum, quod Ammonitae eum nunc adeo adfligant, cum Deus jam antea ostenderit, quam facile ipsi sit eos reprimere. *b.* Philistaei ad tempus Samgaris referendi sunt. *c.* Tsidonii ad Cananaeos sub Jabine, quippe Phoenicios: ut supra vidimus. *d.* Amalek et Maon nos ad Midianiticam ducunt adflictionem, quippe quam Midianitae, cum Amalekitis et filiis Orientis intulerunt Jud. VI: 3. Quod

clarius

clarius fuerit, si pro מעון *Maon*, cum nonnullis Cod. LXX Interpr., legeretur מדין, vel מדין *Midian*.

§. CCCLXXVIII. Quarta narrationis pars praeparationes ad bellum ab utraque parte, Ammonitarum et Israelitarum, exhibet v. 17.—XI: 1—28. Quam pericopam uno alterove observato, ad historiam spectante, illustrabo. 1. *Primum* est, castrametationem Ammonitarum in Gilead, et Israelitarum in Mitzpa, vers. 17. per anticipationem memorari; cum id non fuerit factum, nisi postquam Jephta jam esset constitutus Judex, et legatio ad Ammonitas missa; *cum*, quod, si castra jam ibi ab Ammonitis fuissent posita, Israelitae ad Jephtam, in terra Tobi, quippe longius remota, degentem, vix commode et tuto ire poterant, *tum*, legati utique ad Ammonitas de pace censeri debeant missi ante susceptam expeditionem, *tum*, Jephta demum post frustraneam legationem copias collegerit, c. XI: 29. ne dicam, probabile non esse, Israelitas sine duce ausos fuisse castra in conspectu hostium ponere. 2. *Secundum*, ad Jephtae descriptionem c. XI: 1—4. pertinens, habet, eum ex foemina, vitae minus honestae, sive cauponaria, sive meretrice, sive utraque, uti vox זונה usu suo constanter denotat, qualis etiam Rachab fuit, et adpellatur Jos. II. a viro spectabili *Gileade* procreatum, et propterea a filiis Gileadi domo expulsum, in terra Tobi, in septentrionali parte tractus Transjordanensis, 2 Sam. X: *6*, 8. a terra Ammonitarum haud procul dissita, degentem, sese expeditionibus militaribus in Ammonitas, quo tempore Israelem oppresserunt, jam ante praestitisse celebrem, et propterea ab Israelitis ducem ac judicem petitum fuisse. Cujus haud obscurum, licet minus observatum, indicium est in vers. 4*to*, cum praeced. connectendo; quippe quo tempus notatur, quo expeditiones militares Jephtae, cum turma virorum audacium, factae fuerunt; scilicet, quando Ammonitae Israelitas hostiliter tractarunt: verba ita habent, *et factum est* (scilicet quod modo de expeditionibus Jephtae relatum erat) *a diebus*, *quibus bellum gesserunt filii Ammon cum Israele.* Eo itaque ipso tempore, durante hoc

 bello,

bello, Jephta, collecta virorum, qui nihil pensi habebant, seseque periculis quibusvis, instar *insanorum*, exponunt (tales enim ריקים adpellari solent, a rad. *salivavit*, salivam emisit, unde ad stultos, insanos, et sic ad temerarios et audaces transiit) turma, exercuit se latrociniis in terra hostili Ammonitarum; indeque nomen et famam viri *strenui*, et in arte militari bene exercitati, uti vers. 1. adpellatur, sibi acquisivisse. Quam ob caussam ab Israele, de duce deliberante, et non qualemcunque, sed *heroam* quaerente, uti ex c. X: 18. traditur, fuisse requisitum, solenni ad ipsum missa legatione in terram Tobi; cap. XI: 5. narratur. Virum non qualemcunque, sed heroa strenuum et bellicosum, fuisse requisitum, haec Gileaditarum verba, recte intellecta, indicant, c. X: 18. *quis vir, qui* יחל *solverit* se, *et* exposuerit periculo. Hanc enim emphasin praefert verbum חלל proprie *solvit*, unde inter alia *profani* fluxit significatio, quatenus nullis tenetur vinculis, sed cujusque permittitur arbitrio, unde variae formatae sunt locutiones: inter quas est, profanus ad mala et pericula, qui iis sese intrepide exponit. Quales viri c. XI: 3. ריקים adpellantur, ut modo observavi.

§. CCCLXXIX. 3. *Tertium*, circa Jephtae et *Israelis* consensum, solenniter firmatum, et divinitus approbatum vers. 8. habet, Jephtam munus oblatum acceptare noluisse, nisi postquam divinitus declaratus esset eo dignus per victoriam de Ammonitis, a Deo concessam. Voluit itaque divinam habere vocationem, seu adprobationem; qualis in legitimo Judice Israelis requirebatur. Quo etiam facit, quod *coram Jehova* in *Mitspa* illud omne peractum dicatur, vers. 11. *coram Jehova*, scilicet tanquam teste, et adprobatore: aliud enim illa phrasis saepe non dicit. 4. *Quartum*, ad legationem a Jephta directam ad Ammonitas, ut eos ab Israele invadendo abstraheret, spectans, est, Jephtam, rationem a longa possessione terrarum illarum ab Israele petentem, in oculis habuisse, cum annos possessionis memorat, longam praescriptionem, quae est 100 annorum ex jure vel more gentium, jam ter impletam.

De

De qua longa praescriptione vid. Grotius J. B. et P. l. II et III. Adfirmat vero Jephta, jam eo tempore, quo invasio Ammonitarum vel 18 jam annos durasset, vel potius incepisset, Israelem regiones illas possedisse 300 annos, c. XI: 26. Fluxerunt quidem a fine morae Israelis in deserto usque ad finem servitutis Ammoniticae, secundum nostrum calculum, in superioribus demonstratum, anni 363, et ad initium istius servitutis 345; sed Jephta, qua dux, exactam non secutus chronologiam, 300 annos, seu tria secula, vel numero rotundo usus, vel ad annos praescriptionis provocans, tria secula memorasse contentus, et ad scopum suum sufficere judicans, reliquos annos omisit. Ex quo itaque colligendum non est, periodum illam praecise fuisse 300 annorum, licet passim id fieri soleat. Consentit nobis Vignolius in Chron. S. quem ego in hoc studiorum genere magni facio, quique mihi in aliis viam praeivit, in aliis me confirmavit, quod semel monuisse suffecerit.

§. CCCLXXX. *Quartum* tendit ad victoriae de hostibus reportatae, quae plane insignis et plenissima fuit, c. XI: 33. *duo* consequentia, prorsus singularia, et domui Jephtae ac Israeli funesta, illustranda. *Prius* est voti ante praelium facti, et in unica ejus filia, simul prole unica, inpleti; erat enim innupta et sine prole, ita ut totius domus spes in illa sola resideat; hic enim sensus est vers. 34. ita legendus et vertendus: *et duntaxat illa unica, nec erat ipsi ex ea filius aut filia.* Pro ממנו enim leg. ממנה *ex ipsa.* Vulgo putatur, sensum esse, Jephtae alium non fuisse filium aut filiam, sed 1. illud jam phrasis *unica* filia declaraverat 2. phrasi adversatur, habet enim, *non erat ipsi ex ipso filius aut filia;* non dicitur *alius;* et quid sibi vult *ex ipso?* rectius itaque *ex ipsa*, ut, eam innuptam, nullaque prole praeditam fuisse, indicaretur. Votum his verbis expressum c. XI: 31. *Quidquid mihi fuerit egressus obviam e foribus domus meae, cum salvus ab Ammonitis redibo, erit Jehovae, et offeram in holocaustum*, cujus fuerit naturae, quidque *filiae* secundum illud contigerit? fue-

ritne mactata, an Deo et ministerio ejus in perpetuum, servata virginitate, consecrata? longa et difficilis est quaestio, de qua prolixi exstant, ut notum, tractatus, quos hic nihil adtinet recensuisse. Dabo tantum brevem intellectum *disputationis Academicae*, quam juvenis conscripsi, et publice defendi de filia *non mactata*, *sed Jehovae consecrata* instar sacrificii, et Dei servitio in Tabernaculo tradita, sed ex alio, quam adsolet, principio, in vero *voti* נדר conspectu posito. Praecipuum, si non unicum, *mactationis* fundamentum, in *voto* situm, si sublestum sit, quin alia opinio, longe mitior, personae quoque Jephtae, et legi convenientior, obtineat, dubium non est; maxime cum in voti inplemento nulla *mactationis*, sed *virginitatis* perpetuae expressa fiat mentio vers. 39. *Et fecit* vel *exsecutus est votum in ea*, et *ea non cognovit virum*. Quid hoc necesse erat expresse addere, si voti inplementum in ea non constiterit? Mitto ingentes difficultates, multa absurda, quae, ex temerario ejusmodi voto et inproba exsecutione, nemini non sese sponte sua offerunt, et a Viris Doctis jam prolata sunt.

§. CCCLXXXI. Ex mea opinione Jephta in animo habuit, *monumentum* summi beneficii Dei, in hac victoria et liberatione praestiti, erigere, vel in carissima sibi persona, potestati suae subjecta, Deo in perpetuum consecranda, instar *sacrificii holocausti*, quod Deo totum cedit. Qui genuinus est *voti* נדר conspectus, 1. Jephta *personam* aliquam, ad suam pertinentem domum, sine exceptione, etiam sibi acceptissimam, in oculis habuit. De quo ex phrasibus, *exire domo*, idque in *occursum* ei gratulandi ergo, clare constat, 2. *Scopus* voti fuit, *monumentum* condere, in signum grati animi pro concessa victoria. Quod sponte sua in oculis incurrit. 3. Vovit, eum in finem, personam, quam Deus sibi occurrere faceret, Deo consecrandam. Cum enim dicit, *et erit*, *qui e domo mea egressus fuerit mihi obviam*, Deo sacer, censeri non debet, temerarium aliquod fecisse votum, acsi nescio quis ei occurrens ita tractaretur;, verum Deo illam commisisse directionem, ita, ut Deus ipse

ipse personam sibi occurrere faciat, quae ipsi maxime placeret. 4. Votum ipsum est, ut persona illa Deo, instar *holocausti*, sacra foret in perpetuum, sive mactanda, sive Dei servitio consecranda, quod Deo reliquit integrum. Cum vero humana sacrificia nolit Deus, hinc ipsi loco mactationis, ejusmodi persona sacra cedebat in perpetuum servitium. Qui verus est conspectus *voti* נדר *neder*, sive circa personas, sive animantia, sive res versetur. Quicquid Deo hac ratione *vovebatur*, illud *sacrificium*, Deo dandum, considerabatur, plane ut *Levitae*, et primogeniti, in quorum locum venerunt Levitae, enim conspectum gesserunt. De quo egregia exstat Cl. Vitringae Dissert. in libris Observ. s. l. II. Quem genuinum *voti* conspectum ex Lev. XXVII. eruere, non foret difficile, si hoc nunc agerem. Hac quoque ratione *virgines* Midianiticae 32 fuerunt Deo sacratae Num. XXXI: 20. Ex hoc observato votum Jephtae faciles nanciscitur explicatus: modo advertatur, phrases, *erit Jehovae*, *et ei offeram*, esse synonymas; uti ex usu Script. S. satis constat. Sed 5. votum Jephtae perpetuam involvit consecrationem, omni redemtione exclusa; sicut in voto Nazireatus subinde obtinuit, testibus *Simsone* et *Samuele*. Quibuscum comparari potest hoc Jephtae, excepto, quod filia Jephtae *virginitatem* simul vi voti conservare debuerit. Quod hic plane singulare fuit, et sine exemplo; quare solennis commemorationis, et annuae consuetudinis in Israele occasionem praebuit; vers. 39 et 40. Voces ultimae vers. 39. *et facta est* (filia Jephtae) *statutum* in *Israele*, ut proprie sonant, sensum fundunt, filiam illam, Deo et virginitati in perpetuum consecratam, ansam dedisse illius *statuti*, quo *filias* Deo vovere, et consecrare coeperunt Israelitae; quam ob causam factum filiae Jephtae quotannis fuit *celebratum* a filiabus Israelis: quod verbum לתנות vers. 40. hic denotat; uti ab aliis jam est observatum. Pertinet vero illud חק *statutum* ad utrumque vers. 39 et 40. memoratum, cujus utriusque occasionem praebuit filia Jephtae.

§. CCCLXXXII. *Alterum* victoriae consequens bellum civile,

inter Jephtam et Ephraimitas, ex aemulatione tantum honor ortum, c. XII: 1—6. cum nihil habeat difficile, praeter ultimum membrum vers. 4*ti*, ejus sensum obiter tradidisse sufficerit: verba sunt, *quia dixerunt erepti Ephraimi vos, Gilead in medio Ephraim in medio Manassis*, concisa et elliptica, ideo obscuriora, quae hunc fundere videntur sensum: *quia dixerunt erepti Ephraimitarum*, cum iis diceretur, *vos erepti Ephraimis* estis, *nos* sumus *Gilead* in *medio Epraimi et Manassis habitantes.* Gileaditae nimirum, devictis Ephraimitis, experimentum capturi, et fugientes detecturi, occuparunt vada Jordanis, eosque explorarunt pronunciatione vocis שבלת *Schibbolet*, vel *Sibbolet.* Ellipsis est in verbis, *quia dixerunt erepti Ephraimi vos*, ita supplenda: *quia dixerunt*, interrogati, vel cum iis diceretur, *erepti Ephraim vos*, Gilead scilicet *sumus* etc.

§. CCCLXXXIII. Jephtae, cum *sex* annos praefuisset, c. XIII: 7. successerunt ordine tres judices, Ebsan ann. 7, Elon 10, et Abdon 8, c. XII: 9, 10, 14. de quibus nihil fere traditur, quam quot annos judicaverint Israelem; manifesto rursus indicio historicum in hoc libro intendisse contexere chronologiam periodi Judicum. Post eos secuta est nova, sed ultima, ac diuturna, licet intercepta subinde, servitus; et oppressio *Philistaca*, quam repetita defectio ad Idololatriam peperit, posteaquam ad Deum conversi, a tyrannide Ammonitarum fuissent liberati, et aliquandiu pace, sub Jephtae *successoribus*, gavisi. Quo rerum statu Deus suscitavit *Simsonem* Danitam, qui populum coepit liberare. Quae historia, satis mirabilis, cap. XIII—XVI narratur, nonnullis observatis a nobis, pro more, tantum illustranda. Circumstantiae nativitatis ejus, c. XIII narratae, quae adparitionem Angeli Jehovae, primum Matri, dein Patri, seu Manoae, factam continent, qua parentes de filio, e sterili matre nascituro, nec non de Nazireatu ejus jam ab ipsa conceptione, denique de liberatione Israelis per ipsum, certiores redduntur, cum praeter nonnullas observationes circa phrases, et sermonis texturam, ad nostrum nunc scopum

pum non pertinentes, nihil suppeditent, ad specimina spiritus heroici, quo actus fuit, et facinora quae patravit, in primis relate ad Philistaeos, et Israelitas, exhibenda mox pergo. Sed postquam modum discessus Angeli a Manoa obiter illustravero, indiget enim aliqua luce.

§. CCCLXXXIV. Ubi v. 16. Angelus Manoae, qui ipsum exspectare volebat, donec ei parasset epulum, respondet, *si detineas me non comedam de pane tuo, sed si feceris holocaustum, Jehovae offeres illud*, hoc proprie intendit, se mansurum, si non ad comedendum, sed praeparandum Jehovae holocaustum ire velit; acsi dixisset; si me detinere velis cum successu, ne epulum, quod in animo habes, eas paratum, non enim de pane tuo comedam, si vero sacrificium parare velis Jehovae, i. licet, *offeres Jehovae*, h. e. permitto tibi Jehovae offerre. Nomen *Jehovae* sese ad praecedens aeque ac sequens porrigit, *offeres* cum dicit, modum censeri debet sibi reservasse, quia non a Manoa, sed ab ipso illud factum est; ut ex seq. patet: rectius et facilius propterea flueret sermo, si pro תעלנה *offeres* legatur אעלנה *offeram* illud. Praeterea, cum Manoa adduxisset hoedum caprarum et munus, ipse Angelus super rupe victimam obtulit Jehovae, et non Manoa, qui cum uxore spectavit tantum; ut diserte v. 19 habetur: unde plusquam probabile fit, in primo membro, Praef. מ in מנחה latere in prima nominis מנחה littera, et plene fore ממנחה. ut vertatur, *et accepit*, scilicet Angelus a *Manoa hoedum* etc. Cum denique, eum *mirabiliter fecisse*, dicitur, illud ad modum offerendi omnino referendum est, quo *ignem* ex petra elicuit; sicut antea factum fuit, Jud. VI. inspectante Gideone: ad ipsum adscensum utique transferre vetat vel verbum *facere*, in phrasi, *mirabiliter fecit*. Ex quo, non naturalem, sed miraculosum ignem fuisse adhibitum, uti tempore Gideonis, manifestum est. Igne accenso, et victimam absumente, Angelus in flamma adscendit in coelum, et eo ipso sese Manoae ac uxori comprobavit Angelum Jehovae, et non hominem, aut prophetam esse, sicut antea putaverant; quare additur, eos

tunc intellexisse, eum esse Angelum Jehovae. Quo cum Manoa perterritus uxori dixisset, se, *quia Deum viderant*, pro istius temporis opinione, esse morituros, ab uxore responsum accepit, illud non futurum, nec in malum, sed bonum sibi cessuram esse adparitionem Angeli, duplici adducta ratione, una a signo complacentiae Dei in sacrificio, quod ignis, divinitus suscitatus, praebuit, altera ab ipso nuncio, quem Angelus adtulit de filio nascituro, qui Israelem servaret: quae ratio his verbis continetur, v. 23. *non monstrasset nobis haec, et statim audire fecisset, sicut hoc*, Jehova, si necem nostram voluisset: h. e. uno eodemque tempore hunc laetum nuncium de tali filio non addidisset viso. Vox כעת est *statim*, eodem tempore. Ceterum quo singularis hic casus collineaverit ex supra dictis de simili, tempore Gideonis, nemini non est manifestum: quare plura non addo.

§. CCCLXXXV. Praemittit historicus speciminum illorum recensioni generalem thesin, quae mox per partes, in spiritus speciminibus et facinoribus, explicatur, c. XIII: 25. *Coepit ipsum spiritus Jehova tundere* (motus ac inpressiones heroicas ipsi injiciendo. Radix enim פעם proprie dicit *tundere pede*, obculcare, inde vestigia inprimere, et motus heroicos inculcare in animum, ut hic, ubi de spiritu Jehovae usurpatur) *in Danitarum castris* (loco a castrametatione Danitarum ita adpellato Jud. XVIII: 12. ubi forte natus fuit Simson, utique nunc versabatur) Quibus verbis non significatur, eum jam tunc, et ibi, ejus spiritus edidisse specimina, ut putatur, sed eum tales motus, quibus pressus et incitatus fuit, sentire coepisse: sed qui deinceps variis in casibus, quorum historia mox traditur, sese exseruerunt. Dedit autem *primum* specimen duplex, unum in *leone* ferociente discerpendo, *alterum* in triginta Philistaeis occidendis; utrumque occasione nuptiarum ejus cum muliere Philistaea Thimnathaea. Sed *prius* ante, *posterius* post nuptias, *illud* cum in via esset, et eo tenderet, *hoc* ut promissum illis, qui aenigma solverent, praestaret. Quae historia cap. XIV parum, post Doctorum lucubrationes, reliquit notandum. 1. Dubium

Dubium est, num Simson solo ductus amore petierit virginem illam Philistaeam, an animo Philistaeos infestandi? *Prius* v. 1, 3, 7 traditur, *posterius* requirere videtur vers. 4. ubi *occasionem* dicitur *quaesivisse a Philistaeis*, scilicet ortam, ad eis nocendum. Prius videtur verisimilius, cum textus nihil aliud admittat, nec posteriori locus sit, nisi spiritus quoque propheticus, sine quo scire non poterat illum nuptiarum eventum, ipsi tribuatur; cujus nullum prostat indicium. Probabile itaque est, Simsonem propio motu egisse, sed Divinam providentiam rem ita direxisse, ut, Simsone nescio, eo caderet, quo cecidit. Communes vitae ejus actiones ipsi sunt adscribendae, adeoque vel bonae vel malae esse potuerunt, sed heroica ejus facinora Deum habent autorem. Sine qua hypothesi historia Simsonis vix convenienter legi Dei, et rectae rationi, exponi potest. Quod vero *a Jehova illud* fuisse dicitur vers. 4. eo nihil aliud significatur, quam, Jehova permittente et dirigente, factum esse, ut amaverit puellam Philistaeam. Sed quid sibi vult, quod additur, eum *quaesivisse occasionem* nocendi Philistaeis? si illud non ad Deum referatur, qui censeri potest occasionem illam quaesivisse non sibi, sed Simsoni; noluit enim Simsone uti, sicut aliis Judicibus, sed ut per eum varia clade adficerentur Philistaei, modo prorsus miraculoso, per eum solum, quare necesse erat, ut occasio iram in eos effundendi ipsi praeberetur; si, inquam, non ad Deum, sed Simsonem adplicetur, statuendum est, ipso inscio id fuisse factum, ita ut *facto* hoc suo, licet non animo, occasionem dicatur quaesivisse: quemadmodum quid *quaerere*, et aliquo tendere dicuntur homines, qui vitam moresque ita instituunt, ut id sequi debeat, vel secuturum sit, licet ipsi hoc directe non intenderint. *Pater* autem et *mater* tantum illud ignorasse dicuntur, quia ratio reddi debebat, quare parentes obniterentur, et non quare Simson volebat, cum *amoris* ejus facta fuisset mentio, tanquam rationis, quae ipsum moverat. Ceterum cum *occasionem* dicitur quaesivisse, illud de justa causa Philistaeos laedendi non est capiendum, sed de commoda tantum occasione animum

 suum

ſuum hoſtilem demonſtrandi, quod ex hiſtoria facile eluceſcit. *Jus* autem id faciendi fundandum eſt in munere Judicis, ipſi demandato, ac tyrannide Philiſtaeorum.

§. CCCLXXXVI. 2. Singularis caſus, quo leo, ipſi occurrens, ab ipſo eſt ſine ullo inſtrumento, ſolis manibus diſcerptus, in cujus ſceleto poſtea examen apum mel repoſuit, quod ipſe, altera vice ad nuptias conſummandas tendens, ſumſit, et comedit, a Bocharto et aliis ſatis illuſtratus, 1. eo ſpectavit, ut Simſon primo hoc tam illuſtri divinae virtutis heroicae ſpecimine corroboraretur, et ad Philiſtaeos invadendos excitaretur; cui ſimile in Davide poſtea fuit exemplum; 2. emblema victoriae, ſuo tempore de Philiſtaeis reportandae, et dulcium fructuum, quos populus ſuo tempore inde carperet, ſicut tempore Davidis fecit, cenſeri poteſt exhibuiſſe. Num aliud hic lateat myſterium, nunc non inquiro. Quod ad aenigma adtinet, ſodalibus durante convivio nuptiali ſolvendum propoſitum, uti moris erat etiam apud alios populos, quod habebat: *ex comedente prodiit cibus, ac dulcedo ex acri* (id enim hic denotat עז, requirente quoque oppoſitione, et rad. עזז quae proprie *tortum, intortum*, dein robuſtum, durum, et acre denotat,) obſervandum eſt, 1. ſodales non niſi poſt triduum, ex quo propoſitum fuit (factum enim illud eſt, in initio feſtivitatis nuptialis, quae 7 dierum erat, verſ. 12, 17.) ſponſam coepiſſe ſollicitare, ut a ſponſo interpretationem acciperet, verſ. 14. 2. Sed ipſam ſponſam jam ab initio feſti conatam fuiſſe eam ipſi extorquere, verſ. 17. 3. Quod verſ. 15. traditur, ſodales die 7mo ſponſam vehementius, additis minis, urſiſſe, ut explicationem inpetraret, ac ſecum communicaret, ſi pro השביעי *ſeptimo*, non ſit leg. הרביעי *quarto* die, ut LXX habent, quod mihi videtur facilius, et cum ultimo membro verſ. praecedentis conjunctius, illud ita capiendum eſt, quod ſodales poſtulatum, jam ante factum, nunc ultimo hoc die vehementius, additis minis, urſerint, uti ex ipſo textu colligitur: quum ellipſis aliqua eſt ſtatuenda, hac ratione: *nec potuerunt trium dierum ſpatio ſolvere aenigma*,

quare

ire cum per sponsam hucusque frustra id petiissent, tandem : 7mo ei interminati sunt etc.

§. CCCLXXXVII. Postquam 30 Philistaeorum caede et liatione praemium promissum sodalibus solvisset, eoque ipso roicae virtutis, ac ultionis Philistaeorum, specimen dedisset, s alia illustriora patravit facinora, Philistaeis noxiora, quon occasionem ipsae hae nuptiae praebuerunt. *Primo*, quod endium in acervos et segetes, ut et vites ac oleas, inmissum, r vulpes caudis ligatos, et faces ardentes iis annexas, ansa ex vis uxoris nuptiis cum Philistaeo arrepta, complectitur, cui is luminis a Bocharto est infusum, cap. XV: 1—5. *primo*, uam, hoc facinore Simson se non a parentibus uxoris vinavit, sed Philistaeis, quia non *causam*, sed *occasionem* tanm, ipsi dederunt novae nuptiae; quae recte sunt distinguenda. sta enim non erat in eo *causa* Philistaeis adeo nocendi, pantibus dimissis, ut facile patet, sed *occasio* tantum, qua opositum Philistaeos omni occasione adfligendi exsecutus est. nde simul liquet pro נקיתי *innocens ero a Philistaeis*, legenm esse נקמתי *ulciscar*, uti vers. 7. et XVI: 28. Dicere im non poterat, se non peccare in Philistaeos malum ipsis fligendo, quia majore nunc non gaudebat jure, quam antea, *minore* dicam, si ad rationem, quae ipsum movit, adtentur, cum Philistaeis facinus patris et uxoris inputari non ffit.

§. CCCLXXXVIII. *Secundo* facinore, plane heroico, marem cladem intulit Philistaeis, non judicialiter, sed tumulose, in domum uxoris irruentibus, eamque cum patre inceno e medio tollentibus, v. 6—8. Tumultus et coitionis polaris vel in eo est indicium, quod, Simsone inpunito relicto, eos, ira conciti, inpetum fecerint, qui occasionem tantum derant. Quo ipso nova, sed justior, nata fuit Simsoni ansa ilistaeos invadendi, ut domum uxoris *ulcisceretur*. Quod erf. 7. indicatur his verbis ad Philistaeos prolatis: *si feceritis ut hoc*, (tale quid, tam grande malum) *profecto* (id enim hic, alibi subinde, est כי־אם) *ulciscar vos, et post desinam*, h.

Zz e. non

e, non ceſſabo, donec fecero. Sic enim verba ſunt intelligenda, ſimul pro *interminatoriis* habenda, et ante factum pronunciata, ut eos abſterreret. Cum autem ipſi iram in domum uxoris exſequerentur, ipſe quoque in eos irruit, et ingente adfecit clade, *percutiens crus ſuper femur.* Quae proverbialis videtur locutio, incertum unde nata, qua totalis proſtratio, ſeu deſtructio denotatur, fere, ſicut nos dicere ſolemus, *brachia et pedes frangere.* Utique mihi nihil ſuppetit rectius.

§. CCCLXXXIX. *Tertium* facinus eſt, quo a Judaeis ligatus, ut Philiſtaeis traderetur coercendus, quippe qui in tribum Judae, ubi erat rupes Etham, irruperant, ut eum caperent, funibus ruptis, *mille* eorum ſola *aſini maxilla* occidit: quam miraculoſam victoriam mox cantico celebravit, et, nomine loco, a maxillae projectione, impoſito, conſecravit in poſteritatis memoriam, ſimul miraculoſa aquae productio ſecuta eſt, qua ſitim levavit. Ubi notari meretur, Simſonem Iſraelis nondum publice habitum et agnitum fuiſſe Judicem. Quod ſicut verba Judaeorum verſ. 11. clare ſignificant, ita et ex eo eluceſcit, quod Philiſtaei tumultuariam hanc expeditionem, qualis vere fuit, non ut Judaeos, ſed ſolum Simſonem punirent, ſuſceperint, verſ. 10. Quicquid itaque Simſon huc uſque peregit, *propria*, non populi, auctoritate fecit, attamen tanquam Judex a Deo deſignatus, licet populo nondum propoſitus, et ab eo agnitus. Ex quo etiam explicandum eſt, quod ipſum in manus Philiſtaeorum tradiderint Judaei, non facturi, ſi pro ſuo Judice habuiſſent, quodque praeterea rationem, quare cum Simſone ita agant, inde repetant, *quia Philiſtaei ipſis dominabantur:* tyrannice ſcilicet, ſed abſque ut iis reſiſtere potuerint. Sed, quod probe adverti velim, haec ipſa clades Philiſtaeis tam mirabiliter illata, inſpectante populo, occaſionem dediſſe videtur, Simſonem pro *Judice*, ſibi a Deo dato, agnoſcendi, adeo ut ab hoc tempore munus illud publice capeſſiverit, et egerit. Quod ex re ipſa licet colligi poſſit, haud obſcure quoque innuitur, verſ. 20. ubi, narrata hac victoria,

mox

mox ſubjungitur, Simſonem *Judicaſſe Iſraelem* 20 *annos*, ſcilicet ab eo tempore, incluſo tamen tempore ſuperiore, quo privatim, ſed a Deo jam deſignatus Judex, adflixerat Philiſtaeos. Sic ſuperiores Judices per victoriam, de hoſtibus reportatam, primum dediſſe leguntur muneris iſtius ſpecimen, quando paſſim ſubjungi ſolet, quot annis eo functi ſint. Quod vero additur, *in diebus Philiſtaeorum*, eam ſervitutem ſub Simſone Judice manſiſſe eodem modo, quo antea, neutiquam indicat, quippe quod nec titulus *Judicis* permittit, nec cum declaratione Angeli, ipſum *incepturum* eſſe *liberare Iſraelem*, c. XIII: 5. conſiſtere poteſt. Significatur itaque illa phraſi, ſervitutem non fuiſſe plane ſub Simſone finitam, et penitus ceſſaſſe, uti ſub aliis contigerat Judicibus, verum *interruptam*, et longe tolerabiliorem factam. Ceterum per hanc victoriam fuiſſe imminutae et interruptae ſervitutis fundamenta jacta, ex verſ. 18. quoque colligi poteſt, ubi Simſon declarat, ſuo miniſterio Deum conceſſiſſe Iſraeli *ſalutem* et *liberationem*. De quo et illud teſtatur, quod, Simſone declarato et agnito Judice, Philiſtaei Judaeos vexaſſe toto illo tempore non leguntur; adeo ut, eos a Judaeis infeſtandis abſtinuiſſe, tam fortem et formidabilem Judicem metuentes, ſtatuendum ſit. Tantum videntur commodam exſpectaſſe occaſionem, ſeſe a Simſone vindicandi, et veterem tyrannidem, cui renunciare debuerunt, eo ſubacto, reſumendi.

§. CCCXC. Quam occaſionem ipſe Simſon ipſis praebuit, mulierum Philiſtaearum amore captus. Sed quo ipſo gravior fuit Philiſtaeis inflicta clades, Deo mulieroſam Simſonis indolem ita dirigente, ut in Philiſtaeorum perniciem exiret, ſed Simſon ſimul propterea puniretur. Quae hiſtoria, cap. XVI narrata, facta et fata Simſonis continet ſub finem vitae, et cum ejus morte connexa, poſteaquam Judicis munere ſat diu fuiſſet functus. Cepit enim eum tandem mulierum Philiſtaearum amor, qui ipſi mortem cum ingente Philiſtaeorum nece adtulit. Prior caſus eſt, quo Gazae cum meretrice converſatus, et inſidiis Philiſtaeorum petitus, noctu aufugit, urbe, cum

porta urbis humeris avecta, elapsus est: vers. 1—3. Ubi inter alia, ad scopum non pertinentia, not. 1. cum tota nocte dicuntur Philistaei insidiati, et mox *siluisse* tota nocte ad primam lucem usque, ut eum occiderent, sensum esse, ipsos per noctem *silenter* struxisse insidias, et primo mane in domum voluisse irrumpere, eumque occidere, cum, ut tumultus vitaretur nocturnus, tum, ut facilius cognosci, et a multitudine coacta opprimi posset inprovisus in domo meretricis. 2. Facinus Simsonis eo spectasse, ut, quam facile posset elabi, adpareret, et urbi simul illuderetur, foribus portae in montanum Judae translatis, sed simul significaretur, portas Philistaeorum in potestatae Judae progressu temporis futuras esse; uti sub Davide, qui Hebrone regnum capessivit, factum est.

§. CCCXCI. Posterior casus est Simsonis proditio per Delilam, alteram meretricem, quam deperire coepit, eamque secuta captivitas ejus et mors, cum magna Philistaeorum clade: vers. 4—fin. Ad quam historiam recte intelligendam pauca sunt observanda. 1. Stupendum Simsonis robur fuisse in oculis Philistaeorum quid *arcani*, non vi, sed per res, occultis qualitatibus praeditas, inpediendum, vel tollendum, ex ipsis mediis, quae Simson, ad hanc eorum opinionem sese adcommodans, proposuit, liquere videtur; cum alia vix eorum ratio dari queat. Ad quid enim *vimina virentia*, non *siccata*, ad quid *funes novi*, quibus nullum opus factum fuerat? nisi ut aliquid iis inesse arcani, quo insuperabilis virtus retundi possit, indicaretur. 2. Tres primi modi, quibus Delila robur ejus exploravit, ex compacto videntur inter Delilam et Simsonem instituti, quo Simson passus est ea adhiberi, ut roboris sublati, nec ne? experimentum caperetur; Delila vero promisit, se eum non esse proditurum Philistaeis. Huc enim tendebat exploratio, ut sciret Delila, quo medio vinciri posset ad *infirmationem*: quem sensum verbum לענות, in phrasi *vinciri* ענות vers. 5 et 6. fundit, quippe vertendum, non ad *adfligendum* seu doloribus ac malis adficiendum, multo minus occidendum sed *subigendum* et *infirmandum*. Philistaei utique, quid Sim-

son

soni facerent, non significarunt Delilae, nec illa sibi persuadere poterat, se Simsonem pellicere posse, si indicaret, quo *adfligi* posset. Quod ulterius firmatur ex responso Simsonis, quo, se *inbecillem*, instar reliquorum hominum, futurum esse, declarat. Ceterum, ex compacto eos egisse, vel ex eo liquet, quod se ter passus fuerit vinciri, de animo proditorio Delilae, et insidiis sibi structis ac paratis, plane nescius. Quod vero Delila proclamaverit, *Philistaei contra te Simson?* eo tendit, ut veracitatis ejus experimentum caperetur; forte etiam ex compacto, ut Philistaeos inclamare liceret, eaque ratione explorare, num vera diceret, acsi dixisset: *vinctus* quidem es, sed unde te infirmum esse, et capi posse sciam? licetne itaque Philistaeos conclamare? concessit Simson, de insidiis nihil sciens, sed viribus fidens, ut Philistaeos adfligendi, simul mulierem fallendi, ne curiositati in posterum litaret, occasionem haberet.

§. CCCXCII. Tribus vicibus delusa foemina, Simsonem tandem blanditiis et minis, quae arma sunt meretricia, superavit, ita ut veram fortitudinis originem et rationem, a *Nazireatu* petendam, cujus signum erat capillitium, ipsi patefecerit. Rescivit autem astuta meretrix, eum vera profari *a.* ex modo, quo illud explicuit, et adfectu ejus conturbato, quo nolens volens ad id fuit compulsus, vers. 16. *b.* ex stipulatione, hic quidem tacita, sed e circumstantiis facile eruenda, qua vetuit capillitium radi, et alicui significari: quod mulier ipsi promisit. Invito enim capillos, vel potius *cincinnos* tantum comae ipsi fuisse abrasos, (ignorare ceteroquin illud non potuisset Simson; quo etiam facit, quod coma, qua parte erat abrasa, crevisse dicatur, v. 22.) vel inde elucescit, quod ipsi profundo somno sopito clam abraserit. Quo facto, mox majore cum fiducia inclamavit Philistaeos, nec jam ut antea, ex compacto, sed ut venirent reapse et caperent, nullo alio experimento capto. Verba ultima vers. 19. *et coepit ipsum subigere, et recessit robur ejus ab ipso*, videntur quidem indicare, eam ante tentasse, num robur vere ipsum deseruerit, sed ni-

hil aliud sibi volunt, quam eam in causa fuisse, quare robur perdidit, caesariem ipsi auferendo.

§. CCCXCIII. Hac ratione a muliere deceptus, ac a Philistaeis captus Simson, oculis est privatus, ac in pistrinum detrusus, non ut in vita conservaretur, cum probabile non sit, eos tam terribilem hostem voluisse in vita relinquere, sed ut in publico festo, antequam vires recuperaret, ludibrio expositus, coram omnium oculis morte plecteretur. Interea Deus rem aliter direxit, ut eventus docuit. Crines ejus denuo, et subito creverunt, Simson sese ad Deum convertit, supplicium suum infame praevertit, morteque sua instar herois, pro populo sese quoque offerentis, ingentem Philistaeorum, etiam principum, numerum e medio sustulit, eaque ratione ulterioris liberationis populi jecit fundamenta: in quo a reliquis Judicibus, quorum nemo populum morte sua liberavit, fuit, uti in multis aliis fatis ac factis, plane diversus et singularis. In qua historia nobis nihil est relictum observandum. Ceterum notari meretur, annos 20 muneris Simsonis Judicis repeti vers. 31. ab Historico, forte, ut indicaretur, eum, sicut in initio ita in fine, Israelem a Philistaeorum violentiis vindicasse. De initio agitur cap. XV: 20. hic autem de fine muneris ejus. Sequens historia cum ex libris Samuelis sit, usque ad finem Davidis, haurienda, de eorum autore et tempore pauca sunt praefanda. Samuelis nomen in textu Hebraeo, quem Syr. sequitur, sed in Graeca versione *Regum* praeferunt, qui duplex titulus ex eorum argumento natus quidem est, sed Hebraeus ex prioris, Graecus vero ex utriusque libri argumento, propterea quoque praeferendus, maxime quia Samuelis historia conspectum tantum praefert introductionis ad Regni introductionem. De *autore* librorum quid certi adserere non ausim. Communior quidem fert opinio *priorem* usque ad Samuelis obitum c. XXV. eum habere autorem, sed sequentia cap. cum *posteriore*, Gadum et Nathanem, nixa in primis notabili loco 1 Chron. XXIX. fin. quo vita et gesta Davidis, anteriora et posteriora, ad hos tres referuntur autores. Sed hinc nihil

aliud

aliud colligi potest, quam commentarios regni Davidis ab iis fuisse confectos, ex quibus historiam, qualem nunc habemus, excerptam et concinnatam esse, plusquam probabile mihi fit. Utique priorem librum a Samuele usque ad mortem suam non fuisse in hanc formam redactum, quod alii jam observarunt, hae mihi persuadent rationes. 1. Quae de morte Samuelis, et rebus postea gestis narrantur, eundem omnino requirunt autorem, cum omnia eodem tenore, eodemque stylo, conscripta sint, absque ut vel minimum sese offerat adpendicis indicium. 2. Samuelis laudes nimis crebro et studiose inmixtae sunt, quam ut ab ipso censeri queant profectae. 3. Haud obscura quoque temporis posterioris indicia hic illic comparent: uti ex. gr. c. VII: 15. IX: 9. et alibi. De quo suo loco.

§. CCCXCIV. De Gado et Nathane, tanquam nostrorum librorum autoribus, quominus cogitemus, facit 1. quod plenos rerum Davidis commentarios, quales ipsi conscripserunt, uti ex 1 Chron. XXIX. liquet, in hisce libris non habeamus, sed summarium tantum, et minus plenam narrationem, cui nonnulla deficiunt, ut ex 1 Chron. manifestum est. Accedit 2. quod de Ziclago 1 Sam. XXVII: 6. traditur, eam ab Achiso, satrapa Philistaeorum, Davidi datam, Regum Judae fuisse *ab eo tempore ad hunc diem usque*, adnotari non potuisse, nisi postquam regnum Judae, ab Israelitico separatum, aliquandiu stetisset. Hic ipse vero locus indicare videtur, autorem hujus libri ante exilium Babylonicum vixisse, adeoque Ezram, aut alium ejus temporis, non fuisse. Haec sunt, quae probabiliter adfirmari possunt, reliqua, quae proferri solent, puris putis nituntur conjecturis, relatu non digna.

§. CCCXCV. *Scopus* libri prioris quoque non tam est historiam Judicum pertexere, licet et illud ex occasione fiat; quam partim mutatae formae regiminis in Israele originem et modum enarrare, partim singularem Dei providentiam erga Davidem posteritati mandare, qua Rex electus mirabiliter conservatus, et directus est, ut translatio regni ad eum, ejusque

familiam, et autoritas ejus in Reipublicae ac Sacrorum ordinatione, extra controversiam poneretur. Quo etiam facit, quod divina Samuelis autoritas tam adcurate et studiose inculcetur, Sauli quoque rejectio, Davidis electio, et singularis Dei erga eum cura, tam fuse tradantur: sicut posteriore libro historia Davidis, ejusque regni a morte Sauli ad finem Davidis usque, fuse enarratur.

§. CCCXCVI. Simsonem in munere Judicis excepit Heli, Pontifex ex familia Ithamaris, et, ut probabile est, *immediate*, quia nullus alius Judex intermedius memoratur, nec ulla fit ἀναρχίας *Anarchiae* mentio. Accedit, historiam Samuelis connexam esse cum Jud. XVI. et ei esse subjungendam, (reliqua enim cap. libri Jud. adpendicis clarum praeferunt conspectum,) nativitatem quoque Samuelis in principium praefecturae Eli incidisse: fuisse Eli jam tunc Judicem ex 1 Sam. I: 9. ubi ex *solio*, scilicet *tribunali*, quem significatum vox כסא fere ubique habet, recte colligitur. Contigisse autem illud in principio praefecturae ejus, probabile quoque facit convenientia annorum praefecturae ejus, et muneris Levitici Samuelis, ut recte advertit Vignolius Chron. S. l. I. §. 20. Quid vero Heli, tanquam Judex egerit, et quo specimine munus capessiverit, reticet Historia, adeoque in incerto manet. Illud tamen constare putem, Israelem hoc tempore, quo Samuel natus est, et Heli judicem egit, non fuisse a Philistaeis oppressum, sed aliquali pace gavisum, cum libero religionis exercitio. Quod sicut ex clade multiplici, per Simsonem ipsis inflicta, facile praesumitur, ita cum ex historia Samuelis et Heli, nulla quoque Heli, qua Judicis, facinoris mentione facta, colligitur, tum inde firmatur, quod Philistaei demum sub finem vitae Heli Israelem invaserint, et oppresserint, 1 Sam. IV. Quo etiam verba Philistaeorum vers. 9. *ne serviatis Hebraeis, sicut servierunt vobis*, scilicet antea, tendunt. Cum enim sese Philistaeis opposuerint Israelitae, haud obscure indicatur, eos non fuisse Philistaeorum servos, sicut in initiis Simsonis, quando id non fuerant ausi; praeterea bellum eo fini fuisse a Philistaeis

susceptum,

ſuſceptum, ut Iſraelem denuo ſubigerent, ipſa verba, modo prolata, evincunt. Ceterum anſam belli praebuiſſe Philiſtaeis ſenectutem Heli, et collapſum Reip. Iſrael. ſtatum, ex hiſtoria ipſa facile colligitur.

§. CCCXCVII. Narratio praelii, Iſraeli et domui Heli valde funeſti, quo caeſus eſt Iſrael, arca in manus hoſtium venit, duo Heli filii violenta morte ſublati ſunt, et Iſrael in novam incidit ſervitutem, cap. IV. uno hoc obſervato tantum illuſtranda eſt. Conſilium de *arca* in caſtra transferenda eo videtur ſpectaſſe, ut *α*. Deum facilius poſſent conſulere; ſicut in bello civili cum Benjaminitis factum fuerat Jud. XX, *β*. Militum animi per praeſentiam Jehovae fierent audaciores, cum antea ſeſe timidiuſcule geſſerant. Quod etiam contigiſſe, *jubilatio* populi teſtatur, ipſi quoque Philiſtaei, ſeſe ad *fortitudinem* excitantes verſ. 9. indicant, non tam, acſi Deo Iſraelis ſeſe reſiſtere poſſe putarint, nimis enim praeclare de ejus potentia paulo ante locuti erant, quam quod, virtutis Iſraelitarum, per hanc praeſentiam auctae, ratione habita, oppoſite ad ſuperiorem trepiditatem, ſibi nunc cum audacioribus rem futuram eſſe, cenſuerint, ſimul forte cogitarint, Deum Iſraelis potentiam ſuam, ſicut ſaepe ante acciderat, non exerciturum eſſe. *γ*. Denique, ut, ſeſe divina nunc praeſentia et potentia niti, indicarent, cum antea multitudini et priſtinae felicitati nimium tribuerint. Acceſſit *δ*. ſuperſtitio, qua, potentem Dei praeſentiam cum *arca* connexam eſſe, temere judicarunt: uti ex verſ. 3*tio* colligi poteſt.

§. CCCXCVIII. Heli per tremendum hunc caſum, in primis *arcae* captivitatem, lethali tremore correpto, ac miſere mortuo, cum 40 annos praefuiſſet, c. IV: 18. populus in novam oppreſſionem Philiſtaeorum incidit, Deo corruptum populi ſtatum, et ſingulari hac clade, et nova ſervitute, puniente. Quam antequam enarrem, et in hiſtoria pergam, depravati ſtatus populi, et domus Heli, notitia eſt danda, praeterea quaeſita quaedam Chronologica ventilanda ſunt, ad chronologiam Judicum conſtituendam ſpectantia. Corruptae

populi conditionis et dissolutae reip. signum in primis fuit conspicuum in domus Heli Pontificis statu depravato, et ipsius Pontificis, simul Judicis, nimia connivenria, qua enormia filiorum, sacerdotum, facinora non severius castigavit, ac repressit, quare Judicium Divinum ipsi fuit, et domui ejus, per prophetam denunciatum, et dein Samueli quoque revelatum, et per ipsum Heli, illud exigenti, notificatum. Commissa filiorum Heli in cultum Dei, quae profanum eorum animum patefaciebant, simul ipsius cultus contemtum adferebant, narrantur 1 Sam. II: 11—17, et 22. Adpellantur *viri Belial*, (בליעל est homo sceleratus, desperatus, et profligatus ad omnem nequitiam, cui *nihil praesidii*, nihil refugii, ex בלי non *nihil*, et עלה vel יעל, *evasit* in *altum*, praeruptum,) et Jehovam dicuntur *non cognoscere* v. 11. h. e. nihil pensi habere, nihili facere, nihil curare aut timere. Dein v. 17. peccatum illorum dicitur *valde magnum coram Deo*, addita ratione, quod *viri illi munus Jehovae contumeliose spernebant*, nulla muneris, Jehovae sacri, habita ratione, nulla ducti ejus reverentia, quatenus rapiebant quicquid volebant, etiam ante ipsam oblationem, legem Dei proterve violantes, et rem sacram libidinose tractantes, nec sine dictis contumeliosis; ut ex responso eorum vs. 16 liquet. Verbum נאץ, quo historicus utitur, denotat *spernere* cum calumnia et exacerbatione, et auget significationem forma Pih., in qua hic occurrit. Solent quidem illa verba, *quia spreverunt viri illi munus Jehovae*, non de sacerdotibus, sed populo Israelis intelligi, et sensus constitui, eos facinoribus suis effecisse, ut a muneribus offerendis fuerit populus absterritus, eaque ratione contemtui habitus cultus publicus; sed, si quid video, perverse. Emphasis 1. verbi נאץ, modo exposita, major est, quam ut in populum, sacra deserere coactum, quadret. 2. Nec ullo patet indicio, cultum publicum fuisse derelictui habitum: quin contrarium potius e v. 22. et exemplo Elkanae ac Hannae liquet. 3. Ratio quoque datur atrocitatis peccati sacerdotum, in eo sita, non quod populus omiserit sacra, sed ipsi illi ea contumeliose tractarint.

Deniqu-

[redacted]

e 4 non dicitur simpliciter אנשים, sed cum ה em-
האנשים *viri illi*; quo ipsi illi juvenes digito quasi mon-
'. Vid. Num. XVI: 30. Nec sine emphasi eo insig-
epitheto, sive inbecillitatis hominis habeatur ratio, cui
inus convenit, quam rem Deo sacram spernere, sive
adtendatur, quam vox in plur. num. involvit, ut 1 Sam.
estote viri.
CCXCIX. Facinoribus eorum praeterea adnumeratur v.
id violaverint foeminas, stationes, sacrorum causa, apud
aculum adsidue habentes, et officiis sacris ibi fungentes,
sum habet verbum צבא uti notum est. Denique ipse
s objurgans dicit, v. 24. eos, ut verti solet, *transgredi*
populum Jehovae, quatenus exemplo, et criminibus, po-
Dei ad leges violandas compulerint, nescio, an satis
t emphatice; cum graviorum criminum rei fuerint; nec
illud dicat, potius aliud: ut modo observavi. Nec ta-
uid voces מעברים עם יהוה sibi velint, expedire possum:
erti possent, tumidos, insolentesque invasores populo
e, vel et Jehovae, sese prestantes; ut מעברים in Hiph.,
מתעברים in Hithp., et עם pro לעם, aut leg. עם *cum*
; uti Ps. LXXXIX: 39. Utique peccata eorum in Je-
ipsum hic una comprehendi, ex seq. manifestum est.
n עבר proprie dicit *intumescere*, et de fluvio intu-
te, ac altius se efferente, usurpatur, unde ad superbam
centiam, et invasionem aliorum etc. transfertur, sed nihil
. Denique se obstinatos, ac incorrigibiles demonstrarunt,
tes Patrem ipsis atrocitatem criminum ob oculos ponen-
t Dei judicium ipsis denunciantem, his notabilibus verbis,
si vir in virum peccaverit, (scilicet grave commiserit cri-
et peccatum clamans) *et Deus eum judicet*, (non enim
i ex hominibus, sed *Deus* intelligendus est, cum, quod
, absolute positum, illud non ferat, tum, *Deus* et *vir*
ntur, et sequens membrum ex hoc supplendum sit; *et*
it eum Deus) *quid si in Jehovam deliquerit?* (utique gra-
oena adficietur, nec evadet, cum *nullius deprecationis*

locus sit; sic enim vertenda et capienda sunt, continent enim apodosin, seu consequens, sicut prius membrum protasin et antecedens; hoc modo: si *vir in virum peccaverit*, *et Deus judicet*, si hoc verum et testatissimum sit, uti est, quid? *si in Jehovam peccaverit*, Deus utique longe gravius et certius judicabit: cujusmodi reticentiae sunt satis usitatae, hic autem ex structura sermonis sponte se offert. *In Jehovam* peccare, Deum foederatum, est elata manu eum et legem ejus spernere,) *non audientes*, seu spernentes, uti historicus tradit, addita ratione, *quia Deus eos occidere voluit* h. e. quia tales fuerunt, quos Jehova neci destinavit, scilicet inemendabiliter corrupti, ac scelerati; vel *profecto*, uti כי subinde sumitur, patuit, eos divina sententia jam fuisse ad mortem condemnatos.

§. CCCC. Sed hac non obstante objurgatione paterna, ipse Heli culpatur tanquam officii negligens, quique filios prae Deo honoraverit, v. 29. nec *retuderit* filios, licet sciverit, inquit Deus ad Samuelem c. III: 13. *quod illi me exsecrati sunt*; ipsi illi scilicet filii Heli, patris, simul pontificis et Judicis. (hanc enim emphasin habet לי הם, uti legendum videtur pro להם: הם *illi* emphatice sumitur 1 Sam. IV: 8) Nimia Heli conniventia cum in eo adparuit, quod non nisi sero nimis, postquam diu se criminum reos egerant, et jam obdurati erant, eos reprehenderit, ut ex cap. II: 22. patet, collato quoque v. 11, 12. tum etiam, quod verbali contentus fuerit castigatione, absque ut eos officio removerit, aut puniverit, uti debebat, vel poena capitali. Quae ratio est, quare Deus per prophetam ipsi denunciaverit judicium, domui ejus infligendum, cui crimen imputatur v. 29. quod *lascivierit*, a *lege* longius recedens *in sacrificiis* etc. eam enim praefert potestatem verbum בעט, quod de jumento pasto lasciviente, longius recedente, ac insolentius se gerente, proprie usurpatur: uti ad Deut. XXXII: 15. observavi.

§. CCCCI. Ad quam pericopam, judicii divini per Prophetam aliquem, cujus nomen reticetur, ad Heli missum, declarationem complexam, cap. II: 27—36. unum alterumve proferam

ım obſervatum, ab inſtituto non alienum. 1. Promiſſum de ıerpetuo ſacerdotio domui Heli factum, cujus hic fit mentio, on eſt aliquod ſpeciale, domui Ithamaris factum, quale quid uſquam memoratur, verum generale, domui Aaronis datum, eque ad Ithamaridas ac Eleazaridas pertinens; cujus in eo ſatis larum exſtat indicium, quod *domus Patris* ejus adjungatur, uae hac in pericopa domum Aaronis in genere ſignificat, ut x v. 27 et 28 patet. Domus vero Heli, et Domus Aaronis onjunguntur, ut, promiſſum, domui Aaronis factum, ad Ithamaridas, unde erat Heli, quoque referendum eſſe, indicaretur. ı. Promiſſum Pinehaſo de pontificatu Num. XXV. conceſſum, ıe quis ad illud obhaereſcat, accipiendum eſt non mox, ſed uo tempore, poſt Ithamaridas ob peccata repudiatos, demum nplendum: quod vel ex hoc noſtro loco liquet: ſicut Judae ıromiſſum ſceptrum Gen. LXIX: 10. non, niſi poſt Saulum ırimum regem Benjaminitam, inplementum eſt conſecutum. Ante hoc tempus Ithamaridis idem erat ad Pontificatum jus, c Eleazaridis; ut hic docetur. Senſus itaque eſt, promiſſum le pontificatu domui Aaronis factum, ad Ithamaridas quoque ıertinens, cujus virtute domus Heli eo fuit mactata honore, nplendum ab hoc tempore eſſe in ſolis Eleazaridis, domo Heli ob celera rejecta: adeoque promiſſum Pinehaſi nunc eſſe praeſtanum. Erat vero promiſſum de perpetuo pontificatu in domo ıaronis, e duabus, Eleazaris et Ithamaris, conſtante, ea ratione ınditionatum, ut, quae familia ſeſe indignam praeſtaret, eo ivaretur: quod nunc accidit Ithamaridis. Sed Eleazaridae, ırtim Pinehaſi praeclari facinoris Num. XXV. partim Zadoı, tempore Salomonis, pietatis, cauſa, adepti ſunt perpetuum ontificatum; ita tamen, ut et illi ſuo tempore peccatorum oenas luerent, pontificatu iis ademto, et ad Maccabaeos anſlato, in ſignum Pontificatus ſub Meſſia penitus abolendi. Quando vero, et qua occaſione, ad Ithamaridas tranſiit Pontiicatus, incertum eſt, nec etiam tanti.

§. CCCCII. Mala denunciantur ſequentia, v. 31—33. ut a ſtrictim recenſeam. 1. Brachii ejus, *et domus* Patris ejus

(quae est Aaronis, ut ex tota pericopa liquet) excidium in domo Heli, ita ut nullus sit senex (scilicet honoratus, dignitate ac potestate illustris, provectae aetatis, qualis nunc erat Heli) excidium v. 31. 2. Quae domus Heli ruina adgravatur per temporis, quo foret, circumstantias, et diuturnitatem v. 32. cujus sensus est, tentorium Heli nunc omnibus rebus abundans, amplum et latum, quae emphasis est vocis מעון, fore angustum, omni felicitate orbum, eo quoque tempore, quo Israel floreret, et prospere ageret. Quod ad tempus Salomonis respicit, et Heli id videret, non ipse, sed in posteris. 3. Subjungitur judicii adcuratior explicatio, quae habet, non omnes domus ejus viros exscindendos, sed augmentum et incrementum ejus; sed ita, ut illi ipsi, qui superstites forent, et ad altaris ministerium admoverentur, ipsi variam praeberent tristitiae materiam v. 33. Quod vero in fin. additur, *et omne augmentum domus tuae morientur viri*, scilicet violenta morte, uti v. 34. est, eo tendit, ut eos, qui augmentum domus aliquo tempore constituerent, subito violenta morte esse e medio auferendos, declararetur. Quod tempore Sauli, qui sacerdotes Dei occidi jussit, c. XXII. inpletum est. 4. Additur signum inplementi, certo futuri, in caede duorum filiorum, brevi extitura v. 34. Denique 5. subjungitur translatio Pontificatus ad alium virum, meliorem ac fideliorem, qui in posteritate sua hoc munus diu possideret, ita ut ea ratione *ambulaturus sit unctus* Dei *coram facie ejus:* v. 35. ultimo enim in membro pro לְפָנַי, aliis cum punctis, leg. לְפָנָי *coram me ambulabit unctus meus*, scilicet Pontifex, cujus hoc est proprium epitheton. Quod facile demonstrari posset, sed nunc monuisse suffecerit. Inpletum hoc est in Zadoko, ex familia Eleazaris, tempore Salomonis: 1 Reg. II: 27, 38. et 1 Chron. XXIX: 22. Subnectitur adhuc 6. abjecta et pauperrima eorum, qui sub Eleazaridis e domo Heli superessent, conditio v. 36. Ceterum hanc interminationem propheticam Samuel postea in prima revelatione, ipsi facta, renovavit, ac nomine Jehovae confir-

affirmavit, praeterea mox exsecutioni esse in filiis Heli, vio-
ita morte auferendis, mandandam declaravit; c. III: 12—si-
il Heli, hoc requirenti, notificavit: v. 18. qui illud pie et
omisse accepit, dicens, *Jehova ipse, faciat, quod bonum in
ilis suis sit.*

§. CCCCIII. Quaesita ad chronologiam spectantia, ad quae
go, tria sunt; quorum *primum* est, num superior oppressio
ilistaea, quae 40 annos duravit Jud. XIII: 1. contempora-
a sit servituti Ammoniticae, et praefecturae Jephtae ac suc-
sorum? *secundum*, num anni 20 Simsonis in tempus servi-
is Philistaeorum incidant? *tertium*, num anni 40 praefecturae
eli in eadem incurrant tempora? Sunt utique, uti Marshamus,
alii viri praeclari, qui annos 40 servitutis Philist., 20 Sim-
nis, ac 40 Heli, coaevos esse putant, omnesque praeterea in-
lisse in tempus servitutis Ammoniticae, et praefecturae Jeph-
e ac successorum; quique propterea omnes eos annos cata-
go annorum expungunt. Placuit quidem aliquando hypothe-
, quam Cl. Conradi, nunc Collega exoptatissimus, olim dis-
tulus, Disputatione Academica, erudite scripta, meis sub
spiciis, nova luce perfudit, quae recudi et legi meretur; sed
., re deinceps accuratius perpensa, renunciare debui.

§. CCCCIV. Quod ad *primum* adtinet quaesitum, Philistaeorum
pressionem non fuisse Ammoniticae, et praefecturae Jephtae
successorum, contemporaneam, sed illis finitis, adeoque
st Abdonem Judicem, demum contigisse, sequentes mihi vi-
ntur evincere rationes. 1. Cum Historicus Ammoniticam
vitutem, et liberationem Israelis per Jephtam, narrasset,
in successores Jephtae recensuisset, ita pergit Jud. XIII. 1.
perrexerunt Israelitae a Jehova deficere, (seu *iterum defece-
nt*,) *et dedit eos in manum*, vel *potestatem*, *Philistaeorum*
:. Quae narrationis series requirere omnino videtur, illud
st omnia supra narrata accidisse, adeoque illis neutiquam
e coaevum. 2. Ephraimitarum cum Jephta, post victoriam
Ammonitis, acriter et hostiliter contendentium, historia
nsistere nequit cum oppressione Israelitarum a Philistaeis,

eodem tempore facta, sed Cis-jordanenses Ephraimitas libertate fuisse et pace gavisos evincit, cum ceteroquin plane percipi nequeat, eos tale quid fuisse ausos, aut facturos. 3. Testatur quoque historia successorum Jephtae de *pace*, et libertate Israelis; uti supra observavi. 4. Fundamentum denique, cui hypothesis illa innixa est, Jud. X: 7. ubi Deus populum tradidisse dicitur *Philistaeis* et *Ammonitis*, valde lubricum est, cum illud eodem tempore contigisse non tradatur, nec constat, eandem significari Philistaeam, quae cap. XIII narratur. Potuit enim extraordinaria fuisse; Philistaei utique ejusmodi invasiones variis fecerunt vicibus, uti sub Samgare Jud. III: 31.

§. CCCCV. Annos Simsonis 20 in periodum servitutis 40 annorum Philistaeae non incidere, sed ei successisse, adeoque ad chronologiam Judicum ordinandam pertinere, haud una ratio probabile facit. 1. Simson, si, durante oppressione Philistaea, *Judicem* per 20 annos egisset, munus illud censeri deberet accepisse vix 18 annos natus; quod ab omni abhorret probabili; natus utique est vigente oppressione, Jud. XIII. duravit vero 40 annos, et Simson 20 annos judicavit populum. 2. Titulus *Judicis*, Simsoni in historia expresse datus, populum per eum fuisse, saltem aliquatenus, liberatum, adeoque servitutem illam interceptam, omnino requirit, cum nusquam in hoc libro alio sensu occurrat, et inanis foret: accedit, Angelum diserte dixisse, eum *incepturum* esse *liberare* Israelem, Jud. XIII: 5. Quod nullo fecisset modo, si eadem, et eodem vigore, continuasset servitus, Simsone judicis munere fungente. 3. Cum anni Simsonis, qua Judicis, expresse, et quidem bis, cap. XV, XVI, memorentur, dubium non est, quin eos in censum venire, et ad chronologiam constituendam facere, voluerit Historicus; in primis quia, ut supra observavi, scopus ejus fuit contexere chronologiam. Sed eorum nulla foret habenda ratio, si in ipsum servitutis tempus incurrissent. 4. Nec obstat, quod *sub Philistaeis*, seu durante eorum oppressione, legatur Simson *judicasse* populum, cum illud de plena, et proprie sic dicta, servitute, non sit intelligendum, ut ex dictis patet, ea

enim

enim jam finita praefuit, et ipse populum aliquatenus liberavit, sed *semiplene*, seu statu intermedio inter plenam servitutem ac libertatem. Ipse vivus *incepit* liberare, vigorem servitutis tollendo, dein morte sua ulterius perfecit, ita ut sub Heli majore pace gavisus sit Israel; donec tandem, post varias vices sub Samuele ac Saulo, tandem plenissime vindicatus sit a Davide.

§. CCCCVI. Ex disputatis simul patescit, annos 40 Heli Judicis, quod *tertium* est quaesitum, non esse cum annis servitutis Philistaeae, ac Simsonis, confundendos, sed seorsim putandos, a tempore mortis Simsonis, et 20 annorum semiplenae liberationis Simsonis, adeoque in Chronologia locum habere. Accedit, 1. Duos ceteroquin statuendos Judices eodem tempore, Simsonem et Heli, quod abhorret. 2. Tempore nati Samuelis, et adolescentiae ejus, usque ad annum aetatis 25*tum*, quo in Tabernaculo coepit servire, quippe quod ante illud tempus non licebat, nullam oppressionis fieri mentionem, sed pacis ac libertatis haud unum indicium; uti ex primis cap. 1 Sam. facile colligitur. Ne nunc repetam, historicum annos praefecturae Heli non expresse memoraturum fuisse, si eorum nulla esset in Chronologia habenda ratio. Fuit itaque Heli, ut concludamus, tempore Simsonis Pontifex, dein, eo mortuo, Judex quoque factus, annos natus 58, (praefuit enim 40, et mortuus est an. 98 natus) tempore nati Samuelis eo munere jam functus, ut supra vidimus, praefuit ann. 40, qui a mortuo Simsone sunt numerandi, quando plenior fuit libertas. Sed cum Heli jam senex esset, et status Israelis turbulentior, Judicium quoque domui Heli propter scelera filiorum ejus inminens, et per Prophetam denunciatum, exsequendum esset, Philistaei denuo in Israelem sunt inmissi, qui, ingente clade inflicta, in novam eum conjecerunt servitutem: ut historia tradit.

§. CCCCVII. Vindicavit quidem Deus majestatem suam a contemtu hostium, in quem per hanc cladem non tantum, in primis per captam *arcam*, ejus sedem, inciderat, sed popu-

lum aliquandiu in eo statu reliquit, donec, ad meliorem frugem redactus, per Samuelem, Judicem factum, fuerit liberatus. Quae historia traditur 1 Sam. V—VII. Majestati suae consuluit, cum, idolum Dagon prostituendo, tum, Philistaeos per plagas, divinitus inmissas, adigendo ad arcam honorifice Israeli reddendam. Judicium in Dagonem, Philistaeorum praecipuum idolum, quo coram arca primum prostratum, dein truncatum, et limini adflictum jacuit, cujus veritati cum ipsi Philistaei, *limen* ab eo tempore transiliendo, adtestati fuerint, historicus ritum illum, inde natum, adnotare non neglexit; Judicium inquam illud, quod oculos Philistaeorum aperire, eosque ad Deum Israelis reverendum, ac arcam restituendam permovere deberet, cum effectu caruisset, gravius longe in ipsam terram et homines est secutum, idque *triplex*, mortis pestilentis, mariscarum acerbissimarum, et murium. *Postrema* plaga, qua fruges absumtae, et agri vastati sunt, cap. VI. in descriptione donariorum memorata, inde forte, quod Theodoreto quaest. X ad 1 Reg. jam in mentem venit, repetenda est, quod arcam, cum in urbibus retinere non auderent propter plagas, in patente campo collocaverint, uti 1 Sam. VI: 1. forte innuitur. *Priora* duo judicia memorantur c. V: 6, et 9, sed clarius vers. 10 et 12 ubi *mortis* plaga ab ea *mariscarum* diserte distinguitur. Mentio *mortis* inflictae injicitur vers. 6. in verbo וישמם, quod proprie denotat, *sideravit*, tanquam urente et pestifero adflatu, unde ad *vastationem* ac desolationem, inter alia, transfertur; hic recte de pestilente morbo et morte cogitatur: quo etiam tendit phrasis vers. 9. מהומה *contabefactio magna*, vers. 22. *contabefactio mortis* adpellata, qua tabifica aegritudine, moerore, et plagis quis consumitur; uti e rad. המם, cui הום respondet, liquet: vid. et Deut. II: 15. Pestilente hoc morbo qui non exspiraverant, *mariscis* fuerunt percussi, quae in textu עפלים, sed in margine, et dein in textu c. VI: 11. טחורים vocantur. Hanc plagam eos feriisse, qui pestilenti morbo non succubuerant, clare adseritur cap. V: vers. 12, sed et vers. 9., recte intellecto, indicatur. Verba

habent,

habeant, percussit omnes urbis incolas — — וישתרו *et qui velo quasi tecti sunt ipsis*, vel *inter eos*, *tumoribus* percussit. Supplendum est אשר *qui* ante וישתרו et ex praed. repetendum ויך *percussit* in voce עפלים *mariscis*; uti Chald. et LXX fecerunt. Utitur vero Historicus verbo שתר proprie *velo tegi*, ut, urentem et pestilentem illum adflatum eos non feriisse, adeoque superstites fuisse, significaret; plane ut Tseph. II: 3. quod vers. 12. exacte respondet, Vid. et Ps. XCI: 1.

§. CCCCVIII. Sed quid sunt עפלים et טחרים? *mariscas et ficos*, seu tumores ani *haemorrhoidas*, passim intelligunt, quod a Bocharto Hieroz. p. I. l. II. c. 36. erudite, pro more, est illustratum; ita tamen ut טחור ipsi sit *podex*, quia in ling. Syr. est σφιγκτηρ a rad. *claudere*, *constringere*, et עפל *morbus* in ea parte corporis a rad. *tumere*, efferre se. Sed sublestius est fundamentum, cui opinio illa innititur, nec nisi in genere, cujus naturae fuerit plaga, definiri potest. Vox enim עפל est generalis, et quosvis tumores, quaevis ulcera, significat, etiam ignotam ulcerum speciem, uti Deut. XXVIII: 27. ubi ad שחין *ulcus* AEgyptiacum refertur, quae vox exprimit ulcus *calore* et *aestu* crucians, radix enim *calefaciendi* praefert potestatem, cum acrimonia et dolore pungente. Quod in *ulcera* pestilentialia, aeque ac *mariscas*, recte quadrat: altera quoque vox טחור, si vim *constringentem* contineat, ulceris qualitates, aeque ac *anum* se constringentem, exprimit. De voce אחור Ps. LXXVIII: 66. mentem in comm. ad Ps. exposui. Videntur extraordinaria fuisse ulcera, quae plagae, divinitus inflictae, conspectum praeferebant; uti ex historia colligitur.

§. CCCCIX. Historia reductionis *arcae*, cum *donariis*, quae morbi et cladis praeferebant imagines, ad Jehovam, pro more Gentium, placandum, ejusque honorificae deductionis ad limites Bethsemiticos usque, denique laetae ejus receptionis, sed in magna clade Bethsemitarum, arcam irreverenter nimis tractantium, terminatae, nihil habet hic a nobis observandum, nihil etiam difficilis, nisi respectu numeri hominum, a Deo per-

cursorum, 50 millium et 70. 1 Sam. VI. Est enim ea caedes nimis singularis, et fere incredibilis, sive ad urbem, quae exigua est, sive ad severitatem Judicii, sive ad ipsam vocum structuram, adtendatur. Variis Doctorum conjecturis missis, quia nos nimium detinerent, vel expungendae sunt voces, 50 *mille viros*, quae in nonnullis Mss. desunt, ut nuper Cl. Kennicotius in crit. observ. ad h. l. docuit, cui tamen ob haud unam rationem non adsentior, vel חמשה *quinque* mille legendum, et *viri* Bethsemes, ac *populus* distinguendi sunt, ut 70 sint Bethsemitae, reliqui *quinque* mille ex reliquo populo, qui undequaque ad hoc spectaculum adcurrerat; praeterea *percussio* intelligatur duplex, alia *morte*, alia *ulceribus*, plane ut Philistaeis contigerat, uti cap. V: 12. habetur, et modo notavimus. Suppleri itaque debet in priore membro במות, et in posteriore בעפלים, uti loco cit. Forte etiam pro אלף מאלף *e mille*, legendum, et חמשים *quinquaginta* pro glossa, vel variante lectione habendum, adeo ut alii Codices legerint 70, alii 50, qui e *mille viris* percussi fuerunt, sive morte, sive ulceribus.

§. CCCCX. Arca Israeli reddita, et divina Majestas luculenter vindicata licet fuerit, populus tamen aliquandiu adhuc in statu servitutis est relictus, donec per Samuelem, in ejus medio prophetam agentem, fuerit ad Deum conversus, et per eum, *Judicem* factum, gloriose vindicatus, ac libertati adsertus: 1 Sam. VII. Quot annos duraverit hoc intervallum, a morte Heli usque ad populi liberationem, et praefecturam Samuelis, ex c. VII: 2. luculenter patet. Traditur enim ibi, *post* 20 *annos morae arcae in Kirjath-jearim*, ad quem locum fuerat post cladem Bethsemitarum translata, Israelem publice coepisse *lamentari post Jehovam*, quando Samuel electus est Judex, ac populum liberavit. Unde manifestum est, a morte Heli usque ad Samuelem Judicem 20 fluxisse annos, quo toto tempore Israel in statu servitutis degit, sine Judice, sicut superioribus servitutum temporibus quoque contigerat. Est itaque haec nova servitus Philistaea a praecedente diversa. Vulgata quidem

dem fert opinio, verba ita esse dividenda, ut spatium 20 annorum, de arcae mora eo in loco, seorsim et absolute capiatur, *lamentatio* vero Israelis, eo versu memorata, non post 20 illos annos, sed longe ante, statuatur contigisse. Verum 1. repugnat historiae, quae longe diutius arcam ibi fuisse tradit, usque ad tempus, quo David eam transtulit Hierosolymam. 2 Sam. VI. Anni itaque illi 20 non ad mansionis in eo loco terminum, sed *servitutis*, expresse memoratae, referri debent, cum alius non tradatur, hic manifeste, 2. structura vocum hanc non patitur divisionem, cum verba *et lamentati sunt* etc. cum praecedentibus manifeste cohaereant.

§. CCCCXI. *Samuel*, qui ab hoc tempore *Judicis* munere functus est, ut de ejus ortu, et officio, quod ad hoc usque tempus obiit, aliquid moneam, fuit filius *Elkanae*, ex Ramathaim Tsophim oriundi, sive ex Tsophensibus, aut Tsophimis, Ramae in montano Ephraim habitantibus. Nomen רמתים est, ut dicitur, patronymicum, et *Ramatenses* denotat, צופים *Tsophim* vero posteritatem viri צוף *Tsoph*, quousque genealogia Elkanae protenditur, designat: cum autem ipse in hoc tractu Ephraimi *primus* forte resederit, hinc cognomen *Ephrataei* ipsi adhaesit. Erat autem familia Levitica ex Kehath per Korachum 1 Chron. VI: 18. Cum vero ex Hanna, sterili, et ad ejus supplicationem, et ex voto, quo filium nasciturum Deo in perpetuum consecravit, fuerit natus, hinc nomine שמואל *Samuelis* fuit insignitus, q. d. *petitum a Deo*, et *Deo*; seu in ejus usum; uti ipsa Hanna interpretatur 1 Sam. I: 20, 28. ut sit pro שאול מאל *petitus a Deo*, et pro *Deo*, Θεαίτητον, ut habet Josephus. Verba Hannae v. 28. haec sunt, ut verti debent: *et enim ego ipsum utendum dedi Jehovae omnibus diebus* (in perpetuum v. 22.) *quia fuit et est petitus Jehovae, ut votum impleam.* Statim ac ablactatus esset, fuit a matre translatus Siluntem, et Deo oblatus in perpetuum, vers. 22, 28. Quod factum est *tribus* post nativitatem annis, ut ex usitato tempore lactationis, quod *trium* erat annorum, 2 Sam. VII: 27. liquet, et ex juvencis tribus, ac epha, trium modio-

rum mensura confirmatur. Erat autem tum jam *puer* נער c. I: 24. h. e. in agilem motum actus et exsultans; quam emphasin habet phrasis הנער נער: uti recte quoque advertit Nepos meus Verschuir in Diss. Philol. Exeget. ubi de *paronomasia*. *Adolevit itaque puer apud Jehovam* c. II: 21, 26. donec aetatem adultiorem adtigisset, quo nonnullis officiis fungi poterat in Tabernaculo, quod ante ann. 25*tum* aetatis non licebat. Cui robur accedit *ex senectute* Heli suprema vers. 22. quo tempore Samuel ad publica est admotus officia.

§. CCCCXII. Levitico munere cum aliquandiu functus esset in Tabernaculo, divinitus est ad *Propheticum* vocatus, ac quasi inauguratus in Tabernaculo, quo tempore diu publicus, et omnibus notus, propheta in medio Israelis cessaverat; uti cap. III: 1. his verbis adseritur: *verbum Jehovae erat pretiosum*, vel infrequens, *illo tempore*, *nec erat visio perrumpens* h. e. immediata revelatio erat rara, nec propheta erat publicus, et notus, qualis non tantum Moses fuerat, et aliquo modo Josua, sed et postea sub Regibus plures: nullus itaque munere, et professione Propheta. Quo ultimum etiam tendit membrum, *non erat visio perrumpens* h. e. sese publice ostentans, et in publicum *diffusa* per totum populum. Quam emphasin adfert verbum פרץ, proprie *findere*, cum laceratione frangere, ita ut apertura fiat, speciatim in obicibus perfractis, unde ad flumen transfertur alveos perrumpens, et longe lateque se diffundens. Finita vero est ea raritatis revelationis periodus, quae jam aliquandiu fluxerat, in *Samuele*, publico facto propheta, et a populo pro tali palam agnito, ut est vers. 20, et 21. Quae etiam ratio est, quare series prophetarum post Mosen ducatur a Samuele Act. III: 24. XIII: 20. *Inaugurationis* modus plane singularis, quo voce divinitus prolata e *palatio Jehovae*, ubi *erat arca*, adeoque e sanctuario, vers. 3*tio* a medio, (quae verba cum initio vers. 2*di* construenda sunt, et locum designant, non ubi Samuel cubabat, quod absonum est, sed unde revelatio exorta est. Est itaque acsi haberetur, *et factum est illo die*, quo Eli et Samuel jam cubarent, *ut in palatio Jehovae*,

ubi erat arca, Jehova Samuelem inclamaverit.) ab ipso agnita, nisi postea quam ab Heli pontifice esset admonitus, endebat, ut publico Pontificis testimonio veritas revelatio ipsi factae, confirmaretur, et inauguratio ejus in munere hetico solemnior esset et certior. Quod eo magis necessa erat, quia prima revelatio judicium Dei in domum Heli prehendebat; de quo dubitari amplius non poterat, post n. ipse Pontifex de voce Dei, ad Samuelem facta, per- s esset.

. CCCCXIII. Prima hac revelatione, quae cladem Israeli hilistaeis infligendam, et judicium in domum Heli, secun- interminationem, ipsi antea factam, mox executioni man- um, continet, cum Heli communicata, ab ipso adproba- et eventu confirmata, Samuel a toto populo agnitus est *hata*, et ab eo tempore sese variis vicibus talem praestitit; cap. III: 19—21. et c. IV: 1. traditur. Initium enim c. *l* male a praeced. avulsum est, per pravam *capitum* divisio- , cum sequente enim narratione calamitatis populi nullo mo- sed praecedentibus aptissime cohaerent verba, *et factum est; um Samuelis ad totum Israelem.* Sensus enim est, verbum vae, ad ipsum factum, uti in praeced. erat traditum, per m, tanquam oraculum Dei, ipsius ore prolatum fuisse ad sum populum. Quid vero Samuel eo temporis interval- quo publicum in medio populi egit Prophetam, dixerit no- e Dei, quidve Israeli acciderit, licet sileat Historia; ex cap. mo tamen colligi potest, Israelem toto illo tempore sub istaeorum gemuisse servitute, et Samuelem in eo fuisse, ut ad Idololatriae renunciandum, ac Jehovam solum colen- , permoveret: uti ex vers. 3*tio* liquet. Duravit autem intervallum, ut supra vidimus, *viginti* annos; quando *Judex* us populum a Philistaeorum oppressione, cum luculenta di- e opis demonstratione, vindicavit, et reliquas muneris Ju- alis partes fideliter obiit, uti cap. VII. narratur.

; CCCCXIV. Universo populo, ut de *modo*, quo Judex stitutus, et conversio populi consummata est, aliquid mo- neam,

neam, congregato Mitſpham, urbem in tribu Judae, vel Benjaminis, Joſ. XV: 38. XVIII: 26. ab aliis ejus nominis probe diſtinguendam, Samuel ſolenniter fuit ab Iſraele agnitus Judex, et ab eo tempore eo functus eſt munere; quo verba verſ. 6 fin. collineant, *et judicavit Samuel filios Iſraelis Mitſphae* h. e. judicare coepit, vel judicis munus ſuſcepit, et adgreſſus eſt. Praeterea populus converſionem ſuam ad Jehovam, cum ſeria poenitentia, ſolenni, ſed ſingulari, ritu, *aquae hauſtae et effuſae coram Jehova*, teſtificatus eſt: verſ. 5. Quae *aquae effuſio*, precibus ac *jejuniis*, ut ibi traditur, adjuncta, in periculoſiſſimo populi ſtatu, adeoque hiſce circumſtantiis convenienter explicanda, mihi, cum ſtatus populi, inſtar *aquae effuſae* diſſoluti, tum *animi fracti*, ſimul *ſinceri*, publicam teſtificationem ob oculos videtur ponere. Animum utique *ſincerum*, ſeu ſeſe in precibus et jejuniis agere ſerio, recte expingit *aquae effuſio*, cum et alias *effundere ſpiritum* etiam *inſtar aquae*, uſitata ſit phraſis, uti Thren. II: 19. et alibi. Nec minus apte animum fractum, inſtar aquae diſſolutum, rebus ſuis diffidentem, ac triſtitia obrutum, exprimit: uti Jer. VIII: 23. Thren. III: 38. et alibi. Vicem itaque lacrymarum quaſi tenuit *aquae* in ſignum triſtitiae effuſio.

§. CCCCXV. Muneris Judicialis, ſolenniter ſuſcepti, partes exacte explevit, *unam* in populo a Philiſtaeorum dominio et invaſionibus liberando, verſ. 7—14. *alteram* in eo gubernando ac judicando, v. 15—17. Philiſtaeos tonitru et grandineis lapidibus divinitus conſternatos, ac in fugam actos, et ab Iſraele inſequente ubique proſtratos fuiſſe, narrat hiſtoria, adeo ut *diebus* Samuelis non amplius auſi fuerint *intrare limites* Iſraelis, verſ. 13. Quae phraſis, *diebus Samuelis*, non eſt ad finem vitae ejus extendenda, ſed ad *tempus* referenda, quo ſolus, ſine filiis ſociis, et Saulo, hoc munere functus eſt. Quod cum ex ſequente hiſtoria, quae Philiſtaeorum invaſionem, vivo adhuc Samuele, exhibet, tum ex diſtincta phraſi verſ. 15. *omnibus diebus vitae Samuelis* eluceſſit. *Dies* itaque Samuelis totum illud tempus continent, quo ſolus praeſuit, et in vigore fuit,

fuit. Quod quantum fuerit temporis intervallum Hiſtoria ſacra tacet, nec aliunde rectius eruendum, quam ex Joſepho, qui alia potuit habuiſſe monumenta, vel e traditione ſcire. Ipſe vero ſoli Samueli annos tribuit *duodecim*, Ant. l. VI. c. 13. in quo acquieſcere licet. Hoc itaque 12 annorum ſpatio Iſrael in libertate ac pace vixit, Philiſtaeis domitis vel abſterritis, et Amorrhaeis, vel reliquis Cananaeis, (Amorrhaeorum enim nomine omnes illi Cananaei ſubinde veniunt) ſe quietos tenentibus; ut verſ. 14 traditur.

§. CCCCXVI. In *altera* parte muneris, quae judicialem populi gubernationem complectitur, cum *omnibus vitae diebus* verſ. 15. legitur adſiduus fuiſſe, illud ita eſt capiendum, quatenus *Judicis* perſonam ſemper retinuit, licet in functione aliqua obtinuerit varietas, primo ſuffectis filiis, dein electo Rege, quando, Judicis perſona non plane depoſita, partes tamen non ita, ut antea, explevit. Cum enim ſolitus eſſet urbes, ut Bethelem, Gilgalem, et Mitſpham, in quibus, antiqua quippe religione conſecratis, tribunalia inferiora erant erecta, ſupremo Tribunali, in urbe patria Rama ſedenti, verſ. 16, 17. ſubjecta, circuire, non tam ut ipſe controverſias audiret et decideret, quod fieri vix poterat, quam ut tribunalia, ibi fixa, viſitaret, et neceſſaria ordinaret: poſtea, prae ſenectute, illud Filiis demandavit, dein, Saulo rege facto, non niſi extraordinariis in caſibus ſeſe interpoſuit, ut hiſtoria docet. Ceterum, quod *altare* narretur erexiſſe Ramae, verſ. 17. illud factum fuit, non ut ordinario cultus Dei loco, Tabernaculo, aliquid praejudicii adferret, quod a perſona ejus longe alienum erat, ſed partim, in ſignum et monumentum cultus Divini in Iſraele, abdicata idololatria, reſtituti, partim, ut locus ſupremi tribunalis, ibi, ut dixi, ſedem habentis, ſanctificaretur, ac Deo conſecraretur.

§. CCCCXVII. *Tertii* hujus periodi intervalli ab uncto Saulo ad Salomonem, ſeu Templi ab ipſo fundationem, uſque, hiſtoriam antequam tradam, ab inſtituto non fuerit alienum, *occaſionem* introductae formae regiminis Monarchicae, et *modum*,

 quo

quo facta fuit, enarrasse et illustrasse. Quae historia 1 Sam. VIII. traditur. *Occasionem*, seu praetextum potius, ut mox patebit, praebuit filiorum Samuelis, qui munere subalternorum Judicum Bersebae male erant functi, electio, a Samuele facta, ut ipsius vices in visitandis tribunalibus, et omnibus rebus aliis, quas ipse prae senectute amplius non poterat, ordinandis supplerent. Secundum hanc hypothesin, vers. 1. filiorum electio in locum *vice-regentum* memoratur, et praesens eorum conditio, quando ad superiorem eam dignitatem sunt promoti, vers. 2 et 3. Quod 1. scopo vers. 2 et 3 aptius convenit, cum notitia ibi detur qualitatum filiorum moralium, quos Samuel sibi nunc adjungebat 2. aliunde etiam confirmatur, *cum*, quod Samuelem eos suprema hac dignitate ornaturum fuisse, nisi antea huic muneri fuissent adsueti, probabile non sit, *tum*, sedes non videantur accepturi, qua *vice-judices*, in Berseba, loco a Samuelis sede nimis remoto, sed potius *Ramae*, apud ipsum Samuelem. Phrases itaque vers. 1 et 2 differunt; vers. 1. enim *judices* Israelis *constitui*, denotat *supremi Judicis* vices obire, et vers. 2. *judices* in Berseba inferiores ac subalternos. Nec tamen, Filios sibi substituendo, censendus est se munere abdicasse, illudque ad Filios transtulisse, ita ut supremi, et proprie dicti, Judices fuerint, quales antea in Israele locum habuerunt, ut nonnulli capiunt. Tales enim 1. a Deo et populo debebant et solebant constitui. 2. Israel, regem petendo, non Filios, sed ipsum Samuelem, arguuntur sprevisse, vers. 7. 3. Samuel ad vitae finem fuit Judex, ut modo vidimus, nec nisi jussu Dei renunciare poterat huic muneri. Ipse itaque Filios tantum sibi, tanquam *vice-judices*, suffecit, ut suo nomine, cum autoritate, totum Israelem judicarent, quod ipse amplius non poterat, ita ut summa rei penes ipsum manserit.

§. CCCCXVIII. Hoc, quod licite poterat, cum fecisset, ut in munere sublevaretur, simul Filios sub oculis suis aptiores redderet ad munus, denique Ammonitis, qui se contra Jabesitas movere incipiebant, rectius obviam iret, quippe ad bellum

nunc

nunc ineptior? Seniores populi hanc ansam avide adripuerant *Regem* consequendi, et pertinaciter urserunt. Nec deerat species, quam mala Filiorum fama praebebat, de qua Samuelem, ejus rei ignarum, propterea certiorem fecerunt, ut eum ab hoc proposito dimoverent, et ad regem eligendum flecterent: vers. 5. Fuisse autem purum putum praetextum, non veram caussam Regem postulandi, variae evincunt rationes. 1. Ratio, ab ipsis prolata, inepta, saltem insufficiens fuit, non tantum, quod Filii non fuerint supremi Judices, sed Samueli subjecti, sed in primis eorum corruptio tanta non erat, aut inemendabilis, ut ex c. XII: 2. colligi posse videtur. Dicuntur quoque c. VIII: 3. tantum minus integri, quam Samuel, et ad donaria respexisse arguuntur; praeterea haec ratio ad Filios quidem excludendos aliquid, sed ad Regem petendum, nihil valebat. 2. Obstinata eorum postulatio, a qua nihil eos abstrahere potuit, vers. 10. eos jam firmo illud animo destinasse, non ea ratione, quam protulerunt, quae ipsis facile poterat eripi, sed longe alia fuisse motos, arguit. 3. Nec Regem simpliciter petunt, sed qualem Gentes habebant, vers. 5. argumento, taedium regiminis Theocratici per Judices, et desiderium ad mores Gentium, eos praecipue incitasse. Quo etiam facit, quod regis petitio cum Dei, tanquam regis Israelis, rejectione conjuncta fuisse dicatur vers. 7. et alibi; adeoque non ex animo pio, et foederis Dei observante, profecta, sicut praetendebant. 4. Denique cum metus hostium, ipsis inminentium, eos incitaverit, c. XII: 12. clare elucescit, eos Dei curae et auxilio coepisse diffidere, et inde hanc postulationem originem repetiisse.

§. CCCCXIX. Dictis robur accedit, et uberior lux infunditur, per *modum*, quo regiminis mutatio est decreta, qui vers. 4—22 narratur, si indignatio Samuelis, et responsum Jehovae, adtendatur, et in vero suo conspectu collocetur. Indignatio et improbatio Samuelis, vers. 6. memorata, non tam inde est orta, quod ipsum et filios rejecerint, licet et eo sese ingratos praebuerint ac iniquos, quare illud non est penitus

excludendum, quam quod *Deum*, supremum Regem, *spreverint*. a. quia, Deo non consulto, a Samuele postularunt Regem b. et quidem regem secundum morem Gentium, de quo mox c. ex perverso et minus pio animo, Deo non amplius fidentes. Ceterum Samuelem, non tam sui, quam Dei et populi causa, illud aegre tulisse, praeterquam quod nota et testata ejus pietas illud credere jubeat, ipse textus declarat, cum, sui et filiorum nulla facta mentione, regis petitionem tantum reprobasse dicatur. Ex quo simul confirmatur, filiorum malam administrationem, non causam, sed praetextum tantum fuisse postulati Israelitarum, cum ceteroquin populo satisfecisset, et hanc causam e medio tulisset.

§. CCCCXX. Deus in *responso* suo 1. populi votis esse adnuendum, declarat, non obstante Samuelis non tantum, sed Dei ipsius rejectione, vers. 7. cujus posterius membrum, *quia non te spreverunt, sed me, ne eorum rex sim*, non exponit rationem, quare Deus populi vota velit habere rata, ut accipi solet, cum verba ad Samuelem tranquillandum et consolandum tunc tantum tenderent, et indicarent, Samuelem, non tam Dei, quam sui causa se opposuisse, quod absonum est, ut modo notavi, sed rationem tradit, quae, cum prohibere deberet, non inpediret hoc in casu, adeoque ea non obstante. Etsi itaque Samuel non tantum, sed et Deus ipse repudiaretur, hoc non obstante, Rex dandus erat populo, si pertinaciter velit: vocula כי *quia* hic idem est, ac *quamvis*, *licet*, uti saepe alibi, ut sit: *audi* populum, *quamvis*, *non te spreverit*, *sed me*, h. e. non te solum, nec praecipue, sed me inprimis. Est itaque acsi dixisset Deus: justa Tibi est indignandi ratio, nec ex propriae gloriae cupiditate, sed mei causa, in te orta, quia non tantum, nec tam Te, licet et in eo prave egerint, quam me repudiarunt, Regem eorum legitimum et supremum, sub cujus auspiciis Tu populum rexisti; sed, eo non obstante, genio suo fruatur populus, et ipsi detur Rex, qualem volunt.

§. CCCCXXI. Addit Deus *rationem*, quare populo non sit deneganda petitio, a perversa et obstinata ejus indole antea mul-

multis speciminibus demonstrata, cui aliquid dandum est, ut majus malum vitetur, petitam vers. 8. ubi, cum ex quo principio fluxerit petitio, tum quare ei mos sit gerendus, traditur: originem habuit non ex male administrato munere a Samuele, uti praetexebant Israelitae, licet filiis ejus inputaverint, sed ex animo novitatis, praecipue *moris* Gentilium, cupido, cujus tot per omnia tempora dederant indicia. Quod Deus hic in Samuelis gratiam declarat, ne, quod ipsum aegre habere poterat, sui caussa id a populo peti existimaret; acsi iniqua muneris functione caussam praebuisset. Ideo additur, quemadmodum *mihi semper*, sic *nunc Tibi faciunt*, nec tibi magis, quam mihi inputandum est. Sed latet et hic *ratio*, quod non erat praetereundum, quare in vota populi concedendum esset, ut ad perversam ejus indolem Deus sese adcommodaret. Quod et aliis in casibus factum fuisse constat. Ceterum si quis ad id offendat, quod Deus dicat, sicut animum Gentilium moribus deditum, per omnia tempora, per multiplicem idololatriam, demonstrarunt, *ita et nunc Tibi faciunt*, cum videatur dici debuisse, *ita nunc mihi* faciunt, alium petendo regem, is forte legere poterit, pro גם לך *etiam tibi* faciunt, גם מלך etiam nunc faciunt *in caussa regis*, seu *regem petentes*: litera מ ex concurrentia superioris ם facile excidere potuit.

§. CCCCXXII. Denique ne inscius et praeceps sese *servituti* addicat Israel, imo, si pote, a proposito dimoveatur, Deus pro bonitate sua jussit, ut ante de eo admoneatur populus, quam palam votis ejus adnuat. Huc enim tendere *juris regii* enarrationem vers. 11— ipsum ejus argumentum ostendit, et vers. 19. ubi populus, hoc jure non obstante, proposito adfixum se manere declarat. *Jus* vero illud *regium* 1. non comprehendit leges, in regimine a Rege observandas, nulla enim officia regi praescribuntur, quod demum, rege jam electo, factum est c. X: 25. ut videtur, licet res sit dubia, et omnia in regis arbitrium hic resolvuntur, jus etiam onerosum, quod querelas excitaret, traditur, nec non quale reges Gentiles exercebant; nec 2. mores tyrannicos, quippe quos populus ferre

necesse non habebat, secus ac hic dicitur, nec juris regii tamen ullo sensu merentur, denique 3. nec mores quoque, proprie et simpliciter sic dictos, sed legitimos, qui effectum juris habent, adeoque agendi modum, quem jure tenere possent reges, et tenerent, absque ut querelis justus esset locus; jure, dico, quo sensu jus dicitur, quod nullam patitur contradictionem, quodque effectum juris habet. Quales reges fuerunt in Oriente, qui subditis tanquam servis utebantur, et summo suo jure agebant, secundum illud: *sic volo, sic jubeo, stat pro ratione voluntas.* De quo specimina, hic producta, quoque testantur. Libertati populi licet sint adversa, et de ea cum servitute commutata testentur, nullum tamen est, quod in leges divinas directe incurrit. Quod vero de *agris*, *vineis* et *olivetis* optimis, possessoribus ereptis, et servis datis, habetur v. 14. illud 1. de *optimis*, a rege pro arbitrio eligendis, capiendum est, et pro hypothesi habet, possessiones aliquas regi esse a populo concedendas, 2. de *usufructu* recte sumitur, ut sensus sit, regem non fore *decimis* contentum, sed nonnullarum rerum, vel possessionum, omnes fructus sibi in usum servorum suorum vindicaturum esse. Quem eundem sensum habet v. 16. De quo pluribus differere possem, si hujus esset loci. Quae etiam ratio est, quare exponere peccatum populi in petendo rege, et inminutionem, non totalem abolitionem, *Theocratiae* in medio Israelis, praetermitto. Legi possunt, qui de Theocratica regiminis forma egerunt, in primis Spencerus.

§. CCCCXXIII. In historia primi Regis *Sauli* constituti, duplex ejus electio, et inauguratio, probe ante omnia est advertenda, et distinguenda: *prior* privata a Samuele, et publica in comitiis populi, Mitspae congregati: *posterior* post liberatos Jabesitas, et devictos Ammonitas; cujus repetitae inaugurationis clara exstat mentio c. XI: 12. Quae duplex regni *Sauli* periodus, et forma regiminis, et spatio temporis fuit diversa. Post priorem electionem, publice factam, Saulus una cum Samuele praefuit, sed post alteram inaugurationem solus Saulus,

Samuele sese, solenni ad populum oratione, abdicante, cap. XII. Conjuncti regiminis indicium est, c. XI: 7. et aliunde quoque de eo constat. Sed altera periodo Samuel, qua Propheta, Saulum quidem, nomine Dei, subinde instruxit, et admonuit, sed in regimine nusquam legitur partes habuisse. Quod ad spatium temporis intermedii adtinet, illud 18 fuisse annorum, plusquam probabile est. Josephi enim, quid illud adserit, sicut non est spernenda autoritas, ita ex eo confirmatur, quod solus Saulus, secundum ipsum, 22 annos regnaverit, adeoque in universum 40 annos, quod Act. XIII: 21. ab Apostolo diserte traditur. Accedit, Saulum in priore electione occurrere tanquam *juvenem*, in domo Patris adhuc versantem, c. IX: 2— sed, cum altera vice confirmatus est, filium jam habuit Jonathanem, militiae aptum, cap. XIII. Recte itaque statuitur, ipsum tempore prioris electionis natum fuisse 22, et posterioris quadraginta; regnasse a priore epocha 40, a posteriore 22 annos; atque hoc lacunam vexatissimi loci cap. XIII: 1. optime expleri, si ita ut plene legatur: *filius 40 annorum fuit Saulus cum regnare incepit* (scilicet altera vice, uti narratum erat) *et 22 annos regnavit super Israelo.* (solus) *Pro filius anni* leg. *filius 40 annorum*, et pro *duos annos* leg. 22, et notae numerales מ 40 ac כ, ab censeri possunt excidisse. Locus utique aliam non admittit explicationem, solet quoque ubique in historia S. hisce phrasibus aetas regis, ac duratio regni tradi. Nec desunt exempla alia ejusmodi lacunarum, vel mendorum in Hist. S. quae postea etiam sub manus venient. Consulitur denique hac ratione autoritati Script. S. longe rectius, quam contortis, saepe absurdis, explicationibus.

§. CCCCXXIV. *Prior* regni periodus cap. IX et X. narrata, duplicem complexa ejus electionem, *unam* privatam, singulari casu adventus Sauli ad Samuelem factam, et nonnullis signis confirmatam, *alteram* publicam Mitspae in comitiis populi, ex divina directione per sortem, cum pauca contineat observanda, ea proferam, postquam de Sauli familia, et ratione electionis ejus aliquid dixero. Fuit, uti 1 Chron. IX: 39. habetur,

betur, filius Kischi, filii Neri, sed 1 Sam. IX: 2, filius Kischi, filii Abielis — —, filii *viri Benjaminitae*, *herois*, vel *viri strenui* adpellatur. Quae facile conciliantur, si, priore loco nonnullos genitores fuisse intermissos, et posteriore nomen *Neri* ante *Viri Jemini* excidisse, statuatur. Quod et inde firmatur, quod viri *strenui* et *divitis* epitheton in Kischum non quadret, uti ex vers. 21. colligitur, sed quare Saulus ex tribu Benjaminis, omnium minima, fuit electus, praeteritis illustrioribus tribubus Judae; et Ephraimi? forte, ut aemulationi illarum tribuum, de primatu passim contendentium, obviam iretur, et populari opinioni, in procera statura aliquid praestantioris collocanti, convenienter, crearetur Rex, ut ita populo esset gratior. Talem enim fuisse *Saulum*, bis fuit expresse notatum c. IX: 2. et X: 23.

§. CCCCXXV. Prior regni periodus, ut historiae ductum sequar, cap. IX et X. narrata, complectitur electionem et unctionem Sauli privatam, signis nonnullis confirmatam, a Samuele factam, cujus occasionem praebuerunt asinae Patris Sauli deperditae. Quas cum Saulus cum servo, a Patre missus, quaereret, nec, postquam tractum Salisae et Sahalimorum, terramque Benjaminis reliquam, peragrassent, et montanum Ephraimi adtigissent, (ita enim capiendus est, v. 4. cap. IX. ceteroquin impeditior) invenissent, consilium Samuelem consulendi, isto in loco degentem, ceperunt. Ad quam aliqua luce perfundendam paucis hic contentus ero observatis, ab instituto non abhorrentibus, reliquis, ad textum simpliciter pertinentibus, missis. 1. Cum cap. IX: 9. ad illustrandum, quod v. 11. traditur de titulo הראה *videntis*, quo Saulus utitur, ab alia manu insertum, et ad vers. 11. pertinens, habeat, prophetam illo tempore nomine *videntis* fuisse insignitum, notari velim α. de usu communi, et vulgo recepto, intelligendum esse, ut ex formula iis usitata, qui Deum de arcanis consultum ibant, facile colligitur: cui itaque non obstat, nomen נביא in Scriptis Veterum occurrere, cum alius possit esse vulgi, alius Scriptoris stylus, β. sensum esse, vul-

gato

gato stylo, tempore Samuelis, id fuisse inter nomina נביא et ראה discriminis, ut נביא *propheta* fuerit adpellatus, qui de rebus divinis, qualicunque modo, sive ligato, sive soluto sermone, differebat, si extraordinario motu, et inpulsu divino illud fiebat, uti ex c. X: 10. et aliunde patet, sed ראה *videns* fuerit dictus, qui arcana, vel futura cognoscebat ex revelatione divina. Quando autem hic vulgatus loquendi usus coeperit, quando desierit, incertum est. 2. Ubi Deus Samueli, uno die ante occursum Sauli, revelasse traditur c. IX: 16. se missurum virum ex terra Benjaminis, ab ipso ungendum *antecessorem* super Israele, ut populum liberet a dominio Philistaeorum etc. *a.* notanda est ellipsis historica, qua reticentur Ammonitae, quorum causa regem petiisse leguntur Israelitae, cap. XII: 12. Philistaei autem expresse memorantur, quia mox invaderent Israelem, ut saepe ante fecerant, et eorum oppressiones erant magis diuturnae, ac metuendae. Quales ellipses non sunt infrequentes, uti in superioribus observavimus, Gen. XV: 13. Ex. XII: 40. 1 Sam. IV: 8. *b.* Deum hic non adprobare regis institutionem, sed simpliciter declarare, quare, cum votis populi adnuat, ad ejus genium sese adcommodans, regem concedat, ut, quod antea per Judices fecerat, id nunc per Regem praestet, quem populi vult esse liberatorem: quae singularis est Dei benignitas, ab Israele probe ad animum revocanda. *c.* Phrases hic adhiberi v. 17, 18. quae dignitatem et officium regis exprimunt. Quo pertinet נגיד *antecessor* et pugnator strenuus; quae vis vocis est, et quod mox sequitur, *servabit populum meum.* Additur v. 18. יעצר proprie *restringet*, refraenabit populum meum, inperabit cum auctoritate, et prohibebit.

§. CCCCXXVI. 3. Verba Samuelis ad Saulum, v. 20. *cujus est omne desiderium Israelis? nonne Tibi* etc. non significant, ut putatur, Saulum esse desiderium Israelis, cum, quod *omne desiderium*, et non *desiderium omnis Israelis*, tum, non *tu*, sed *tibi* dicatur: sed, omnia populi bona desiderabilia fore in usum Sauli. Quod recte cum praecedente cohaeret; quia ad

 dammnum

damnum asinarum, si vel non essent repertae, resarciendum abunde sufficiat; quod omne Israelis desiderium sit ipsi. Quo regnum in ipsum conferendum esse, tacite insinuatur, et ad jus regium c. VIII. respicitur. 4. Cum Saulum ad sacrum convivium admisisset Samuel, et honorifice prae reliquis tractasset, eum titulo עם *populi*, h. e. praestantissimae partis gentis (quam emphasin subinde habet, uti Job XII: 1. et alibi) insigniendo, et *armum* ipsi offerendo comedendum, eo fini expresse conservatum; praeterea *unxisset* regem, casus quoque aliquos, ipsi in itinere domum obventuros, praedixisset, quibus de regno, ipsi dando, magis certior fieret, eaque ratione ipsum dimisisset; historia tradit, casus eos omnes ipsi in via contigisse; sed in tertio casu enarrando accuratior est; quia aliquid singulare habebat, et de promisso Dei, per Samuelem facto, inplendo eximie testabatur c. X: 9—12. Praeterquam quod *cor* ejus dicatur *mutatum*, scilicet rusticum in regium, secundum Theodoret, quaest. 20*ma* in 1 Reg. seu Sam., choro divinorum poetarum inmixtus, eodem fuit correptus spiritu, et cecinit: quo signo et ipse confirmatus est in spe regni promissi, et in publicam venit notitiam, tanquam ad altiora destinatus. Quo etiam pertinere videtur, non tantum proverbium, inde natum, *Saul inter Prophetas*, sed et abruptum illud unius ex istius loci hominibus dictum propheticum, *et quis Pater eorum*? ad Saulum, tanquam regem futurum, adplicitum: acsi dixisset vir iste: quid hoc miramini, Saulum *spiritu* divino tam subito corripi? *quis enim Pater ipsorum* prophetarum? nonne hic ipse Saulus, rex futurus? *Patrem* pro rege sumi, non est insolitum. Vid. Cl. Rhenferd. in voce *Atta* inter opera ejus. 5. Denique *jus regni*, c. X: 25. sitne idem quod *jus regis* c. VIII. an diversum, et officia, a rege praestanda, complexum, dubium est, licet prius probabilius, quia argumentum ejus alias fuisset additum, utique non tam absolute simpliciter memoratum: idem itaque jus, ante tantum pronunciatum, nunc scripto est consignatum, et coram Jehova, *incertum quo in loco*, repositum, in perpetuum rei monumentum,

ıum, ut populus ante oculos semper haberet, ad quid sese, regimine Dei spreto, obligaverat.

§. CCCCXXVII. Posteriorem regni periodum, seu inauguationis renovationem produxit insignis victoria, ope Sauli, de Ammonitis, Jabesum in Gilead obsidentibus, et ad incitas religentibus, reportata, cap. XI. Ubi, quod ad forum nostrum unice pertinet, *tempus* definiendum est, quo hic casus contigit. LXX, quos Josephus secutus est, habent *ὡς μετὰ μῆνα tanquam post mensem*, scilicet prioris inaugurationis, sed quorum autoritas hoc casu eo magis nihili est facienda, quia, quod minus est observatum, ex prava lectione vocis כמחריש vers. 27. cap. praecedentis, originem repetiit: legerant enim pro ea כמחדש *sicut post mensem.* Missa igitur hac opinione, cum a textus Hebr. lectione non sit discedendi vel minima ratio, mihi probabilius longe videtur, casum illum 18 annos post priorem electionem Sauli contigisse, quia cum altera epocha regni Sauli, quae tot annos a priore distat, ut supra notavi, proxime cohaeret, ut ex vers. 14. patet. Intermedio hoc tempore Saulus vitam videtur degisse, ut plurimum, privatam, Samueli ura populi relicta, uti ex c. X: 26. ubi *domum suam* petiisse, t c. XI: 5. ubi *ab arando* venisse traditur, colligi potest; quo tiam facit, quod nihil de Saulo fuerit memoriae traditum. Ratio autem, quare se silentio involverit, videtur a nonnullorum valida oppositione, c. X: 27. memorata, petenda, cui nec ipse se opposuit, nec populus, quippe qui post hanc demum victoriam illud fecit. c. XI: 12. Addi potest, Saulum forte occasionem, qua specimen virtutis daret, et se Israelis liberatorem praestaret, exspectasse, sicut Judices praecedentes auspicia muneris passim ea ratione sumserunt. Nec obstat, quod metus Ammonitarum populo praetextum dedisse legatur c. XII: 12. postulandi regem, cum Rex Ammonitarum e jam tunc ad Israelem invadendum praeparare potuisset, sed e deinceps, cum videret regem strenuum ab Israele electum sse, continuisse, donec motus intestinos, regis Sauli causa rtos, et privatam Sauli vitam intellexisset; quando id, quod

diu ante molitus erat, exsequi coepit, obsidendo Jabesitas. Ceterum historia victoriae de Ammonitis, et liberationis Jabesitarum, c. XI: 1—13. narrata, nihil nobis hic notandum suppeditat, praeter illud unum, mirum accidere non debere, quod Jabesitae *septidui* moram stipulati fuerint, intra quod tempus si contribules opem non ferrent, durissimam, et ignominiosam subirent conditionem, quia vel fieri potuit, ut non serio id dixerint, sed ut tempus se praeparandi, vel alio fugiendi haberent, quemadmodum hostes vers. 10. quoque decepisse leguntur, vel certo sperarint, fratres, eorumque regem, hanc non permissuros ignominiam, uti eventus docuit. Sed illud potius mirandum, Ammonitas tantum temporis concessisse. Forte viribus suis confisi spreverunt Israelitas, uti vers. 2. indicatur, simul sperarunt, se Jabesitas sine suo discrimine et labore in potestatem esse redacturos, post illud spatium temporis elapsum, nimis etiam breve censitum, quam ut Israelitae ad eorum opem adcurrere potuerint.

§. CCCCXXVIII. Sequitur nunc periodus Sauli solius regnantis, Samuele quidem prophetam agente, et extraordinariis in casibus sese nonnunquam, nomine Dei, interponente, sed ordinaria administratione regni abdicata, et in Saulum translata, sermone apologetico et adhortatorio ad Israelem, in unum coactum, habito cap. XII. quo et suam, et Dei, tanquam *regis*, administrationem luculenter justificavit, populi *ingratitudinem* et peccatum in rege postulando luci exposuit, sed *simul* declaravit, regem, Deo concedente, esse constitutum, populo vero, prout sese erga Deum, et legem ejus, bene vel male gesserit, bene vel male futurum, ut, regimen Monarchicum sibi non esse nociturum, convinceretur, si supremo Dei regimini non subduceretur, aut adversaretur. Duravit haec periodus regni Sauli solius 22 annos, uti supra vidimus, et c. XIII: 1. hac ratione supplendum esse observavimus: *filius* 40 *annorum Saulus cum regnare incepit*, *et* 22 *annos regnavit*.

§. CCCCXXIX. Sed est haec Samuelis oratio notabilior, ac illustrior, quam ut sine uno alterove observato, ad ejus *intel-*

lectum,

lectum, eam transeam. In *prima* parte, v. 1—5. qua se munus judicis legitime deponere posse declarat, simul bonae administrationis testimonium a populo postulat, notari meretur, α. rationes, quae legitimam faciebant depositionem, partim a rege constituto esse desumtas, partim a senectute Samuelis, partim etiam a filiis in medio populi superstitibus, v. 2. quorum mentionem facit, ut, eos populo usui esse posse, si iis uti velit, significaret, vel, si pro הנם *ecce illi*, legendum quis malit חנם *frustra*, sine fructu, eos non magis, quam se senem, utiles ipsis esse indicaret; quod c. VIII: 3. forte congruentius est, β. muneris abdicationem cum innocentiae suae publico testimonio voluisse conjunctam esse, ne a populo videretur juste depositus, aut populo justa videretur fuisse causa regem petendi, utque denique regi exemplum praeberet imitandum, ne potestate autoritateve abuteretur, quod quoque observavit Chrysost. homil. in illud, *utinam modicum sustineretis* etc. tom. III. Ultima v. 3. verba ita vertenda sunt et capienda: *e cujus manu sumsi pretium* (redemtionis, quo male factum suum expiet, vel se a poena redimat: quod est כפר Num. XXXV: 31.) *et clausos ei obsignavi oculos*, (h. e. non animadverti in ipsum, connivendo ad ejus delictum. Lev. XX: 4. Vid. Cl. Schultens Defect. §. 172.)

§. CCCCXXX. Sua justificata administratione, ad Deum se mox confert defendendum, ejus beneficia, durante Theocratia, in populum collata, recensens, quae *secunda* pars est v. 6—12., ut error et peccatum populi in Rege petendo eo magis elucescat, ne populus male videretur a Deo, tanquam Rege suo, tractatus, et ad regem postulandum jure compulsus. De quo partis scopo ex v. 6 et 7. clare constat. *Jehova* inquit, (h. e. quod adtinet ad Jehovam, qui sese regem et liberatorem vestrum per Mosen et Aaronem praestitit) — *contendam vobiscum coram Jehova, cum* (sic enim את hic verti debet) *omnibus justitiis ejus.* (quas proferam, ut causam ejus justificem) *Justitiae* Jehovae sunt praeclara ejus facinora in commodum populi, sive sint judicia, ad ejus emendationem,

 sive

five liberationes: cujus utriusque generis mox recenset. Ubi observo, alios v. 11. memorari Judices, ac per quos debellati fuerunt hostes, quorum mentio fit v. 9. exceptis Philistaeis, per Samuelem, sed et Samgarem ac Simsonem repressis. Videtur itaque Samuel solas oppressiones v. 9. recensere, et liberationes mente addendas velle, et v. 11. solos memorare judices, subintellectis hostibus, ab iis domitis. Reliqua enim, tanquam nota, facile suppleri poterant. Qua ratione omnes liberationes, et oppressiones digito quasi monstrantur. Quo admisso בדן *Bedan* recte pro Gideone habetur, sive a Samuele additum, ad nomen Jerubbaalis explicandum, sive ad marginem eo scopo positum, uti Jud. VII: 1. *Jerubbaal ipse Gideon:* quem etiam nostro loco habet Chrysost. l. c. qui, uti LXX, mox addit Barakum. Censeri vero Gideon et Samuel possunt expresse memorati, propter regiminis Theocratici formam, ab ipsis defensam, cum Gideon noluerit *rex* esse, et Samuel se petitioni populi opposuerit. Jephta vero additur, quia ante voluit a Deo per victoriam concessam designari, quam Judicis adsumere personam Jud. XI: 9. Quod si Bedan non sit pro Gideone, nihil rectius suppetit, quam ut בדן sit בן דן *filius* Dani, adeoque Simson; cujus mentio facta est, quia Nazireus Dei fuit, et suo solo robore omnia peregit, sine ope populi, spiritu Dei animatus.

§. CCCCXXXI. Justificatione suae et Dei *administrationis* facta, Regem declarat, Deo volente, esse constitutum, *sed populo*, prout sese erga Deum et legem gesserit, bene vel male futurum, addit, ut, regimen Monarchicum sibi non esse nociturum, sciret populus, si Deo, supremo suo Regi, adhaeresceret v. 13—15. Denique confirmat dicta externo signo divino *tonitru* et *inbris*, tempore prorsus insolito et intempestivo, Messis scilicet triticeae: quando simile quid in Cananaea, teste quoque Hieronymo ad Am. IV. contingere non solebat; ut ex hoc signo discerent 1. se in Deum et Samuelem, regem volendo, graviter deliquisse, v. 17, 19. 2. quid exspectandum habeant, si Deum deserant, et ad falsorum Numinum

se

ſe conferant cultum, 3. quantopere ſibi a Deo offendendo cavere debeant, ſi ejus iram, juſte accenſam, placare velint, 4. addito promiſſo, et favoris Dei, et ſuarum inſtructionum ac intercesſionum, ne a Deo, ejuſque favore deſciſcant. Quae ſumma, et ſcopus eſt, ultimae pericopae v. 16—25. Ubi obiter tantum obſervo v. 21. ita eſſe vertendum et intelligendum: *et non recedetis* (a Jehova v. 20. ſcilicet ſi mens laeva non fuerit, et propriis conſulere volueritis utilitatibus) *quia* (a Jehova, ejuſque cultu deficientes) *poſt inane* (ambulaℓretis, et illud ſequeremini) *quod nihil proderit, nec ſervabit, quia ſunt purum putum inane* omnia illa idola.

§. CCCCXXXII. Geſtorum et fatorum Sauli hiſtoria, quae hic c. XIII. incipit, non contexitur plena et adcurata, ſed ſingularia quaedam tantum complectitur, quae de minus proba ejus indole ſimul teſtantur, et rejectionis familiae ejus, novique regis Davidis electionis, cauſam praebuerunt: adeo ut hiſtorici ſcopus tantum fuerit oſtendere, qua ratione, et quas ob cauſas Saulus fuerit a Deo repudiatus, et David ei ſuffectus. Quae ratio eſt, quare in bello cum Philiſtaeis, et dein Amalekitis enarrando, prolixus ſit, quia praecipua inobedientiae et perverſitatis ſuae indicia tunc palam dedit; reliqua facinora ejus, in Philiſtinis devictis, ac reliqus populis hoſtilibus in ordinem quaquaverſum redactis, conſpicua, ſummatim tantum, et verbo, exhibuerit c. XIV: 46, 47. Hinc etiam eſt repetendum, quod de nova ſervitute Philiſtaea, in quam populus, poſt Samuelis abdicationem incidit, nihil, quoad *tempus* et *originem*, tradat hiſtoricus, ſed mox primum Sauli bellum cum Philiſtaeis narret, in quo fidem ſuam, de Iſraele per Saulum a Philiſtaeis liberando, c. IX: 26. datam, praeſtitit Deus, ſed et Saulus primum ad ſui rejectionem fecit gradum. Quod ſcopo hiſtorici ſufficiebat.

§. CCCCXXXIII. Dubium itaque manet, *cum*, quando populus in novam hanc ſervitutem Philiſtaeam fuerit delapſus, *tum*, quo tempore Jonathan ſtationem Philiſtaeorum percuſſerit, et bellum renovatum fuerit. De *priore* antequam mentem

 exponam,

exponam, ipsa hypothesis, Israelem scilicet dura fuisse hoc tempore pressum servitute a Philistaeis, adstruenda est. Quae licet expresse non memoretur ab historico, ex indubiis indiciis, in ipsa narratione obviis, sese facile prodit. 1. Habuerunt Philistaei milites *praesidiarios* in terra Israelis c. XIII: 3. ad Israelem utique in officio continendum, data occasione vexandum, ac tributa exigenda. 2. Fabros ferrarios ne quidem siverunt esse inter Israelitas, ut eos instrumentis bellicis, *gladio* et *hasta*, privarent: vers. 19.—De qua pericopa, satis singulari, mox quaedam monebo. 3. Denique Deus ipse de hac oppressione testatus est, c. IX: 16. Ceterum fuisse eam gravissimam, et Israelis conditionem fere desperatam, ex haud uno, in historia obvio, indicio colligi potest. α. Sexcenti tantum milites aderant Saulo et Jonathani, qui sese Gibae Benjaminis continebant, nec in publicum prodire audebant, v. 16. β. Vastatrices hostium turmae ubique grassabantur inpune, v. 17, 18. γ. Denique gladiis et hastis destituti erant Sauli milites, fabris quippe ferrariis in terra Israelitica deficientibus, v. 19.—Quod ut aliquatenus illustretur, notari velim, 1. Philistaeos, oppresso Israele, pacem hac conditione potuisse fecisse, ut nullas haberent Israelitae officinas ferrarias, ne bellum renovare possent, quemadmodum ex. gr. in foedere, *quod expulsis regibus populo Romano dedit Porsena nominatim comprehensum invenitur*, teste *Plinio* H. N. l. XXXIV. c. 14. *ne ferro nisi in agricultura uterentur.* Quem locum jam opportune adtulit Cl. Wesseling ad Simson. Chron. A. M. 2920, ubi et alia addit. 2. Fabros quoque ferrarios fuisse e terra Israelis ablatos a Philistaeis, sicut postea a Chaldaeis 2 Reg. XXIV: 14. Jer. XXIV: 1. XXIX: 2. 2. Quod ut eo rectius mandaretur exsecutioni per totam terram Israeliticam, praesidia ubique posuerunt, c. XIII: 3. simul cum vicinis populis, Israeli aeque infestis, conspirare potuerunt, ut innuitur c. XIV: 47. 4. Denique, ne quis, fieri vix posse ut omn[illegible] hastae et gladii defuerint Israeli, regerat, observari velim [illegible] 600 militibus Sauli illud tantum adfirmari v. 22. Sufficit it[illegible]

q[illegible]

ae bellica instrumenta illa fuisse rarissima in Israele, et in anta populi confusione ac trepidatione rem ita tulisse, ut auli milites iis caruerint; Deo etiam rem ita curante, ut ictoriam Deo esse adscribendam elucesceret.

§. CCCCXXXIV. Quaeritur nunc de *tempore*, quo nova aec coepit oppressio? Ex mea opinione non solum post aulum jam regem factum, quod Usserius jam observavit, ed et post alterum regni ejus initium, postquam Samuel sese bdicasset, et Saulus Jabesitas liberasset, adeoque solus regna- et, ingruit haec servitus, ob has rationes. 1. Cum Philistaei, Samuele devicti, limites Israelis non amplius intrasse dican- ur c. VII: 13, 14. *omnibus diebus Samuelis*, Israel, quam- diu Samuel praecipuas in regimine partes habuit, statui, hoc oco salvo, vix potest a Philistaeis tantopere oppressus. 2. Ali- ena quoque censeri debet a tempore belli cum Ammonitis; uti historiam c. XI. legenti in oculos facile incurrit. Prae- cessit autem proxime secundam regni Sauli periodum, ut su- pra vidimus. Nec obstat huic opinioni *a.* quod rex promit- tatur a Deo, qui populum e *manu Philistaeorum eripiat* cap. IX: 16. Eorum enim, quatenus jam tunc invaserint Israe- lem, non fit mentio; Ammonitae enim, tunc inminentes Isra- eli, ansam praebuerunt regem petendi, c. XII: 12. sed quia antiqui et continui ejus hostes erant, qui, sicut antea saepe, haud diu post iterum in populum irruerent, quorumque op- pressiones magis diuturnae et metuendae forent. Quibus ut tandem obex poneretur, Deus declarat, se regem populo da- turum, qui illud efficeret, sicut Saulus nunc, et deinceps Da- vid plenius fecit. *b.* Nec obest, quod in sermone Samuelis ad Saulum, tempore privatae unctionis ejus, dicatur c. X: 5. *Philistaeos* stationem praesidiariam habuisse in *Gibea colle Dei*; cum non sint, ut videtur, Samuelis verba, sed historici, qui ea addidit, ut lector sciret, eundem intelligi collem, quem postea occupatum tenuerunt Philistaei. Quid enim adtinebat illud a Samuele ad Saulum dici? nec in illud tempus convenit tatio Philistaeorum eo in loco. Hinc itaque nihil aliud col-

legi potest, quam Philistaeorum in potestate aliquando fuisse eum locum, sicut fuit, quo tempore dominati fuerunt in Israele; c. XIII: 3.

§. CCCCXXXV. Probabile itaque mihi fit, Philistaeos, ansa a Jabesitis liberatis, et Ammonitis oppressis, per Saulum arrepta, invasisse Israelitas, ne nimium invalescant, tempus vero opportunum judicasse, quo Samuel, quem in primis metuebant, se munere abdicaverat, Deum denique permisisse, ut a Philistaeis denuo opprimerentur, cum, ut peccata in rege petendo agnoscerent, et Deo, non regi, discerent fidere, tum, ipsius Sauli regnum luculentiore victoria confirmaret, et de novo quasi initiaret. Fuisse vero regnum Sauli per Philistaeos labefactatum, et per hanc victoriam tandem firmius stabilitum, vel inde patet, quod, devictis Philistaeis, *regnum tradatur cepisse* c. XIV: 47. Ex quo simul patescere videtur, oppressionem non fuisse diuturnam, et Israelem cito a Philistaeorum servitute liberatum, licet de tempore, quo bellum incepit, et Philistaei oppressi sint, nihil certi definiri possit.

§. CCCCXXXVI. Historia proelii, et victoriae ab Israele reportatae, cum insigni clade Philistaeorum, cap. XIV. non sine singulari Dei auxilio, primo in Jonathane animando et corroborando, qui heroico ductus spiritu, et signo quoque ab ipsis hostibus capto confirmatus, irruit cum solo armigero in stationem eorum in rupe, tanto cum successu, ut mox 20 ceciderint; deinde in terrae motu, et terrore panico *Philistaeis* omnibus incusso, ut sibi invicem intulerint manus; historia, inquam, cum, scopo historici, supra tradito, convenienter, nonnulla perversitatis Sauli indicia contineat, quae primum ad ejus rejectionem fecerunt gradum, ea, missis aliis observatis criticis et philologicis, nunc ad nos non pertinentibus, breviter exhibuisse, non fuerit a re alienum, 1. Primum, jam ante praelium, sed mox ineundum, datum, in eo fuit situm, quod, Samuelis adventu Gilgalem, ad Deo sacrificandum, non exspectato, quod tamen Samuel antea ipsi tanquam signum obedientiae et pietatis expresse injunxerat, ipse Deo obtulerit:

uti

uti narratur c. XIII: 8— Stipulatus autem illud ab ipso fuerat Samuel, cum ipsum, secreto unctum, a se dimisit, tanquam conditionem praesentiae Dei cum ipso, et perennitatis regni: uti traditur c. X: 8. Est enim, ut sensum dicti Samuelis tradam, ac si dixisset: haec, quae dedi, signa postquam tibi evenerint, scias, Deum Tibi adfuturum; modo tu caveas, ne *offeras*, cum Gilgalem, in difficillimo tempore veneris, antequam Tibi adero: hoc quippe signo animum tuum erga Deum explorabo. Non ergo qualiscunque descensus Gilgalem intelligitur, sed cum *oblatione*, difficili in casu, conjunctus: quod ulterius ex nostro loco, c. XIII: 8— quo respicitur, confirmatur. *Exspectavit Saulus septem dies secundum definitum tempus quod condixerat* (verbum enim יעד in מועד latens, addendum est, vel אמר *dixit*, ut Gersonea habet editio, notante Schulze in Bibl. Hag. Cl. Barkey Cl. I. fasc. 2.) *Samuel* etc. scilicet antea, 1 Sam. X: 8. Denunciat ipsi propterea Samuel, regnum ejus non perennaturum in domo ejus, sicut foret, si, hoc signo observato, sese obsequiosum praestitisset: vers. 13, 14. Ipse Saulus non repudiatur, nec etiam dicitur, regnum ejus in praesentia non esse firmandum, fuit enim nunc, devictis hostibus, corroboratum, sed illud non fore perpetuum, et ad ejus familiam transferendum. Ratio ab eo petitur, quod Deus, regem populo dando, voluerit voluntati suae obsecundantem, qualem, hoc inmorigerae indolis signo dato, sese non praestitit. Verba Samuelis, vers. 14. *quaesivit sibi Jehova virum, quem praeficiat populo, secundum cor suum* etc. non tam indicant, Deum alium mox regem ipsi suffecturum, quam quid Deo in animo fuerit, cum ipsum constituit regem, ut *esset secundum cor Dei*. Accedit, Saulum postea demum a Deo esse repudiatum, altero pravae indolis praebito specimine, cap. XV. nec hic dici, *quaeret*, sed *quaesivit* Deus *virum* etc.

§. CCCCXXXVII. 2. *Secundum* indicium suppeditat temeraria, et populo noxia, adjuratio populi, licet specioso ultionis plenariae de hostibus sumendae praetextu colorata, qua sub execratione populum jurare fecit, ne cibum aut potum usque ad

 vesperam

vesperam et plenam ultionem hostium sumeret: in quo non solum *inprudenter* egit, uti noxia evincunt consequentia in *Jonathane*, qui, mel sylvestre sumendo, singulari modo se recreavit, (phrasis enim c. XIV: 27 fin. denotat *oculos illustratos* in signum virium refectarum, et animi recreati, sive textualis lectio תראנה retineatur a rad רוא, quae Arab. per reduplicationem superest in רארא *splenduit acies oculorum*, Schult. in Vindic. et Filius in Disp. de *utilit. Dial*, sive marginalis תארנה adoptetur, uti v. 29. habetur) sed et violatae adjurationis se inscius reum fecit, nec non in *populo*, qui, viribus quoque prae inedia exhaustis, hostes persequi non potuit: v. 28. quo ultima Jonathanis verba v. 30. *non est magna nunc clades Philistaeorum* quoque tendunt, nec non quod Philistaei tantum percussi dicantur v. 31. *Michmaso usque Ajalonem, quia populus erat defatigatus*, denique hinc est ortum, quod populus, in praedam ad vesperam ruerit, et carnen voraverit, antequam Philistaei totaliter essent deleti, adeoque contra adjurationem, ut ex vers. 24 patet, praeterea *sanguine* non satis purgatam, adeoque contra legem Lev. XIX: 26. non solum hoc, inquam, sed et *inprobe*, prospero rerum successu nimium elatus, acsi hostes penitus delere in manibus haberet, suis magis viribus et fortunae, quam Deo, fidens. Alioquin, Deo etiam inconsulto, populum tam temerario juramento non constrinxisset, de nullo cibo aut potu sumendo ante plenariam *hostium* exstirpationem, quam utique sine Deo adsequi non posset. Terminus enim, ad quem inedia populi duraret, *non vespera* tantum erat, sed cum plenissima vindicta ab hostibus conjuncta, adeoque aeque ad hanc ac illam usque, vers. 24. vocula עד *usque ad donec* repetenda ante *ultus fuero hostes*.

§. CCCCXXXVIII. 3. *Tertium* temeritatis, ac neglecti officii, Deo debiti, signum sese offert in proposito, sane pio, *altare* Jehovae erigendi in monumentum victoriae, mox omisso, ut hostes ulterius persequeretur, v. 35, 36. Verba, *et aedificavit altare Jehovae, illud incepit aedificare*, secum ita connectenda sunt, ut posterius membrum sit prioris correctio; acsi

haberetur: *aedificavit altare*, *sed*, *cum illud incepisset*, su-
de hostibus persequendis, opere intermisso, cogitavit.
re itaque, quod vulgo putatur, non erexit, sed voluit,
icepit tantum. 4. *Quartum* mihi detexisse videor in te-
iria, et perversa, interpretatione silentii oraculi Divini, quod,
ifice admonente, consuluit, antequam hostes insectaretur,
que orto proposito ipsum filium Jonathanem, tanquam vi-
ie adjurationis reum, occidendi: v. 37— Causa vero,
i probe adverti velim, silentii oraculi non est, uti solet,
onathanis commisso quaerenda, sed Sauli inprobo et prae-
e animo, saepe hoc in casu patefacto: secum enim jam
lituerat hostes persequi, nec oraculum, nisi coacte, et di-
causa consuluit. Cum vero, secum hospes, culpam silentii
removeat, et haud obscure in Jonathanis factum, de quo
iid forte resciverat, conjiceret, forte voluit rem explorare:
e tamen *temeritatem* ejus verius arguit, quam veram cau-
silentii divini manifestavit. *Sortem* Deus in Jonathanem
xit, non ut ejus commissum, tanquam causa silentii, in-
sceret, sed ut, adjurationem Sauli non fuisse a Jonathane
rvatam, simpliciter patefieret, quippe quod Saulus unice
rebat, causam silentii in violato juramento quaerendam
, temere et falso praesupponens; quare solum rescire vo-
, quinam juramentum violasset; et hinc est, quod mortis
nam violatori jam mox temere decreverit infligendam.
c animo Deus se adcommodavit, sortem in Jonathanem
re faciens, ut temeritas Sauli detegeretur et puniretur, cum,
djurando populo, tum, in morte mox denunciando pecca-
, sorte deprehenso. Commissum Jonathanis non fuit tanti
endum, cum inscius fecerit, et temerariam adjurationem,
ulum mellis gustando, leviter tantum migrasset, simul de
ulo praeclare esset meritus, et victoriae fundamenta je-
et. Quare a populo quoque fuit inpeditus Saulus teme-
am exsequi sententiam, simul pudefactus, et ab hostibus quo-
: persequendis absterritus.

§. CCCCXXXIX. Praeter hoc cum Philistaeis bellum, post-

 eaquam

eaquam regnum firmiter esse stabilitum, et pacificum redditum, populis vicinis quaquaversum terrore percussis, obiter retulisset Historicus c. XIV: 47 dicens, *quocunque sese vertebat* Saulus, *terrorem incutiebat* (hoc enim ibi est ירשיע proprie turbido modo jactari et irrequieto, unde ad hominem calamitosum in genere transfertur) duo alia, ab ipso gesta, fusius narrantur, *unum* cum Amalekitis, quia Sauli rejectioni praebuit causam, et Davidis unctio illud secuta est, *alterum* cum Philistaeis rursus, quia Davidis virtus in eo praecipue eluxit, et odii Sauli in Davidem fundamenta tunc sunt jacta. *Prius* quando incepit, definiri, silente historia, non potest, nisi in genere haud diu post regnum firmatum, et vicinos populos in ordinem redactos, ut ex serie narrationis liquet. Excitatus ad illud est jussu Dei, per Samuelem ad eum delato, ut novo, et meliore, specimine obedientiae superius crimen expiaret, quo tendit praefatio cap. XVI: 2. quo ipsi mandatum est, ut sententiam exterminii Amalekitarum, jam in principio egressus Israelis ex AEgypto latam Exod. XVII. exsecutioni mandaret. Dilata autem erat sententiae exsecutio ad hoc usque tempus, ut locus resipiscentiae ipsis concederetur, simul, ea neglecta, crimina eorum plenam consequerentur mensuram, et justitia Dei, longanimitate temperata, in clara poneretur luce. Etsi enim sola Israelitarum infestatio hic memoretur, ea tamen unica non fuit ratio, sed alia eorum enormia adcesserunt scelera, vers. 18, 33, quae exterminium meruerunt, crimen vero in Israelitas expresse traditur, ut ratio constaret, quare per eos exsecutioni mandaretur judicium Dei, quia infensissimi eorum hostes per omnia fuerunt tempora, in quos jure belli agere poterant Israelitae.

§. CCCCXL. Historia belli cum Amalekitis, eorumque plenariae caedis cap. XV. cum nihil nobis hic observandum suppeditet, indignatio Jehovae, et expostulatio Samuelis cum Saulo, ob mandati inperfectam exsecutionem, in primis pronunciatio judicii Divini in Ipsum, et regnum ejus, nulla poenitentia avertendi, quo regno excidisse declaratur, animadversionem, et

et explicationem meretur, ne quis hic erret. Cum antea, ut vidimus cap. XIII., regnum in domo ejus non fore perpetuum, dictum fuerat, nunc regnum ipsi fore eripiendum, et ad alium transferendum, ipsi denunciatur; illud non ita capiendum est, acsi illegitimus ab hoc tempore fuerit rex, omni jure regnandi orbatus, quod historiae sequenti, in primis Davidis, qui ipsum pro rege semper habuit, et veneratus est, adversatur, sed α. ipsum a Deo, ejusque spiritu heroico, et monitore, esse deserendum, ita ut nihil, regia Majestate et dignitate dignum, amplius sit acturus. Quo facit, quod spiritus malus ipsum coepit agitare, et Samuel quoque nihil cum ipso habuit commercii; quare Samuel ipsum non perrexisse videre usque ad mortem suam dicitur vers. 35. Cui non repugnat, quod Saulus in conspectum Samuelis venisse legatur c. XIX. fin. Hic enim 1. de visu spontaneo, ibi de involuntario, agitur, 2. hic de amico et familiari congressu ad Saulum instruendum, ibi de longe alio, ac una tantum vice. 3. Hic denique nihil aliud significatur, ac Samuelem reliquisse Sauló res ejus, nec amplius, quid agat, curasse. β. Regnum brevi ab ipso auferendum esse, nec ad vel unum ex posteris transiturum, declaratur; imo γ. violenta morte regno privandum esse, sicut per Philistaeos ipsi evenit. Quo etiam *scissio vestis* respicit, vers. 28. Fecit itaque et mansit quidem Rex legitimus, sed spretus, et brevi exscindendus, qui a Deo desertus, et furiis agitatus subinde, nihil praeclari amplius gessit, sed continuis se commaculavit facinoribus, et reatum suum auxit. uti sequens docet historia.

§. CCCCXLI. Excepit hanc Sauli rejectionem, nec haud diu post, quia Samuel adhuc in luctu propter Saulum versabatur, novi Regis Davidis *unctio* privata, seu domestica, mandato Dei a Samuele peracta, in signum quoque perpetuae et irrevocabilis repudiationis Sauli; cap. XVI. Quod caput incipere debet, secus ac capitum habet divisio, cum verbis cap. XV: 35. a medio, ita vertendis, *quum Samuel lugeret Sauli causa, Jehovam vero poeniteret* (constanter, Samuele frustra

 inter-

intercedente) *se Saulum fecisse regem, dixit Jehova Samueli* etc. Quem casum uno alterove tantum illustrabo observato. 1. *Primum* versatur circa consilium, Samueli a Deo datum, de *scopo* adventus sui Bethlehemum patefaciendo; ne quis illud in malam rapiat partem, acsi falsiloquio vel mentali reservationi iniquae faveret: quale quid hic non occurrit. Samuel enim, senioribus Bethlehemi dicens, se, ut sacrificet, et epulum inde instruat, venisse, *verum* dixit, simul tacite insinuavit *unctionem* regis, cujus tale quid signum solebat esse tacitum et occultum, sicut in Sauli quoque unctione fuerat factum. Ipsa *unctio*, principalis adventus finis, reticetur, quod licite poterat, cum omne verum non necesse sit semper proferre, sed eo magis hoc in casu licebat, quia *unctio* regis non palam, sed in *occulto* foret peragenda; adeo ut Deus hoc responso, Samueli injuncto, simul declaraverit domesticam et privatam fore unctionem. Samuel rogaverat, mandato ungendi regem Bethlehemi accepto, *quomodo ibo? etenim audiet Saulus*, et *occidet me*, modum eundi et ungendi quaerens, absque ut res in publicam veniat notitiam: respondet Deus, *publice* instrues epulum sacrificale, sed *privatim* unges regem, adeoque, cum de scopo adventus tui rogaverint te, id tantum significes, quod *publice* peracturus es: cum de *publica* te tantum rogaturi sint actione, nec aliud eorum intersit scire. Fuit quoque 2. *unctio* Davidis non publice, ne quidem omnibus convivis et senioribus urbis praesentibus, facta, sed privatim, domo Isai *tantum* inspectante, *cum*, quod ante epulum fuerit instituta vers. 11. *tum*, in medio fratrum, vers. 13. Accedit, Saulum quoque simili modo fuisse unctum cap. X: 1. Latuit itaque in initio, ut debebat, haec unctio, nec nisi postea in vulgus emanavit, quum singularia virtutis specimina dedisset David, quae de *spiritu regio*, ipsum agente, testabantur, uti ex 1 Sam. XXIII: 17. XXIV: 21. et 2 Sam. V: 1. elucescit. Ceterum cum Deus Samueli, Eliabi statura, qua Saulo erat similis, decepto, respondet v. 7. *se non ad externa, ut solet homo, respicere, sed ad animum*, haud obscure indicat, se nunc non populo solum, sed

sed et *sibi* velle regem, uti v. 1. dixerat, *se sibi* dispexisse regem, sibi devotum et acceptum c. XIII: 14. XV: 28. Saulus enim in populi gratiam magis, quam ex Dei consilio, factus fuerat rex, staturam et corporis venustatem non quidem rejicit Deus, sed animum regium, et Deo dicatum, vult in primis. Erat utique David minimus filiorum Isai, rubicundo colore, de sanitate corporis testante, et venustate vultus insignis: uti v. 12, 18. habetur. Vox אדמוני in origine *rubrum* colorem, eumque saturum, involvit, cujus indicium est in *sanguine*, Hebr. דם Unctionem vero, quod 3. notandum, deinceps secutus est *spiritus* Jehovae, cum ipso communicatus, vers. 13. qui est *prudentiae* et *virtutis* heroicae spiritus, quali Judices, etiam Saulus in initio, gavisi sunt, quem David in *leone* et *urso* occidendo c. XVII: 34. primum, dein Goliatho debellando, aliisque facinoribus heroicis, demonstravit.

§. CCCCXLII. Adparuit haud diu post hanc Davidis unctionem, nondum vulgatam, haud obscurum Sauli rejectionis signum in ejus vexatione a *spiritu malo;* quae occasionem simul praebuit celebrationis Davidis in aula Sauli c. XVI: 14. Contigit, secus ac alii opinantur, illud post unctionem Davidis, uti ordo narrationis evincit, et ex eo confirmatur, quod spiritus Dei in Davide indicia jam fuerint data et nota, v. 18. Malus iste spiritus, qui Saulum ab hoc tempore agitare subinde coepit, fuit, ut videtur, adfectus melancholicus furiosus, a spiritu daemoniaco auctus, qui, favente illo temperamento, ipsum occupavit, sed, eo levato, ab ipso recessit, uti vers. 23. dicitur. Inter elogia Davidis, ab uno aulicorum Sauli ipsi data, quibus ab arte psallendi, et virtute heroica, jam tunc in feris occidendis, aliisve modis demonstrata, celebratur, occurrit נבון דבר, quo, uti putatur, non intelligitur *prudentia* in verbis vel factis, sed eloquentia, et in carminibus pangendis exercitatio. Vox enim דבר speciali usu ad *cantilenas* refertur, Ps. CXXXVII: 3. דברי שיר dictas, seu cantilenas longa serie *deductas:* proprie enim sermonem longius structum et deductum denotat.

narrasset, mox in genere subjunxisse, cap. XVI. sub finem, quantopere fuerit Saulo acceptus, et ad quam dignitatem ibi erectus. Ne autem quis 2. opinaretur, solam artem musicam Davidi hanc Sauli gratiam conciliasse, aliam mox profert rationem cap. XVII. quae, ut David aulae Sauli fuerit adfixus, effecit, in Goliatho, mirabiliter fuso, et Philistaeorum caedis fundamento jacto, sitam. Quae historia mox fuse c. XVII. traditur eo scopo, ut, quod in genere de Davide retento, ac honorato, dictum erat, adcuratius explicaretur. Videtur denique 3. non inprobabile, historicum eam historiam cap. XVII. non suo narrasse stylo, sed ex schedula separata, ab alio confecta autore, eamque reliquisse integram, et historiae suae inseruisse, cui tamen simpliciter addidit vers. 15*tum*, eo scopo, ut, Davidem, quem in aula Sauli retentum cap. XVI. dixerat, non mox, sed post Goliathum devictum, ad eam dignitatem fuisse evectum in aula Sauli, exponeret. Ceterum separatae schedulae indicium sese offert 1. in genealogia Davidis c. XVI: 12. tradita: quippe quam c. XVI. jam memoratam non repetiisset, nisi schedulam voluisset servare integram, 2. in eo quod vers. 54. caput Goliathi referatur Hierosolymam translatum a Davide. Quod historicus tam abrupte, contra narrationis seriem, non tradidisset. Ex quo simul elucescit α. autorem schedulae tempore sequente vixisse, quo Hierosolyma jam erat metropolis regni, et arx Davidica, seu palatium Davidis, jam obtinebat. *Tentorium* enim *Davidis*, eo versu memoratum, aliud esse nequit, quod observo, ac *arx* Davidica, in occidua parte montis Tsionis, ubi ejus erat palatium, *tentorium* Davidis eximie adpellatum, uti Ps. CXXXII: 3. Jes. XVI: 5. β. schedulam ibi terminari, et sequentia esse ipsius historici, quibus narrare pergit, qua ratione David Saulo innotuerit, et in ejus favorem venerit.

§. CCCCXLVI. Cum ipsa narratio nobis, convenienter instituto, nil admodum suppeditat observandum, singularem casum, quo David ursum et leonem, spiritu heroico praeditus, occidit, cum gregem pasceret v. 34 et 35. obiter explicuisse sufficerit.

suffecerit. Verba hac ratione censeo vertenda et capienda: *et venit leo et ursus* (unus post alium, ita ut, urso vix occiso, leo irruerit. Vocula את v. 34. ante דוב *ursum*, hic, ut alibi, est nominativi nota,) *et abstulit hic* (ursus, ultimo memoratus: retinenda est textualis lectio זה; qua particula ad proxime praecedens subjectum, vel *ursum* ducimur) *de grege* (scilicet aliquid) *et exii post ipsum, et percussi ipsum, et eripui ex ore ejus*, (quod ad ursum pertinet: sequitur) *et insurrexit in me*, scilicet *leo* post ursum occisum, et *prehendi barbam ejus* etc. Reticetur subjectum, et tacite innuitur, ex praeced. repetendum; quod non est insolens, uti 2 Sam. XIII: 37. *et luxit* etc. scilicet David, licet proxime praecessisset Absolom, Gen. XIV: 20. *dedit ipsi decimas*, scilicet Abrahamus. Ceterum feras occidere pro heroicae virtutis signo habebatur antiquitus.

§. CCCCXLVII. Historia Sauli, regnum aliquatenus recte tuentis, absoluta, sequitur *altera* regni periodus, a tempore Davidis, ad aulam admissi, et praefectura militari eximia ornati, usque ad tragicam Sauli mortem, quae Davidis, regno praeludentis, et ad illud parandi, una continet historiam, 1 Sam. XVIII—XXXI. Complectitur vero maxima ejus pars tyrannicum Sauli imperium, inprimis in Davide ad necem quaerendo, nec non varia Sauli, a Deo repudiati, et Davidis ad regum evehendi, signa. *Prima* historiae pars florentem enarrat gratiam, in qua David apud Saulum, Jonathanem et aulicos, fuit, usque ad finitam expeditionem bellicam in Philistaeos c. XVIII: 1—5. Pertinet utique illa pericopa ad tempus, quod, occiso Goliatho, fusis Philistaeis, et castris eorum spoliatis, fluxit ad finem istius expeditionis, cujus indicium est in nexu narrationis cum praecedentibus, et sequentibus. Durante vero expeditione illud contigisse, nexus cum superiore casu vers. 1. non tantum requirit, sed et inde patet, quod *cum* nova virtutis heroicae specimina, ac prosperitatis, in bello dederit David, copiis a Saulo praefectus, vers. 5. *tum* ante reditum Sauli in domum, post bellum profligatum, contigerit,

 vers.

verf. *6to* de quo mox agam. Ceterum cum c. XVIII: 2. Saulus traditur *adsumsisse* Davidem, nec *permisisse* ut domum redeat, significatur, eum non ad tempus, ut antea, sed in perpetuum sibi vindicasse, et in societatem suam admisisse: sed est aliquid ex c. XVI: 22. supplendum, Saulum id, consensu Patris Isai petito, ac inpetrato, fecisse. Quod ex supra disputatis elucescit.

§. CCCCXLVIII. *Secunda* pars mutatam gratiam Sauli in odium et invidiam, indeque ortas varias insidias, Davidi a Saulo structas, enarrat: verf. 6—24. Accidit illud, quum Saulus, confecto bello, domum rediit, uti ex verf. 6. colligi potest, modo recte capiatur. Verba, *cum venirent*, (Saulus et David) *David vero rediret a caedendo Philistaeo*, *egressae sunt mulieres* etc. non sunt, ut solent, intelligenda, acsi non post expeditionem, in qua Goliath occisus est, mox accidisset illud, sed post alias et novas expeditiones eam secutas: repugnat enim series narrationis non tantum, sed in primis phrasis, *cum rediret David a percutiendo Philistaeo*, scilicet Goliatho, quae nos ad primam illam expeditionem manifeste ducit. Nec obstat, quod David verf. 5. prospere jam legatur egisse in omni negotio, ipsi a Saulo demandato: quia prima illa expeditio non fuit uno illo praelio terminata, sed aliquandiu continuata, donec bellum illud fuerit profligatum, nec Philistaei justa acie amplius ausi fuerint decertare. *Occasionem* autem, et causam mutati animi praebuerunt foeminarum, choreas ducentium, et cantantium in occursum Sauli et Davidis, cantilenae, quibus Saulum postposuerunt Davidi in profligandis hostibus; unde Saulus colligebat, Davidem apud ipsum populum majoris fieri quam se, quia foeminae censebantur populi exprimere judicia, adeoque facile fieri posse, ut David, rejecto Saulo, rex eligeretur a populo, cum ipse a Deo censeretur repudiatus, et mala vexaretur conscientia: quo ultimae tendunt voces, verf. 8. *et adhuc ipsi tantum regnum* h. e. et in posterum (quod hic et alibi עוד *adhuc* dicit,) *ipsi profecto* (quod hic denotat אך) *regnum*, scilicet *dabunt*: verbo ex

praeced.

praeced. repetito. Invidia itaque, et metus exstimularunt Saulum ad Davidi insidiandum, ut e medio tollatur, quod ab hoc tempore fecit, vers. 9.

§. CCCCXLIX. *Primum* invidi et maligni animi, et insidiarum Davidi structarum, indicium fuit, quo, simulato furore, Davidem incautum hasta conatus est ferire, et, cum hoc non successisset, ipsum ab intimiore societate removit, ac ducem mille militum fecit, vers. 10—13. Fecit illud jam mox, cum redux a bello invidiosis illis canticis exceptus est, quo illud *postridie* vers. 10. pertinet. Cum vero *prophetasse* legitur, illud de simulatoria actione intellexerim, ita ut non vere prophetam egerit, sed se simulaverit mente motum, ut actionum non videretur dominus, nec mentis compos; quod animo maligno tegendo, qui in Davide petendo alias eluxisset, erat adcommodatius, nec a forma conjug. Hithp., ut notum est, abhorret. Verba quoque Sauli, *feriam Davidem et parietem*, seu feriam, sub specie parietem feriendi, Davidem, eo quoque tendunt, ut furori et casui, non proposito et animo, illud adscriberetur. Ceterum *tribunum* mille militum ipsum constituendo, haec duo intendisse videtur, *unum*, ut Davidem periculo a se furibundo eximere videretur, *alterum* ut eum majori exponeret discrimini, parva quippe manu stipatum, ad latrocinia in hostes agenda, mittens. Antea fuerat David *armiger Sauli*, et in bello cum Philistaeis praefectus copiis militaribus, sed nunc, cum bellum omnibus non amplius ageretur viribus, misit ad eos *turmatim* adfligendos Davidem, cum turma tantum militum; ut ab hostibus caederetur.

§. CCCCL. Inproba haec molimina Sauli cum secundum vota non tantum non successissent, sed Davidis gloria, et populi favor per praeclara ejus facinora indies cresceret, adeoque Saulus magis magisque metueret, novis insidiis per filias, unam post alteram, ipsi in conjugium oblatas, adortus est, nec meliore successu; vers. 17—29. De scopo Sauli facile patet, quod, *prioris* respectu, eam desponderit hac addita conditione, ut bellum cum Philistaeis ardentius ageret vers. 17. *Al-*

teram dein filiam Davidi obtulit, ne, nuptias cum priore promissas, sua culpa successu caruisse adpareret, et, ut quantopere ipsum honorare velit, patefaceret; sed vere quoque, ut occasio eum per hostes perdendi praeberetur. Quo fini stipulatus est per aulicos *centum hostium praeputia* pro dote; quam conditionem avide adripuit David, vers. 26. ne timore et pusillanimitate videretur correptus, simul per virtutis heroicae specimina favorem populi sibi ulterius conciliaret. Quo etiam pertinet, quod non 100, sed 200 ceciderit Philistaeos. Ceterum, ut illud obiter observem, priorem filiam, licet Davidi desponsatam, alii dedisse videtur viro, ne Davidem in familiam adscisceret, praetexuisse vero filiae adfectum a Davide alienum, et ipsius Davidis tergiversationem, acsi familiae regiae nollet inseri. Prius ex eo colligo, quod altera filia expresse legatur *amasse Davidem*, v. 21. sed posterius ex vers. 22. etc. ubi per aulicos eum ad novas nuptias instituit permovere, eo ipso simulate indicans, Davidem fuisse alieniorem: occasionem autem hoc praetexendi dederunt verba Davidis vers. 18. *quis ego? et quis coetus familiae patris mei?* quis omnis ille globus domum Patris constituens? חַיַּי enim est punctandum חֵיֵּי; cohaeret autem omnino cum משפחה familia, et catervam, conglobatam multitudinem hominum in unam societatem, uti Ps. LXVIII: 11. a propria verbi potestate in coagmentatione, in unum compactione, sita, denotat: ut ad Ps. cit. docui.

§. CCCCLI. Cum Saulus hucusque inpia sua consilia occultasset, interea insidiis suis sese non tantum nihil profecisse, sed occasionem potius majoris celebritatis ac favoris apud populum Davidi praebuisse, animadverteret, mentis non amplius compos, iratum et invidum animum explicare et publicare coepit, maxime postquam novo bello a Philistaeis, qui sese a prima illa clade recollegerant, et continuis Davidis excursionibus irritati erant, suscitato, cujus indicium in eo est, quod *principes Philistaeorum exiisse* dicantur, scilicet ad bellicam expeditionem, vers. 31. et Saulus cum Jonathane et aliis servis hono-

rariis

rariis in *agro* fuisse tradatur c. XIX: 3., David prae reliquis strenue egerit, et prospere c. XVIII: 31. Minus caute quidem egit Saulus in consilio de caede Davidis manifestando, attamen in eo eluxit singularis Dei directio, *cum*, ut David de eo certior fieret, sibique magis caveret, praeterea ut innocentia ejus publico ornaretur testimonio, sicut a Jonathane factum est. Cujus valida intercessione David quoque cum Saulo in gratiam rediit, et in aulam reductus fuit, uti cap. XIX: 1—8. narratur.

§. CCCCLII. Nec tamen diuturna fuit haec reconciliatio. Novam quippe animum suspiciosum et malignum suscitandi occasionem dederunt praeclara Davidis facinora, in Philistaeis, bellum persequentibus, debellandis, accedente antiqua melancholia; unde novae ortae primum sunt insidiae, dein publica persecutio, quae fugam Davidis peperit: c. XIX: 8—17. Insidias enim, successu carentes, aperta excepit insectatio, quam suasu et ope uxoris feliciter evasit: c. XIX: 11—17. Michal enim, filia Sauli, et uxor Davidis, sicut ipsum de instante morte admonuit, ita fugam suasit et promovit, tempus quoque longius fugiendi procuravit, pia fraude missos a Saulo, ad ipsum domi capiendum, et dein exploratores, eludendo, dum illis dixit, Davidem decumbere aegrotum, his vero monstravit Davidem in repraesentamine ejus; scilicet *Teraphim*, seu icuncula superstitiosa humanae formae, et כביר העזים seu *culcitra caprarum*, scilicet ex pilis vel velle caprarum, (uti Exod. XXVI: 7. *aulaea caprarum* pro ex earum pilis, et Cant. IV: 1. *capillus tuus ut grex caprarum*, pro, ut pilus gregis) loco pulvinaris. Vox enim כביר, collata ejusdem rad. voce מכבר 2 Reg. VIII: 15. recte sumitur pro *culcitra*. Piae huic fraudi cum adjunxerit mendacium, Saulo Patri, cum ea expostulanti, dicens, ut se excusaret, Davidem mortem sibi fuisse minatum, nisi ita instituceret, in Saulum quidem non adeo peccavit, quia crudelis ac furiosus pater alio non erat dignus responso, et officiosum aliquod commiserit in casu necessitatis mendacium, sed in eo excusari vix potest, quod maritum, si-

ne necessitate, adgravaverit, cum aliud fingere potuisset, quod marito minus creasset praejudicium, vel ad amorem conjugalem provocare, ac Davidis innocentiam: sicut Jonathan fecerat.

§. CCCCLIII. Secunda pars historiae Davidis ac Sauli complectitur *praeparationem* Davidis, extra domum versantis, ad perpetuam fugam a facie Sauli c. XIX: 18.—XXI: 10. quae varios *casus*, eo spectantes, exhibet. *Primus* est conversatio Davidis cum Samuele in Ramah, ubi domus ejus erat, et singulare fatum, quod nunciis Sauli primum, dein et ipsi contigit: c. XIX: 18—24. Samuelem adiisse videtur, ut ab eo, qui ipsum unxerat regem, consilium, quid hoc in rerum statu agendum foret, caperet; ut ex eo, quod David ei narravit, facile colligitur. Quod vero se cum Samuele detinuerit בנוית *in Najoth*, loco prope Ramah, a caulis et tuguriis, in quibus *candidati* prophetiae degebant, ut vox indicat a rad. נוה, ita adpellato, illud eo spectavit, ut videtur, ut significaretur, Davidem, artis musicae studiosum, et prophetiae quoque candidatum egisse, seseque eo opere, cum reliquis Samuelis discipulis, tenuisse occupatum. Quod verba vers. 20. *et vidit coetum* (pro להקת enim cum LXX Interpr. leg., litteris transpositis, קהלת) *prophetarum prophetantium*, *quibus Samuel praeerat*, haud obscure indicant, modo ad Davidem referantur, et non, ut solet, ad nuncios Sauli, quod vel ex ipso num. sing. *et vidit*, liquet, cum de nunciis in plur. mox sermo fiat, *et prophetarunt etiam ipsi*. Verba itaque docent, quid David egerit, cum *nuncii* eo venerunt, ipsum scilicet *vidisse* coetum prophetantium, non otiose, sed cum delectatione, ac simili occupatione, utpote ejusdem artis, cujus erant prophetae, seu discipuli Samuelis, qui *cantabant*, spiritu enthusiastico correpti: id enim hic denotat *prophetare*.

§. CCCCLIV. Quoad singularem casum, quo primum nuncii, dein ipse Saulus, se prophetarum choro junxerunt, et in similes motus ecstaticos, seu poeticos, rapti leguntur v. 20—24. illud obiter observandum nunc tantum habeo, Saulum, ejusque missos, non vere, sed secundum externam adparentiam

et

et ficte, prophetasse; quod formae Hitp. in verbo נבא recte convenit: conf. 1 Reg. XVIII: 29. Colligendum itaque hinc nolim, prophetas, quibus Samuel praefuit, *nudos* prophetasse, et humi cubasse, quod etiam de Saulo, et missis ejus, non de reliquis, dicitur, et adreptitios, seu fucatos motus enthusiasticos, verius quam inspiratos, redolet. Quare proverbium hinc ortum, *an Saul inter prophetas?* paulo aliter, quam supra c. X. sumerem, hic nimirum ironice, et irrisorie, ibi vere, et serio. Quo etiam pertinet, quod Saulus hic non fuerit in *alium* mutatus, ut c. X. habetur, sed idem manserit, qui mox ad odium, et persecutionem Davidis rediit. Interea notetur hic singularis Dei providentia, qua Davidem tutatus est, simul significavit, eum in posterum esse protegendum, Saulum vero ex insano futurum insaniorem, et, omni dignitate privatum, in terram prolapsurum esse.

§. CCCCLV. *Secundus* casus est plenior ac certior hostilis animi Sauli in Davidem exploratio per Jonathanem facta, antequam sese in perpetuam daret fugam, *cum*, ut obstinatum Sauli propositum elucescat, ne paroxysmo Sauli adscriberetur insectatio Davidis, et David in suspicionem temerariae fugae, et rebellionis in regem, veniret, *tum*, ut Jonathani totum hoc negotium innotesceret, et innocentia Davidis, ab ipso adprobata, in publicam daretur lucem. Contulit itaque sese David ad Jonathanem, quo tempore Saulus diem ac noctem cubaret, tanquam adreptitius, ut c. XX: 1. indicatur his verbis: *et fugit David ex Najoth in Ramah, et venit et locutus est coram Jonathane*, scilicet, dum in spiritu illo esset Saulus, hac arrepta occasione David ab ipso aufugit, seseque ad Jonathanem contulit, tunc forte *Gibeae* versantem, ut seq. docet historia, Jonathanem rogans, quid mali fecerit, quare a Patre ad necem quaeratur, ut innocentiae testimonium acciperet, responsum tulit ab eo, sibi de eo nihil constare, nec etiam videri probabile, cum Pater hoc sibi non occultasset, quippe qui omnia consilia secum communicare soleat, sed juramento illud verum esse adfirmavit non tantum David, ve-

 rum

rum silentii Sauli rationem quoque dedit, ab amicitia ejus, Saulo satis nota, petitam. Convenit denique inter eos de animo Sauli explorando, commodam occasionem praebente festo *novilunii*, quo David una cum Saulo solebat mensae adsidere. Ubi si nunc non compareret, festum illud cum familia agens Bethlehemi, Jonathane sciente et permittente, a Saulo omnino requireretur, qui, hoc audiens, animum expliciturus sit, adprobando vel culpando discessum, et Jonathanis permissionem. Quo inter eos constituto, de *modo* deliberant, quo Sauli consilium notificaretur Davidi. Qua occasione arctius amicitiae foedus cum Davide pepegit Jonathan, suam, si superesset, vel domus suae salutem a Davide stipulatus, cum, omni periculo superato, ad regnum pervenerit. Praestitit Jonathan quod promisit. Quae omnia fuse narrantur c. XX., et facile in genere intelliguntur; ita ut non sit necesse moras trahere; critica enim et philologica observata non sunt hujus loci. Nonnulla tantum ad intellectum historiae proferam.

§. CCCCLVI. 1. Dimitti voluit a Jonathane, ut amicitia mutua innotesceret Saulo, eique occasio iniquum animum magis explicandi daretur, quod Jonathan Davidi conjunctus maneat. Cum autem David dicit c. XX: 5. *tu me dimittes, meque abdam ruri ad tertii diei vesperam*, significat, se dimissum festum celebraturum Bethlehemi, et *tertio* die in agro usque ad vesperam occultaturum, donec responsum accipiat; *non* itaque per tres dies in agro; ut capi solet. Ubi vero v. 8. addit, *si quid in me delicti sit, occide me Tu: cur me ad Patrem tuum adduces?* non vult se nocentem a Jonathane malle quam a Patre occidi, sed se nocentem vel ab ipso amico non refugere interfici; cum autem nihil tale in se sit, se deprecari ad Saulum adduci, antequam constet, se non esse occidendum. Ultima verba, *et ad Patrem tuum quare hunc adduceres me?* scilicet tam suspiciosum et hostilem, si nullam in me reperias rationem, quare Tu me occidere velis. Voces, *quare hunc*, emphasi, quam expressi, pollent. 2. In foedere, inter Jonathanem et Davidem pacto, v. 12—17. promittit Jonathan, se, Patre

Patre explorato, Davidi, sive bonum sive malum, indicaturum, praeterea se, si malum nunciet, dimissurum Davidem in pace, non obstante hostili Patris proposito, nec manus in posterum ullo modo praebiturum inimicis Patris moliminibus: addito insuper, ad animum suum testificandum, voto, quo Dei auxilium et directionem Davidi adprecatur: sed restipulatur ab ipso, ut, si quo tempore David regnum fuerit adeptus, non amplius in vivis sit v. 14. David familiae suae aequum se praebeat et benignum, ne ea cum hostibus ejus exstirpetur: v. 15. ubi notetur, voculam ולא *et non* in medio versus per se stare, et ad praecedentia respicere, ut sit: *et non* scilicet rescindes benignitatem tuam etc. h. e. ne tunc quidem, cum occasio se tibi divinitus obtulerit ulciscendi te a domo Patris mei, et hostibus tuis. Sed v. 14. ubi Jonathan mortis suae meminit, aliquid inpediti habet, verbo expediendum, in verbo תעשה *facies*: quod vel cum יעשה *faciet* mutandum, vel per apostrophen ad Deum exponendum. Priore modo vertendus est versus: *et non si adhuc in vivis fuero* (h. e. etsi adhuc non vixero, vocibus transpositis, ולא אם pro ואם לא *et si non*) *et non fecerit mecum gratiam Jehova, ut non moriar* scilicet, ante illud regni tui tempus. Posteriore ratione verti debet, *et si non amplius in vivis fuero, tuque Jehova! mihi gratiam non feceris, ut non moriar.* Quae apostrophe ad Deum commoto adfectui, ex mortis praesagio orto, adscribenda, et ita excusanda est. Reliqua Jonathanis verba v. 15, 16. secum, sublata versuum distinctione, connectenda censuerim hunc in modum, *et non exscindes benignitatem tuam cum domo mea in perpetuum, et non, quando exsciderit Jehova hostes Davidis, unumquemque a facie terrae, tunc etiam exscindet Jonathanem cum domo David* etc. Voces, *et non* in initio cohaerent cum *et non — — tunc* etc. Qua ratione nisi exponantur verba, nihil superest, quam ut verba v. 16. historico adscribantur, et pro עם בית *cum domo* legatur ברית עם; hoc sensu: *et percussit Jonathan foedus cum David, quod sartum tectum mansit, cum Deus requisivit ab hostibus Davidis.*

§. CCCCLVII. 3. Quod Saulus rationem absentiae Davidis, tempore epuli festivi, requisiverit a Jonathane c. XX: 25. ne quis miretur, quia Davidem necis vitandae causa noverat aufugisse, observari velim, Saulum forte opinatum fuisse, insectationem suam non odio in Davidem, sed melancholico et arreptitio spiritui a Davide adscribendum fuisse, praeterea se animum hostilem apud Samuelem inter choros propheticos censeri posse deposuisse. Cum autem a Jonathane intellexisset, ipsum, venia a Jonathane petita, et inpetrata, tetendisse Bethlehemum, ad festum cum familia sua celebrandum, (id enim Jonathanis responsum v. 18. sibi vult, vertendum, *rogavit instanter a me ad incedendum Bethlehemum;* ut עד sit pro לעד, ut v. 6. לרוץ *ad currendum*, a ערוך *ornate incedere*) in iram exarsit vehementiorem in ipsum Jonathanem, suspicatus, Davidem cum familia conspiraturum, et ad regnum capiendum se adcincturum, Jonathane quoque in partes tracto: quod sequentia confirmant. 4. Denique Jonathan, a Patre jussus, ut Davidem, morte adficiendum, adduceret, irae et indignationis plenus, *cum* ob Davidem, *tum* sui ipsius causa, quod contumeliose fuerit a Patre tractatus, (duplicem enim hanc rationem verba continent, quod observo, v. 34. *quia moerore constrictus est ob Davidem*, *quia publice ipsum*, non Davidem, ut putatur, sed Jonathanem, quippe solum praesentem,) *traduxit Pater ejus*, ut ex praecedentibus patet, ad Davidem properavit, ipsumque de obstinato Patris proposito, prout inter ipsos convenerat, certiorem fecit, et inter teneros amoris complexus in pace dimisit; Jehova quoque invocato teste foederis, cum Davide pacti, religiose observandi, v. 42. *Jehova erit inter me et te*, *inter posteritatem meam et tuam testis in perpetuum*: punctanda enim est vox עֵד, et *testem* denotat.

§. CCCCLVIII. *Tertius* casus praeparatorius ad fugam perpetuam, et persecutionem publicam, a Saulo institutam, est, quo Nobam, urbem sacerdotalem, ubi tunc Tabernaculum erat, in tribu Judae vel Benjaminis, ad Achimelechum Pontificem

rem venit, Deum, ut probabile eſt, de rebus ſuis conſulturus, et ab eo humaniſſime tractatus, etiam panibus propoſitionis, ſed mox auferendis, ac conſumendis a perſonis ſacris, praeterea gladio Goliathi, ibi repoſito, donatus eſt: c. XXI: 1—10. De *ſcopo* Davidis, cujus memini, praeterquam quod ſua probabilitate, et re ipſa, ſeſe commendet, reſponſum Davidis, quo, rationem daturus, quare ſolus adierit Pontificem, dicit, regem ſibi occultum quid commiſiſſe, haud obſcure teſtatur: cum illud minus ad rem foret, niſi ſtatuatur, Davidem voluiſſe Pontifici indicare, ſe, ut Deum occulte per Ipſum rogaret, veniſſe ſolum, ſociis in loco, non nominando, relictis, ut, quia res ſecreta manere debeat, ſolus Deum conſulere poſſet. Ex quo elucescit, Davidem id reapſe etiam feciſſe, quod delator Doeg diſerte declaravit c. XXII: 10. nec Achimelech infitiatus eſt, quin confeſſus, cum ſe excuſet, ib. v. 14.

§. CCCCLIX. Ceterum cum David Pontifici, ſubmiſſe obviam eunti, et roganti quare *ſolus* venerit, reſpondeat, ſibi aliquid arcani a Rege eſſe commiſſum, addens, ſe ſocios, ſive ſervos, ſive milites, in locum, non revelandum, condixiſſe: in animo quidem habuiſſe videtur Pontifici indicare, cauſam itineris non eſſe revelandam, in quo nondum a veritate diſceſſit; verum illud non aperte, ſed ambigue et involutius dicens, ſimul anſam praebuit Pontifici nihil ſiniſtre de favore regis erga ſe ſuſpicandi. In quo minus ſincere egit, ſed rem ita involviſſe videtur, propter ipſum Achimelechum, ut voti compos fieret, abſque ut Pontifex conſpirationis in regem poſſet reus agi, ſed juſtam ſe excuſandi haberet rationem, quod de fuga Davidis, et hoſtili regis in eum animo, nihil reſciverit: quemadmodum is ſeſe poſtea apud regem defendit; c. XXII. Tenuiſſe hanc viam eo magis videtur David, quia Doegum ibi vidit praeſentem, quem noverat, ibi, quaſi voto conſtrictum, verſari, ſed vere tanquam inſpectorem et inſidiatorem, ne Pontifex aliquid mali moliretur in favorem Davidis; quem itaque ſuſpectum habuit David: uti ipſe indicat cap. XXII: 22.

§. CCCCLX. In *tertia* parte historiae Sauli et Davidis, quae publicam hujus fugam, cujus epocha ab hoc est ducenda tempore, ut c. XXI: 11. indicatur, ubi *eo tempore* dicitur fugisse *coram Saulo*, et Sauli persecutionem enarrat, sese primum offert singularis casus ejus in aula regis Gath, unius e satrapis Philistaeorum c. XXI: 11—Narratur, vel potius adtingitur tantum, et summatim refertur hic casus, *duplici*, ut videtur, scopo, *altero*, ut, famam Davidis, tanquam summi herois, et liberatoris Israelis, ad vicinos et hostiles populos manasse, indicaretur, *altero*, ut singularis erga eum curae Divinae luculentum observaretur, et memoriae mandaretur, specimen, in quo simul indicium conspiciebatur, Philistaeos eum non esse in posterum superaturos, quin omnibus periculis eum fore eximendum: quod et ipse Ps. XXXIV et LVI clare significat. Specimen vero singularis Dei curae in eo fuit, quod cum Davidem in manibus haberet Achis, eum per simulatam tantum insaniam, pro stulto habitum, dimiserit, licet eam, ipsis hostibus inspicientibus, ficte induerit, adeoque a prudentibus facile potuerit detegi: quod David egregie fatetur et celebrat Ps. XXXIV. Non utique *vera*, e vehementiore metu orta, quod nonnulli volunt, sed ficta et simulata fuit insania. *Praeterquam* enim quod ea ratione singularis Dei curae, quam tantopere extollit Ps. citato, specimen pereat, vere insanientem expellere quid mirum? 1. Phrases simulatam delirationem haud obscure indicant, cum ipse *saporem mutasse*, seseque insanum exhibuisse, forma Hitpah adhibita, tradatur; praeterea addatur, id coram oculis ipsorum, vel ipsis inspicientibus, (phrasis etiam delirare sese finxit בידם non dicit manibus eorum prehensum, sed simpliciter *coram ipsis:* uti Job. XV: 23. Deut. XXXIII: 3. et alibi) alium induisse habitum, *salivam* quoque ejus non *defluxisse*, uti de vere insano dictum fuisset, sed *demisisse* in barbam, adeoque sponte id fecisse. Quo etiam pertinet verbum יתו quod non tantum signa ducere, et figuras pingere denotat; sed simul vage et confuse; cum rad. תוה errorem vagum ac confusum, unde תהו, involvat. LXX vertunt

tunt [illegible], uti legendum pro ἐτυμπάνιζεν. Verbum etiam יהלל non furorem aut epilepsin designat, sed delirium, seu eam insaniam, qua quis sibi prae ebrietate, vel alia mentis commotione videre videtur diversos colores, imagines, et omne genus spectra. 2. Absurda inde necti deberent consequentia, si vere prae metu factus fuisset insanus, a persona Davidis aliena, nec ullo alio casu simili conspicua.

§. CCCCLXI. Videtur 1. David, ut praecipuas mirabilis hujus casus circumstantias adtingam, et eum illustrem, ad regem Gathi, seu satrapam Philistaeum, confugisse, ut, extra ditionem Sauli positus, ab ulteriore ejus insectatione tutus esset. Quod ex altera ejus ad eum fuga, aliquandiu post facta, c. XXVII: 1. confirmatur. 2. In aulam regis sponte venisse, deducentibus quoque ipsum nonnullis aulicis, quibus se patefecerat, ut gratiam regis, et tutum ibi perfugium haberet: quod postea etiam l. c. factum est, nec exemplo caret in profugis celebrioribus, qui apud hostes recipiuntur. Captus utique non dicitur, et violenter ad regem tractus, tanquam captivus, sed *venisse*, et in aulam deductus, ut gratiam regis consequeretur, sicut ex vers. 11, 15, 16. colligi potest. Accedit, eum sine ullo metu fuisse, usque ad illud tempus, quo ministri aliqui de ipso, tanquam praecipuo heroa Israelis, loqui coeperunt. Inscriptio quidem Ps. LVI. *ipsum a Philistaeis fuisse prehensum* habet, sed nihil aliud denotat, ac eos Davidem *constrictum*, ac metu correptum tenuisse, nec ad ejus deductionem in aulam, sed ad eum jam in aula degentem, ac ad incitas redactum, pertinet. 3. Verba servorum Achis, aliorum, ut videtur, quam qui eum deduxerant in aulam vers. 22. sicut, regem a Davide recipiendo non fuisse alienum, innuunt, ita eo tendunt, ut regem de periculo, quod in eo admittendo foret, admoneant, simul eum ad Davidi nocendum flectant: quod ex c. XXIX: 4, 5. et ex metu Davidis confirmatur.

§. CCCCLXII. 4. Felix simulatae stultitiae eventus, partim favori Dei erga Davidem tribuendus, partim etiam ab adfectu regis, a Davide non alieno, derivandus est, quippe qui stulti-

Hhh tiam,

tiam, tanquam occasionem eum dimittendi, adripuisse videtur; sed Deo totam hanc rem ita derigente. Verba enim regis capi possunt, acsi dixisset: quid vos hostilem in hunc virum geritis animum? videtis enim eum esse fatuum, potius expellendum, quam occidendum: quid etiam vos, meliore animo in eum adfecti, qui ad me eum adduxistis, vultis? putatisne me indigere fatuo? sic utrisque respondit, ut Davidi praeberet elabendi ansam. Denique 5. simulata fatuitas nihil admodum, quod carpendum sit, habet, cum ad stratagemata, quibus hostiles violentiae et insidiae eluduntur, referri possit: nec desunt similia exempla. Vid. Ael. V. H. XIII: 2. Psalmi denique, ad hunc casum respicientes, nihil habent, ex quo, Ipsum se indigne gessisse, adparet.

§. CCCCLXIII. Hoc periculum cum evasisset, sese, Philistaeorum regione deserta, contulit in speluncam Adullam, haud procul Bethlehemo, civitate patria, quae firmum habebat munimentum, quare מצודה adpellatur 2 Sam. XXIII: 14. quae vox *arduum* proprie denotat locum in *petra*, cujus vestigium est Jes. XXXIII: 16. quod huic loco apte quoque respondet, cum in rupe videatur haec spelunca fuisse, 2 Chron. XI: 15. ubi tres heroes ad Davidem venisse dicuntur *ad petram, ad speluncam Adullam*: unde, ut id obiter observem, emendari debet 2 Sam. XXIII: 13. ubi pro קצור legi debet הצר, quod ex praef. אל adfirmatur. Hic cum degeret, ad eum parentes non tantum adcesserunt cum tota domo, sed et alii viri multi, qui c. XXII: 2. adpellantur 1. viri מצוק *obsessi* quasi, et undique coarctati, quod ad Philistaeorum, qui tunc stationes ibi, et Bethlehemi, habuerunt 2 Sam. XXIII: 13. et aliorum oppressiones referri potest. 2. *Obaerati*, et a creditoribus oppressi, vexati quippe, et dura servitute pressi, ut additur, ab *exactoribus*. 3. *Acerbi*, proprie *stricti* animo, seu stringente, et, tanquam flagello urente, calamitate percussi. Quae rad. מרה potestas est. Fuerunt forte, qui malis ex perverso regimine Sauli ortis exulcerati, et urente indignatione percussi sunt: quales Gr. dicuntur καχεκτοῦντες.

Ex

Ex dictis manifestum est, de viris infimae sortis, minus scelestae vitae, hic non esse cogitandum.

§. CCCCLXIV. Accidit hoc ipso tempore singularis casus, ab historico praetermissus, sed in peculiari schedula, quae heroum Davidis nomina conservavit, 2 Sam. XXIII: 15.—et 1 Chron. XI: 15. obvius, quo David, siti laborans, desiderium suum, quo in aquas fontis Bethlehemi, ubi Philistaei stationem habebant, ferebatur, expromens, *tres* heroas excitavit, qui, hostium castris perruptis, aquam inde detulerunt ad eum, quam bibere nolens coram Deo effudit, dicens, se *sanguinem* illorum virorum nolle bibere, quia cum praesentissimo vitae periculo, nec forte sine vulneribus hauserant aquam; sed grato sic quoque animo agnoscens, Deum hoc signo declarasse, se, suorum virtute, in possessionem fontis, ac urbis patriae aliquando venturum. David utique, etsi sitis occasionem praebuerit, non tam aquam, inde haustam, pro more Persarum ex. gr. quorum reges aquam e fluvio Choas tantum bibebant, quam patriae urbis ab hostibus liberationem in animo habuisse videtur: acsi dixisset; utinam mihi fonte Bethlehemi libere frui, et patriam urbem videre liberam, liceret.

§. CCCCLXV. Hisce comitibus, numero 400, instructus, ac munitus licet esset, terra tamen Judae derelicta, ad Moabitas sese contulit, ut partim a Philistaeis, qui varia loca tenebant ibi obsessa, partim a Saulo, cujus hostes erant Moabitae 1 Sam. XIV: 47. tutior esset, non tam ipse, quam domus paterna, quam periculum suum noluit participare: quare pro parentibus in specie petiit, et inpetravit refugii locum, forte in ipsa urbe regia, ut ex c. XXII: 4., *duxit eos coram facie regis Moab*, conjicere licet. Ipse vero resedit in *Mitzpha* Moab, q. d. *speculam Moabitarum* in confiniis regionis Israelis Trans-jordanensis ac Moabiticae, ubi arx munita fuit, quam cum suis tenuit. Hic cum haud diu sedem tenuisset, parentibus, ut videtur, defunctis, cum illi ibi fuisse dicantur *per omne tempus*, *quo David in loco munito fuit*, nec eorum postea ulla amplius fiat mentio, a Gado, *propheta* per anticipationem

dicto, nunc tantum socio ejus, sed insignis autoritatis apud ipsum, inductus, inde discessit, et rediit in terram Judae, ac in *Sylva Cheret*, quasi *caeduam* dicas, resedit. Suasisse autem videtur Gadus hunc reditum, partim periculum inter extraneos proferens, partim indignum esse urgens tanto heroa, tot etiam cincto heroibus, terram Israeliticam hostibus relinquere vexandam, et spoliandam, absque ut miseris succurreret: quod ex historia c. XXIII. confirmatur. Sed Deus rem ita direxit, cum, ut majoribus malis et periculis exerceretur, tum, ut favorem populi praeclaris facinoribus promereretur: sicut eventus comprobavit.

§. CCCCLXVI. Davidem in terram Judae fuisse reversum, tanta virorum fortium manu stipatum, cum intellexisset Saulus, simul inde et aliunde, ut ex foedere Jonathanis cum Davide, facto Achimelechi Pontificis, invidiose ipsi a Doego relato, denique silentio ministrorum suorum, collegisset, Davidem nunc palam vitae ac regni sui insidiatorem agere velle, adeoque pro rebelle, et laesae Majestatis reo habendum esse, Davidem, qua talem, publice adgredi, et eum una cum sociis, sive occultis, sive manifestis, tanquam conspirationis fautoribus, vel adjutoribus punire, ac e medio tollere statuit, auspiciis ab Achimelechi, totiusque domus ejus, ac urbis excidio, sumtis. Coacto itaque concilio militari, (tale enim fuisse vel inde patet, quod sub *quercu* in *loco* edito, uti vox רמה hic sumi debet, sederit, cum *hasta* in manu, signo Imperatoris) et Doego, praecipuo delatore, ac calumniatore ad id quoque vocato, et praesente, qui alias ad id non pertinebat, quare illud expresse addit historicus v. 9. cum ministris primo expostulavit, tanquam silentio suo sese fautores Davidis praestantibus, dein, Achimelechi facto a Doego malitiose publicato, severissimi m in ejus, et domus ejus universae, excidio, a Doego, reliquis recusantibus, exsecutioni mandato, statuit exemplum, ut inde palam et omnibus innotesceret, quo animo ipse esset in Davidem, quidve exspectandum haberent illi, qui Davidi aliquo faverent modo. Qui singularis plane casus, publicae et intolerandae

lerandae tyrannidis testis certissimus, prolixe narratur cap. XXII: 6. et seq. dignus quoque qui nonnullis illustretur observatis; licet summaria narratio ei jam aliquid lucis inspersërit.

§. CCCCLXVII. 1. Expostulatoria Sauli oratio ad ministros suos, omnes Benjaminitas, c. XXII: 7, 8. eo partim spectavit, ut eos neglecti officii reos agat, et in Davidem accendat, partim, ut Doego daretur occasio, Achimelechum palam insimulandi, quare ille solus, reliquis silentibus, locutus est. Cum Saulus dicit, *etiam omnibus vobis dabit filius Isai agros, vineas, praefecturas* etc. duplex observanda est in verbis ejus emphasis, una in *vobis*, qui Benjaminitae estis, cum David ex alia sit tribu, altera in *omnibus*; acsi dixisset; itane, an vobis Benjaminitis, an omnibus, nullo excepto, illa bona dabit? illane spe vana vos lactatis? uti colligendum mihi ex eo est, quod nullus vestrum sese mihi praestet amicum. Quo ipso haud male expressit animum, et scopum eorum, qui aulam Principum, seu regum, frequentant, eorumque gratiam adulatorie ambiunt. Omnes autem contra se conspirasse, duobus probat indiciis, v. 8. *altero* praeteriti temporis, quod foedus filii Jonathanis cum Davide silentio presserint, *altero* praesentis, quod sibi non indicaverint, Davidem, ope Jonathanis, publicum esse regni sui insidiatorem factum, cum militibus stipatum sese palam in ipsa Judaea ostentet. Inputat autem illud Jonathani, ut, Davidem ceteroquin non ausurum fuisse, insinuet. Quo ipso filium in suspicionem conspirationis inprudenter, simul temere, adduxit. Ceterum haud obscure indicat, Davidem vitae et regno suo struere insidias, adeoque pro rebelle, et laesae Majestatis reo esse habendum; absque ut ad animum revocet suam tyrannidem, et Davidem sui curam ac defensionem jure quaerere.

§. CCCCLXVIII. 2. Solus Doeg cum delatoris agat personam, reliquis omnibus ministris silentibus, consilium ministrorum eo in primis scopo fuisse a Saulo coactum, ut Doego sacerdotes accusandi praeberetur occasio, hinc colligi posse

videtur: de quo et illud testatur, quod ipsum in ministrorum Sauli conventu praesentem fuisse, expresse addatur, cum alias ad eum non pertineret. Voces enim, *et ipse aderat ministris Sauli*, nihil aliud significant, ac ipsum extra ordinem nunc, ob dictam rationem, adfuisse praesentem. Verti utique non debent verba, *et ipse praeerat servis Sauli*; cum phrasis, bis in hac pericopa occurrens, v. 6 et 7. non praefecturam, sed praesentiam, imo ministrorum magis, quam praefectorum, denotet, nec Doeg honoratiorum ministrorum, sed *pastorum* Sauli fuerit praefectus c. XXI: 8. Ceterum Doeg, licet vera retulerit, ut mox patebit, multipliciter tamen et graviter deliquit, sesequè calumniatorem praestitit, *a.* quia non reticenda reticet, quippe quae Achimelechum ab omni suspicione absolvere poterant; uti ex ejus responso liquet. *b.* Pontificem conatus est conspirationis quoque in Regem agere reum: imo vero *c.* reliquos ministros omnes reddere suspectos. Quam cogitationem nexus injicit, seu responsum ad expostulatorium Sauli sermonem adcommodatum. Cum enim Saulus ministros neglecti accusaverat officii, et favoris erga Davidem fecerat suspectos, Doeg vero, reliquis silentibus, factum Pontificis mox proferat, haud obscure utique insinuatum voluit, et alios esse, qui pro conjurationis sociis summo jure haberi possint. Meruit itaque et hoc suo facinore notas, quae Ps. LII. ipsi inuruntur.

§. CCCCLXIX. 3. Cum Pontifex, cum universa domo, mox sine ulteriore inquisitione citatus, ad regem adductus, conspirationis in regem reus agitur v. 11—13. tyrannica procedendi via non tantum inde elucescit, sed, Saulum scenam hanc cum Doego adornasse, et mortem Pontificis unice intendisse, patefacit, de quo et illud testari videtur, quod Saulus dicit v. 5. se *audivisse*, Davidem cum sociis palam fuisse notum factum, absque ut aliquis ministrorum se de eo admonuerit, ipsi et nunc tacuerint, et solus Doeg mox in calumnias sacerdotis erumpat. Colligendum enim inde videtur, Saulum illud a Doego audivisse, et totam scenam a Saulo fuisse, cum

 Doego,

Doego, adornatam, ut sacerdotes in concilio ministrorum accusarentur, ac punirentur in exemplum aliorum. Quo etiam facit, quod Pontificis defensio, quam clara etiam, ingenua, et solida, nihili fuerit habita a Rege. Ipse autem non negat facta, sed innocentiam suam clarissime demonstrat. Licet in historia ipsa cap. XXI. expressa non fiat mentio Dei, a Davide per Pontificem consulti, tacite tamen illud, ut supra vidimus, insinuatum est, sed verba Pontificis c. XXII: 15. *an hodie incepi Deum in ejus gratiam interrogare* etc. illud haud obscure significant; modo recte capiantur. Mihi non tantum indicare videtur Achimelech, se non ab hoc tempore demum coepisse Deum pro Davide consulere, sed solitum fuisse facere, rege conscio, et adprobante, adeo ut hoc ipsi nunc inputari nequeat, verum hoc quoque, et praecipue, longe a se alienum esse, ut Deum in ejus gratiam, *nunc*, seu hoc tempore, quo favore regis excidit, consulere inceperit, vel inciperet. Emphasis est in היום *hodie*, scilicet quo mihi notum est factum, Davidem regi esse odiosum. Quare recte subjungit, sibi rem illam penitus fuisse ignotam. Agnoscit itaque se ea fecisse, quorum accusabatur, sed de sorte Davidis mutata se nihil scivisse adserit, ceteroquin non facturum fuisse, sicut *nunc* non faceret. Addit insuper, se nihil tale quid suspicari potuisse, cum David tam arctis vinculis fuerit Regi conjunctus: in quo nihil obscuri est, nisi in phrasi, סר אל משמעתך, quae verti solet, *recedens ad auditum tuum* h. e. tuo jussu discessit, vel pergit ad obedientiam tuam. Quod facile adparet nimis durum, nec phrasi congruum. LXX reddiderunt, ἄρχων παντὸς παραγγέλματός σου, recte quoad סר, sive legerint שר, sive cum ea voce confuderint, quod non est insolitum. Quid autem sit סר *princeps*, dux, praefectus, אל משמעתך declarabit locus hanc in rem insignis, 2 Sam. XXIII: 23. ubi Benaja dicitur a Davide praefectus אל משמעתו h. e. secretiori consilio, vel viris interioris admissionis, et consiliariis Davidis, quibus praefuit Benaja: quod idem hic de Davide in aula Saulis declarat Pontifex. Quod obiter notasse non abs re fuerit.

§. CCCCLXX. 4. Rejecta hac defenſione, tanquam falſa, declaravit Saulus v. 17. *manum ejus fuiſſe cum Davide*, et excuſationem ejus eſſe mendacem, hoc fundamento, *quod cognoverit ipſum fugere*, *nec indicaverit Saulo*, h. e. quod a quo tempore reſciverit fugam Davidis, mox Saulum non adierit, ipſique hoc negotium, ex ignorantia factum, non indicaverit. Verba, *quia ſciverunt eum fugere*, *et non indicarunt*, idem dicunt, ac *ſimul ac ſciverint*, *poſtquam intellexerint*, non revelaverint. Id quod ſuſpicioſo tyranno ad ſacerdotes Dei, tanquam conſcios conſpirationis, et Davidis ſocios, condemnandos, ſuffecit. Horrendam vero ſententiam de Pontifice cum tota domo occidendo, ac urbe Nob comburenda, cum ſervi exſequi nollent, ipſe delator Doeg, cum ſociis, ad regis juſſum, effecit. Socios, quos addidi, quidem expreſſe non memoravit hiſtoria, attamen tacite inſinuavit, ubi Saulum dicit juſſiſſe, ut *cingeret* Doeg, et circumdaret ſacerdotes Jehovae, id enim verbum סבב denotat. Recte itaque Joſ. Ant. VI: 12. tradit, Doegum adſumſiſſe ſceleſtos, ſui ſimiles, viros, ad hoc tantum facinus perpetrandum. Sunt vero ſacerdotes 85 e medio ſublati, ut textus Hebr. habet; quo ſtandum eſt. LXX quidem habent 305, ſecundum veriorem lectionem, ſed per characteres arithmeticos, et non plenas voces, in errorem ducti, litteris פ et ש confuſis, quod facile fieri potuit, ſi פ inverſo ordine ſcribatur. Quod ideo notandum eſt, quia characteres illos jam tunc in uſu fuiſſe, inde liquet.

§. CCCCLXXI. Nec tamen tota Achimelechi poſteritas fuit exſtincta, cum unus filius Abjathar evaſerit una cum Ephodo, et, a Davide receptus, tutum ibi invenerit refugium, ſimul honore et munere Pontificis fungi perrexerit: uti v. 23. traditur, cujus ultimae voces, quod obſervo, reddendae ſunt, *ſtatio tua ſit mecum* h. e. officio tuo fungaris in meo comitatu: quod ſequentia, ubi de Ephodo, et oraculo divino, apud Abjatharem agitur, confirmant. De iſto autem vocis משמרת, quem dedi, ſignificatu ſatis conſtat. Eo autem promtius eum in ſocietatem admiſit David, quod ſe occaſionem caedis patris

praebuiſſe

aebuisse agnoverit, uti v. 22. habetur, ubi dicit, *ego* סבתי *casio* et ansa fui *in omnes animas domus Patris tui:* quem ium habet rad. apud Arab. et in derivato סבה pro *causa, casione* in Script. S. uti 1 Reg. XII: 15. 2 Chron. X: 15. *nversionis* quoque potestas, quae verbo inest, facile ad occa- onem transfertur, seu illud, quod aliquem ad se convertit, ansam ei praebet agendi. Ceterum, cuare loco *Achimele-* *i* legatur *Abjathar* Marc. II: 26. hujus non est loci inqui- re, forte etiam in genere inutiliter, cum glossam redoleat, inperito librario margini adpositam: quales glossae non de- nt aliae.

§. CCCCLXXII. Dum in sacerdotibus Nobensibus occiden- s, domo Pontificis, et urbe cum omnibus incolis delenda, ulus esset, vel mox post facinus illud peractum, et Abja- arem, filium Pontificis, qui solus evaserat, in tutelam recep- m a Davide, qui, se occasionem et ansam caedis, a Saulo per- etratae, ingenue confessus est praebuisse: longe melius, et opulo salutare facinus edidit David, duce populi, et rege dig- us. Cum enim ad ipsius pervenisset aures, Kehilam, urbem tribu Juda Jos. XV: 44. oppugnari a Philistaeis, qui toto oc tempore Israelitas infestare non desierunt, adeoque pro ostilibus populis ab Israele habiti fuerint, uti historia Davi- is, in aula Sauli adhuc versati, et sequentis temporis, praeter unc casum, docet; ipse, Deo bis consulto, sive per Gadum pro- hetam, sive alio modo, nobis incognito, sive per Ephodum enes Abjatharem, si is jam tunc apud ipsum fuit, et non de- ium post Kehilam liberatam, uti c. XXIII: 6. indicari vide- ır, quod aliquatenus dubium est, licet prius mihi probabilius ideatur, cum ob v. 6. tum quod deinceps v. 9. per *Ephodum* icatur consuluisse Deum, cujus antea nulla facta fuit mentio, eo, inquam, consulto, ne quid temere susciperet, et ut so- os timore correptos, et expeditionem propterea dissuadentes, nimaret, (cum socii c. XXIII: 3. Davidi regerunt, *ecce nos Juda timemus, quanto magis,* scilicet timendum erit, *quum mus* etc. in animo habuisse videntur metum, partim a Saulo,

partim ab hostibus Israelis, et significant, sibi magis esse metuendum, si et Philistaeos se superiores, et apud quos refugium habere possint, irritaverint) Philistaeos adgressus est, magnaque adfecit clade, *pecudibus* etiam eorum *abductis*, antea scilicet a Philistaeis raptis, cum spoliatum venerint. Quod notari velim propter Interpretes, qui hic difficultatem quaerunt. Ceterum David, quod probe advertendum, non a Kehilaeis in auxilium vocatus, sed sponte succurrit, 1. ut se non hostem, sed servatorem regni praestaret, licet a Saulo perduellis declaratus: 2. personam, quam sub Saulo habuerat, tueretur, sesesque ducem populi demonstraret. 3. ut, bene de populo merendo, ejus animos sibi ulterius devinciret. 4. denique calumniatoribus, acsi cum hostibus, inter eos versatus, colluderet, os obstrueretur. Eum autem a Kehilaeis non fuisse vocatum, praeterquam quod historia de eo sileat, Davidi *sortem* eorum tantum fuisse indicatam in genere tradens, ex eo colligi potest, quod Saulus sese iis non demonstraverit iratum, postquam David inde discesserat, cum pro conspiratione in regnum suum habuisset, si ad Davidem, non ad se, auxilii causa confugissent.

§. CCCCLXXIII. Kehilae, ita liberatae, degens David cum sociis in nova incidit pericula, non a Philistaeis, sed Saulo, qui ipsum, intra moenia clausum, facile comprehendere se posse putabat. Tantum enim aberat, ut praeclaro hoc facinore fuerit ab eo consequendo abstractus, sicut debebat, ut magis fuerit exacerbatus, cum, quod ejus favorem apud populum inde majorem fore intellexerit, tum, quod locum munitum pro sede regni sumturum, adeoqne regnum nunc incepturum esse, suspicaretur. Nulla itaque facta mora ipsum adgredi statuit, opportunam quoque, quasi divinitus oblatam, occasionem sibi esse reputans, quatenus intra muros conclusus facile possit obsideri, absque ut evadat. Quae Sauli molimina cum intellexisset David fama, adeoque dubius haereret, num vere id exsequereretur Saulus, sique faceret, num Kehilaeis fidere posset, quod utrumque videbatur inprobabile, *prius*, quia Saulus praeclaro

claro hoc facinore videri posset placatus, et de innocentia ejus persuasus, vel etiam de ipso in urbe munita, tanto beneficio mactata, superando diffidere, in primis cum Philistaei regno et locis illis imminerent: *posterius*, quia Kehilaei tanto ductore et liberatore, divinitus quasi dato, laeti et securi, eum defensuri, ac Saulo se opposituri videbantur; ad Deum per Pontificem consulendum sese vertens, utrumque futurum accepit pro responso. *Tradent* te Kehilaei, ubi Deus dicit, non tantum quid illi vel sponte vel coacte facturi sint, declarat, sed et quid ipse permitteret, et quo rem dirigeret, si ibi maneat David, qui eo ipso tacite monetur, ut *abeat*. Kehilaei autem eo devenirent non ex Davidis odio, sed partim coacti, et ex metu Sauli, et ne cum Davide, contra Saulum, conspirasse viderentur, partim ex occulta Dei directione, ne ante tempus, Saulo deturbato, raperet regnum.

§. CCCCLXXIV. David, urbe hac cum sociis relicta, in *desertum Judae*, ad occasum maris mortui longius protensum, secessit, nunc hoc nunc illo loco delitescens, quod phrasis, *ambularunt qua ambularunt* denotat, absque ut a Saulo potuit inveniri, dicitur enim *quaesivisse eum omnibus diebus*, *nec invenisse*, quod de illo tempore capiendum est, antequam a Ziphensibus proditus fuit, tandem resedit in *deserto Ziph*, seu ea deserti Judae parte, quae in tractu australi Cananaeae, seu ad ortum montani Judae, versus austrum, nomen traxit, ab urbe Ziph, idque בחורשה *in Silva*, proprie et rectius *in dumeto*, vel loco *dumis* horrido, a rad. חרש *silere*, quia non *strident* dumeta, ut silvae: porro in dumeto in *colle Chachilae*, (quasi dicas *obscuritatis*, ab umbrositate) *ad dextram solitudinis*, c. XXIII: 19. adeoque ad ortum montani Judae versus austrum. Nec ibi tranquillus aut securus fuit, licet 200 sociis auctus, adeo ut 600 nunc numero ipsi adfuerint. De metu ejus ipsa testatur historia, cum, quod ipsum *timuisse* tradat v. 15. modo ibi ירא aliis punctis legatur, ut debet, cum lectio et *vidit* huc non quadret, et Jonathan ipsum consolatus, dicat

ne timeas, huc respiciens, tum quod Jonathan ipsum adierit, et confirmarit. Proditus hic est a Ziphensibus, et in praesentissimum mortis periculum venit, a Saulo undiquaque cinctus, ut evadere non potuerit. Quod cap. XXIII: 19.—narratur. De periculo et elabendi omni via interclusa testatur α. verbum נחפז vers. 26., quod statum et animum Davidis egregie exprimit, modo recte intelligatur; proprie *incoxationem*, coxim sedere designat, qui cum solet habitus esse trepidantis et festinantis; hinc illae fluxerunt significationes. Quam prope β. a desperatione afuerit, ipse exponit Ps. XXXI: 23. ad hunc ipsum respiciens casum, *equidem dixi* בחפזי *tempore incoxationis meae, abscissus sum a coram facie tua* etc. Pertinet quoque huc Ps. XXII. sensu primo; ut in Comm. ad Ps. observavi. γ. Ipsum denique nomen *petrae*, ubi David resedit, ipsi, post discessum Sauli, inditum in perpetuum rei monumentum, eodem clare tendit. Adpellata fuit, ut v. 28. traditur, *petra* המחלקות *lubricitatum;* quae vera vocis est significatio, a primigenia *glabri* et *laevis:* unde pro *lubricis* locis sumitur, ac *elabendi*, seque *subducendi* notionem praefert, uti Jer. XXXVII: 12. Respicit itaque petrae illud nomen partim ad *periculum* Davidis, quo in *lubrico* stetit, ad lapsum et ruinam pronus, partim ad *liberationem*, qua se subduxit, et elapsus est, Saulo per Philistaeorum invasiones ab ulteriore insectatione abstracto.

§. CCCCLXXV. Hoc praesens vitae discrimen cum superasset David, sese ad desertum *Engedi* contulit, ac munita tenuit loca, ubi, denuo a Saulo quaesitus, ei est reconciliatus, cum publicum innocentiae suae dedisset testimonium, vitae Sauli, quam in manu habebat, parcendo. Quae historia cap. XXIV. traditur, paucis per partes illustranda. 1. Occurrerunt sibi Saulus et David, singulari fato, in *spelunca* in deserto Engedi, ab urbe ejus nominis adpellato. Sita vero urbs fuit ad occasum maris mortui, non, ut putatur, in septentrionali plaga ejus, verum australi, ut Ligtfot. in Chorographia Euangelio Matth. praemissa, demonstravit, celebris maxime *palmetis* et

opobalsamo,

opobalsamo, unde nomina חצצון תמר *Chatzaron Tamar*, et עינגדי *Engedi*, quibus, urbs in Script. S. venit, optime explicantur: *prius* enim *copiosam succisionem palmae*, *posterius oculum* vel fontem *incisionis*, scilicet balsami vel succisionis palmarum, denotat, ut videtur. Abdidit sese David cum sociis in *speluncam*, (quales plures per Cananaeam fuerunt multorum hominum capaces,) prope viam publicam, et sepimenta gregum, forte ut gregibus et pastoribus esset auxilio et munimento, ut ex c. XXV: 16. colligi potest. Saulus vero, qui, expeditione in Philistaeos, quae ipsum a Davide obsidendo abstraxerat, finita, eo sese verterat, Davidem quaerens, eandem speluncam solus, et casu intraverat, ad *pedes tegendum*, non ut necessitati naturae defungeretur, quod vulgo putatur, sed ibi paululum requiesceret, quippe quod phrasis denotat Jud. III: 24. et mora, quam hic traxisse historia indicat, requirit.

§. CCCCLXXVI. Commoda, et quasi divinitus, oblata occasione, Saulum clam occidendi, incidit quidem in tentationem id faciendi, a sociis quoque ad id excitatus, qui, cum dicant Jehovam Saulum ei tradidisse, non sunt intelligendi, acsi Deus id dixerit, aut jusserit, quod verum non erat, sed quod occasio haec censeri possit a Deo oblata, eo scopo, ut occidatur Saulus, sed sese a caede continuit, *oram pallii* ejus resecuisse contentus, in signum se potuisse, sed noluisse, regi necem inferre, adeoque se innocentem esse, et injuria a Saulo tanquam perduellem quaeri. Quo facto ad animum revocans in quantam se conjecerit, Saulum adeundo, tentationem ipsum occidendi, *corde* fuit, ut historia tradit, percussus, seu terrore ac poenitentia adfectus: quo ipso adhuc magis animus ejus a caede Sauli, et regno rapiendo, alienus eluxit. Cum historia simpliciter tradat, corde fuisse percussum, quod *partem pallii abscidisset*, illud ita videtur capiendum, quod animo non satis confirmato, sed dubio, essetne Saulum occisurus nec ne? ipsum adierit, ut partem pallii auferret, adeoque sese in nimium conjecerit periculum regem occidendi. Sed quae quaeso *rationes*

Davidem ad vitae Sauli parcendum, tam apta et ſingulari oblata occaſione, permoverunt? merentur eo magis inveſtigari, quod in Saulo trucidando nihil videri poſſet injuſti, cum David, non vir vulgaris, ſed dux populi, et juſſu Dei a Samuele jam unctus rex, a Saulo palam ad necem, ſummma cum injuſtitia, quaereretur, Saulus praeterea, crudeli et terribili illa ſacerdotum caede, ſeſe tyrannum, et regni perturbatorem praeſtiterat.

§. CCCCLXXVII. Plures ſeſe mihi offerunt rationes, a *prudentia*, *pietate*, et ipſa *juſtitia* petitae, quae, quominus manus in Saulum injecerit, inpediverunt, verbo recenſendae. *α. Prudentia* politica ipſi hanc caedem diſſuadere poterat, 1. ne in Saulum vere conſpiraſſe, uti accuſabatur, videretur, 2. ut regum vitae, et ſuae in poſterum, conſuleret, ne, reges a civibus hoſtilibus inpune occidi licere, ſuo comprobaret exemplo, 3. denique ne regnum conturbaret, et factiones ac bellum civile, tempore minus opportuno, ſuſcitaret; quae ex hac caede omnino debuiſſent oriri, cum Jonathan et filii Sauli adhuc ſupereſſent. Sed, *β.* in hac prudentia politica non eſſe acquieſcendum vel ex eo eluceſcit, quod *animo* fuerit deinceps perturbatus, argumento, ipſum hanc caedem vere pro illicita habuiſſe, nec ficte, ſed ex animi ſententia dixiſſe verſ. 7. manus in Saulum non eſſe injiciendas, *quia unctus Jehovae erat.* Praeter prudentiam itaque admittenda eſt ratio *pietatis* erga Deum, quae reverentiam erga perſonam, a Deo *unctam*, peperit, non niſi expreſſo Dei juſſu violandam, vel ſaltem non niſi extrema neceſſitate, de voluntate Dei quoque teſtante, ut cum vita ſua ſine ea caede nequeat eſſe ſalva. Ad pietatem etiam pertinet, quod Deo potius, quam ſibi, cauſam ſuam tradiderit vindicandam, imo, quod, Deo nixus, ſub ejus tutela ſeſe tutum eſſe declaraverit.

§. CCCCLXXVIII. *γ.* Quid? quod ipſa *juſtitia* Davidem potuerit ab illa caede, hoc caſu, deterrere, 1. quia Saulus tyrannum, eximie dictum, nondum agebat, cum, quod in ſubditos ſine diſcrimine non ſaeviebat, tum, ſpecies, licet fallax,

juſtitiae,

justitiae, in conjuratione Davidis ac sacerdotum quaesita, ipsum incitare in eos potuit, tum, regnum contra hostes adhuc probe tutaretur. 2. David nondum erat ad eas incitas redactus, ut vel Saulus vel ipse perire debuerit: imo parum nunc periculi habebat, et fuga se hucusque praestiterat salvum. 3. Tentari adhuc poterat, num non tanto a Davide adfectus beneficio, ad saniorem mentem perduci potuerit Saulus. Erat utique illud ad hoc aptissimum, *cum*, quod propria hinc perspicere potuit pericula, *tum*, de pio et benevolo Davidis animo clare constabat, omnisque praetextus Davidem, tanquam rebellem, et conspirationis in Saulum reum, accusandi et persequendi, plane evanescebat. Hic autem praetextus ante erat liquido et palam e medio tollendus, quam Saulus tanquam tyrannus tractari potuerit.

§. CCCCLXXIX. Habuit quoque, licet pro brevi tempore, hunc effectum; cum, colloquio inter eos instituto, David fuerit a Saulo in gratiam receptus, culpa persecutionis in pravos regis consiliarios, eorumque calumnias, acsi regis necem quaereret, prudenter conjecta, ut sese in ejus gratiam facilius insinuaret, innocentiam suam, publico nunc signo comprobatam, in lucem profert, ubi v. 11. dicit, Deum ipsum sibi in manus dedisse, et *dixisse* (de Deo enim illud capiendum videtur, et non de aliquo socio Davidis, ut series sermonis requirit) *de ipso occidendo*, quatenus tam opportuna occasio id faciendi sibi fuerit, quasi divinitus, oblata, v. 5. ut modo observavi. Provocat denique ad vindictam Divinam, quae innocentiam suam ulciscetur, nisi Saulus poenitentia praeveniat. Proverbiale dictum v. 14. *ex inprobis egreditur inprobitas*, si Davidi adplicetur, indicabit, eum non esse inprobum, cum Saulo pepercerit; si vero Saulo, erit acsi dicas, vide quisne sit habendus inprobus, tu an ego? tu utique, qui me innocentem ad necem quaeris, nec tamen *manus mea* erit contra te. Addit, regem, se, quippe vilem et spernendum, canem quasi mortuum et pulicem, scilicet in oculis aliorum et aulicorum hostilium, persequendo, regiam Majestatem prostituere. In ser-

mone vero Sauli ad Davidem sese offert hominis, ad se redeuntis, probus adfectus, praeterea illustre innocentiae Davidis testimonium, et propria condemnatio, denique regni, ad Davidem tandem devolvendi, publica confessio, ipsi quasi divino instinctu extorta; quare ejus haud diu post coepit oblivio, cum in idem crimen incidit.

§. CCCCLXXX. Samuele mortuo, et honorifice, cum totius populi luctu ac planctu, sepulto, ut c. XXV: 1. traditur, in signum gratiae populi erga eum, ad mortem usque continuatae, David longius discessit ad limites usque Judae in desertum Paran, prope desertum Arabiae. Hic cum aliquandiu versatus esset, pastores Judaeorum, in specie Nabalis alicujus, praedivitis ejus tractus viri, contra raptores et hostes tutatus, tandem opportuno tempore, quo Nabal gregem in Carmelo tondebat, et genio cum suis indulgebat, honorificam ad eum misit legationem, munus aliquod petens, quod pro beneficiis ei praestitis jure postulare poterat, eo etiam magis, quod pro *duce* populi debuerit haberi, Abjatharem quoque Pontificem, cui tempore *tonsurae* gregis secundum legem Deut. XVIII: 4. *primitiae* competebant, secum duceret. Ceterum, ut id verbo observem, *Carmel*, ubi Nabalis *opus*, seu negotium lucrativum, res scilicet pecuaria, et tonsura gregis erat, et fiebat, non est hoc loco celebris ille mons in tribu Ascher ad mare mediterraneum, longius hinc distans, sed locus in australi parte Judae, inter cujus urbes *Maon* et *Carmel* occurrunt Jos. XV: 55. habitavit autem Nabal in Maon, uti v. 2. traditur; cujus Carmelis etiam mentio fit 1 Sam. XV: 12. Nomen vero tulit a campis et pascuis viridissimis.

§. CCCCLXXXI. Submissam hanc et justissimam petitionem, tempore etiam *opportuno* factam, sicut expresse legati dixerunt v. 8. die *bono*, vel festo, venimus, ut David ipsis dicendum praeceperat vers. 6. si pro לחי ibi legere liceat לחין ו in initio sequentis cum hac juncta, et, ut facile potuit, pro נ posita. Denotat vero חין apud Arab. *opportunitatem*, tempestivitatem, ac tempus statum. Quod huc recte quadrat, et LXX

LXX versioni εἰς ἄρας apte respondet; tantum abest, ut Nabal bene exceperit, sicut oportebat, ut contumeliose, et in Davidem valde injuriose rejecerit, haud obscure quippe indicans, se Davidem, ejusque socios, pro viris non tantum habere *nihili*, seu vilis sortis, de quibus dici possit *nescio unde*, sed et *rebellibus*, qui a legitimo aufugerunt domino, seseque ei opponunt. Eo enim verba ejus ad legatos tendunt vers. 10. *hodie multiplicati sunt servi, qui rupturam faciunt a Domino suo descifcentes*, h. e. aperturam et occasionem quaerunt ad prorumpendum in rebellionem. Hanc enim potestatem praefert verbum פרץ proprie *findere*, cum laceratione frangere, ita ut incisura, vel ruptura fiat. Quo responso sese titulis *duri*, *maligni*, et *viri Belial*, quibus notatur v. 3 et 17. dignum praestitit, simul vim nominis נבל *Nabal* recte expressit, fatente uxore ejus v. 25., denotat enim *marcidum*, succo et vigore cassum, indeque *fatuum* et flagitiosum. Quo etiam referri potest, quod v. 3. traditur כלבו *secundum cor suum* scilicet vixisse, adeoque scelestе et luxuriose, ac pro lubitu, indoli et genio tantum litans: si lectio textualis hujus vocis retineatur: uti potest. Sed de quo hic non est agendi locus.

§. CCCCLXXXII. Hoc responsum Nabalis ad ipsum delatum, non tantum, quod licite poterat, cum indignatione excepit, tanquam ingratum, et inhumanum, quin aliquali dignum vindicta, sed et eo adeo exacerbatus est, ac irritatus, ut, ira extra se raptus, sese ad totius domus Nabalis totale excidium, ne *mingente* quidem *ad parietem*, sive cane sive masculo, relicto, adcinxerit, ne in itinere a furibunda ira non tantum aliquid remittens, sed ulterius *juramento* sese ad illud facinus obstringens, dicens, *sic faciat Deus inimicis Davidis*, oratione emphatice inversa a se ad inimicos, quae idem dicit, ac, *sic faciat mihi Deus*, ut *inimicis* faciet; v. 12, 13, 21, 22. Quantopere hic modum excesserit, sesque ad grande crimen obstrinxerit, cuique facile in oculos incurrit. Sed Deus, ejus misertus, brevi curavit, ut mitiorem induerit et

personae suae, ac pietati, magis congruum animum, simul vindictam ipse a Nabale, viro improbo, sumsit.

§. CCCCLXXXIII. Irato enim animo ad domum Nabalis, magna festinatione, tendenti, occurrit ei Abigail, uxor Nabalis, a servo fideli et probi animi ante instructa, ipsumque mox venustate ac pulchritudine sua, simul submissa prostratione coram ipso, denique prudente, et ad animum flectendum elegante ac efficace oratione placavit, et a proposito abstraxit v. 14—34. Inter *rationes*, quae omnes ad scopum sunt accommodatae, et ponderosae, bene multas, lectori sese sponte sua offerentes, *tres* ultimae peculiarem merentur animadversionem. Quarum *prima* inde repetitur, quod *firmam* domum a Deo reciperet David, tanquam praemium benefactorum; quia *bella Domini* gessit pro populo contra hostes, nihilque iniqui in populares commisit: quo verba v. 28 existimaverim tendere. *Secunda* ab ultione divina de hostibus Davidis sumenda, cum ejus protectione conjuncta, absque ut aut necesse habeat, aut debeat, proprias ulcisci injurias, desumta est, v. 29. Pertinere enim illud dictum ad vitae temporalis conservationem, et hostium violentam exstirpationem, multi recte viderunt, et demonstrarunt. Denique *tertiam* suppeditant noxia consequentia, ex ultione peracta oritura, et Davidi nocitura sequentibus temporibus v. 30, 31.

§. CCCCLXXXIV. Davide hac oratione et actione placato, ac muliere cum insigni laude dimissa in pace (ubi enim dicit, *benedictus gustus tuus*, ut verti debet, prudentiam ejus ac sapientiam, simul gratam orationem et actionem ejus, quae de sapientia testatur, eamque *gustandam* praebet, celebrat. Quo sicut se generosum praestitit, et probum virum, ita suo exemplo juramentum, temere factum, non obstringere ad malum, comprobavit) ac ad suos reverso, Nabal ab uxore de hoc periculo, quod propria culpa sibi et domui concitaverat, admonitus, in summum non tantum incidit tremorem et consternationem, sed et divina percussus plaga, 10 dies post fuit mortuus. Quo audito David manum Dei in eo agnovit et celebravit, *simul*

pro

ro omine hostium suorum delendorum in posterum habuit, deniqne ipsam illam pulcherrimam, prudentem, et probam foeminam, secum matrimonio copulavit, quando duas simul habuit uxores, Abigael et Achinoam, filia Sauli Michale alii vio a Saulo nuptum data.

§. CCCCLXXXV. Post hunc casum in novum David incidit vitae periculum per Saulum, ipsum denuo persequentem, cum a Ziphensibus altera vice esset proditus in eodem deserto: sed et hic casus, singulari Dei directione, in honorem Davidis, ac innocentiae ejus publicum testimonium, a Saulo datum, vertit. Loco enim castrametationis Sauli adcurate lustrato, noctu eo cum Abisai, postquam cum eo et Achimelecho Chittaeo, viris in primis strenuis, et intimis ejus consiliariis, ut vel hinc colligi potest, consultasset, et Abisai sese sponte obtulisset comitem, tetendit; cumque omnes alto sopitos somno deprehendisset, Saulo quidem, quem facile potuisset occidere, Abisai quoque sese ad id faciendum promtum praestitisset, pepercit, sed *hastam* et *lagenam* ejus, ad pulvinare ejus positam, secum tulit. Quibus spoliis postero die Abneri monstratis, ac Saulo innotescens, ei publicum propriae malitiae, ac suae innocentiae testimonium expressit, alteraque vice ipsi reconciliatus est. Quae historia cap. XXVI. narrata nihil hic praebet observandum, nisi hoc unum, ad mentem Davidis vers. 19., male capi solitam, explicandam. Cum Saulo dicit, *si Jehova Te contra me incitaverit*, *odoretur munus*, non id vult, Jehovam censeri posse autorem commissi Sauli in Davidem, absit; sed pro judicio Dei in Saulum haberi posse, quo ipsum in reprobam mentem, et Satanae, aut malo spiritui, ducendum, ac exstimulandum tradidit, quatenus id fieri permisit, et circumstantias direxit: quemadmodum de Simei, sibi maledicenti, postea dixit David: *Deus* dixit, *maledic Davidi.* Respicitur itaque manifeste ad *spiritum malum*, a Deo ipsi inmissum. Ubi vero addit, *si homines* id fecerint, scilicet pessimi et invidentes consiliarii, *illi maledicti* sint, indicat tantum eos scelestos esse, et omnibus diris dignos.

§. CCCCLXXXVI. Altera hac vice Sauli gratiam nactus, consilium cepit terram Israelis deserendi, et inter Philistaeos diversandi, hoc scopo, ut Saulus ab ipso insequendo desisteret, et consiliarii ejus, votorum quippe ex parte compotes facti, Saulum quoque instigare desinerent, ipseque denique tutius degeret, simul occasionem bene de Israele merendi, et hostibus ejus nocendi, haberet. Quae omnia ipsi feliciter successerunt. Saulus enim ab eo tempore eum non amplius insectatus est, ut c. XXVII: 4. traditur; consiliariis quoque ejus satisfactum fuit, cum Davidis exilium e terra Israelis praecipue intenderint, uti egregie ex cap. XXVI: 20. elucescit. Receptus quoque est ab Achiso, rege Gathae, et Ziclagum ab eo accepit stabilem sedem, quae urbs ab eo tempore cessit regibus Judae. Gessit sese ab eo tempore adeo prudenter, subinde astute, ut et gratiam regis Philistaei summo gradu fuerit nactus, et nihil non tantum contra Israelem egerit, sed in ejus hostes in finibus Judae australibus inpetum fecerit tanquam *Dux Israelis*, Gesuraeos scilicet, Girsaeos et Amalekitas, quibus plurimam necem intulit, bonis eorum etiam spoliatis; sed quae clam Achiso fecit, quem ambiguis verbis delusit. Quae historia cap. XXVII. narrata, nonnullis illustranda est observatis, non ad textum hic illic explicandum, quod hujus non est loci, sed ad nonnulla quaesita, quae historiam concernunt, solvenda. Posteaquam obiter praemisero, tempus morae Davidis in eo tractu vix, nisi in genere, et cum aliqua latitudine, definiri posse, cum c. XXVII: 7. ibi sedisse dicatur *dies* et *quatuor menses*, sed c. XXIX. *dies aut annos*. Sunt, qui, *diebus* pro anno sumtis, *annum* et 4 *menses* ei tribuunt, sed sine solido fundamento, et contra usitatum stylum, nec *anni* c. XXIX. memorati, ad unum annum et 4 menses restringi posse videntur. Mihi nihil rectius suppetit, quam ut *priore* loco tempus definiatur, quod ibi trivit quietus, antequam populos vicinos adgressus est, quod cum serie narrationis recte convenit, et *dies* mox restringantur ad 4 menses: *posteriore* vero loco *dies* ad *annos* referantur, absque ut eorum numerus

tradatur;

tradatur; adeo ut illud in incerto maneat, nec illud tanti est. Ceterum *Tsiklag* urbs fuit in tribu Simeonis Jos. XIX: 5. in Daroma, teste Eusebio, adeoque in australi parte Judae versus occasum.

§. CCCCLXXXVII. *Primum* quaesitum, quod hic moveri potest, habet, num David, terram Israelis deserendo, recte fecerit, seu sufficiens aut necessaria ipsum eo compulerit ratio? Dubitari quidem de eo potest, *cum*, quod, Deo inconsulto non tantum egerit, sed et contra Dei consilium, per Gadum ipsi notificatum c. XXII: 5. *tum*, Deo diffidisse videatur, sese sub Dei tutela, quam saepe fuit expertus, non amplius tutum esse censens: sed hae rationes non sufficiunt. 1. Si Deo non consulto ita instituit, inde Dei voluntati id fuisse adversatum colligi nequit: nec certo constat, num Gad illud, tanquam propheta, nomine Dei injunxerit c. XXII. de quo supra egi; sed nec ad perpetuam moram in terra Israelis dictum Gadi necessario est extendendum. 2. Num *diffidentiae* adscribendum sit, ante constare nequit, quam certus fuerit David de voluntate Dei, se, in ipsa terra Israelis, inter continuas Sauli insidias, et persecutiones, conservandi. Habebat quidem tutelae Divinae promissum, sed non absolutum, ubicunque esset, et quomodocunque se gereret; sed necessariis adhibitis mediis, inter quae fuga in terram peregrinam locum habere potuit. Secum itaque reputare potuit, se in terra Israelis amplius tutum non fore, nisi Deus extraordinarie continuo interveniret: de quo promissum non habuit. Nec deerant rationes metuendi, *se aliquando manu Sauli periturum esse* sicut c. XXVII: 1. dicit, si scilicet ibi maneret, nec alio se conferret, quod mente intelligendum esse res ipsa et sequentia exigunt, Saulus enim non desisteret, et ubique latitabant insidiatores, ac exploratores, sicut plus una vice erat expertus, praeterea ipse manus a Saulo abstinere decreverat.

§. CCCCLXXXVIII. Cum vero Philistaei essent populi hostiles, inter quos vix tutus videretur esse posse, utique nisi hostem Israelis et ipse se praestaret, 2. quaeritur num Achiso

et Philistaeis sese satis prudenter commiserit, ac recte, scopo satis bono? Licet ob historiae defectum, et circumstantiarum ignorantiam, vix aliquid certi adfirmari hac de re queat, probabile tamen mihi fit *a*. Davidem de regis et aulicorum satis benevolo erga se adfectu ante certiorem fuisse factum, quam se eo contulerit: quod facile praesumitur, simul e superiore casu in aula Achisi corroboratur; quippe quo ceteroquin absterritus fuisset. *b*. Eo etiam scopo laudabili ad eos adcessisse, ut populum Judae a continuis vicinorum latronum infestationibus vindicaret: de quo ex seq. historia facile constat, *c*. adeoque actiones suas ita instituere sibi proposuisse, ut nec Philistaeos laederet, aut jus hospitalitatis violaret, nec populo suo noceret, potius prodesset, sicut astute praestitit. Addere *d*. liceat, se Dei curae ac protectioni sisum eo videri contulisse, cum auxilium ejus ad tam pium propositum exsequendum sibi promittere potuerit.

§. CCCCLXXXIX. *Tertium* quaesitum est, num sese satis pie et juste gesserit inter Philistaeos? cum regem amicum continuo fefellerit, et populos vicinos, forte Philistaeorum socios, invaserit. *a*. Cum hostes fuerint Israelis, simul continuis latrociniis eum invadere soliti, denique a Deo *devoti*, ut de Amalekitis constat, Davidem in illis oppugnandis injuste non egisse, facile patet. *b*. Sive vero Philistaeorum socii fuerint, sive non, nihil refert, cum David personam ducis Israelis non deposuerit inter eos, nec Achis tale quid stipulatus legatur, ut illos non invaderet. Attamen *c*. cum Achiso et verbis et factis eam suscitaverit cogitationem, se in terram Judae continuo incurrere, absque ut id aperte dixerit, regem quidem directe non fefellit mendacio, sed arte et ambiguis verbis, ac reticentia veri, circumvenisse censendus est. Cum enim rex rogaret, *quorsum irruisti hodie?* (sive אן legendum pro אל, uti Chald. habet, vertens לאן *quorsum*, sive אֶל punctandum, et אשר addendum sit) ipseque respondeat, *in austrum Judae* etc. vers. 10. verum quidem dixit, sed ita ambigue, ut Achis in

in alium sensum debuerit capere. Irruerat vere in australes partes *Judae* etc. sed non in Judam etc. verum alios populos in australibus illis partibus degentes. Sincere itaque cum rege non egit, nec omne verum dixit, stratagemate vel arte usus, regem quidem, tanquam suum nunc patronum, sed simul, qua hostem populi, cujus dux erat, et rex foret, considerans.

§. XD. Similiter fere cum rege egit, cum, bello inter Philistaeos ac Israelitas orto, consensum suum in regis postulatum, quo voluit, ut cum sociis sibi in praelio adesset, declaravit c. XXVIII: 1, 2. his verbis: *profecto*, pro certo (id enim hic לכן significat) *cognosces*, experimento scilicet, *quid facturus sit servus tuus*. Quibus clare quidem significat, se cum rege in bellum iturum, ansam tamen regi simul praebuit cogitandi, se cum hostibus ejus pugnaturum esse, utique si necesse fuerit; saltem regis protectio id requireret: Regem itaque non fefellit, secutus enim eum est, nec tamen se ad praelium cum Israele obstrinxit, in genere tantum locutus; ipse Achis forte id etiam non exegit, utique ab eo aperte stipulatus non est, contentus, si regi, periculum vitae incurrenti, opem ferret, et eum quocunque modo eriperet. Quo tendere videtur, quod Achis Davidi mox regesserit, se ipsum *custodem capitis sui facere in perpetuum*. Forte praevidit David, reliquos satrapas non permissuros esse, ut ipse cum suis in praelio adesset, sicut eventus docuit. Cum tamen id pro certo scire non potuerit, ipsum se in magnas conjecisse angustias, negari nequit, adeoque rectius fecisset, si regem ab hoc dehortatus fuisset proposito, quod, salva ejus gratia, forte potuisset, utique explorare debuisset. Videtur etiam Deo id displicuisse ex fato, quod Tsiklago et domui Davidis, eo absente, contigit. Quod vero ad verba Davidis adtinet, quibus Achiso, discessum e castris ipsi injungenti propter reliquos Satrapas, respondet c. XXIX: 8. *quid feci, aut quid deprehendisti in servo tuo — — quo prohibear ire, et pugnare contra hostes Domini mei;* non id illis intendit, sibi aegre esse, quod dimittatur, et po-

tius habere, si cum hostibus regis pugnare liceat, quod ab ejus persona, sive vere sive simulate dixerit, nimis abhorret, sed nihil aliud voluit, quam testimonio fidelitatis, hucusque praestitae, ab Achiso ornari, ne pro infideli aut proditore habeatur: acsi dixisset; paratus sum obedire, et abire, sed ante mihi declaretur, sitne quid in me, aut a me factum, quod hanc rejectionem mereatur; quam ob causam mihi in hostes tuos ire non liceat. Qua ratione omnis evanescit difficultas. Ceterum singularis in hoc casu cura Dei benevola erga Davidem eluxit, *tum*, quod manifesto periculo tam mirabiliter fuit exemtus, *tum*, quod, Tsiklago combusta et spoliata ab Amalekitis, opportune huic calamitati succurrere, et praedam iis eripere potuerit, uti c. XXX. narratur.

§. XDI. Pervenimus tandem in vita Sauli enarranda, ad ultimum et fatale praelium inter Philistaeos ac Saulum, quo cum Jonathane et aliis filiis ac aulicis cecidit, et Israel ingentem passus est cladem. Quae historia, quae c. XXVIII: 1, 2. incipit, et c. XXIX. pertexitur, per narrationem singularis casus, qui Saulo, se ad praelium paranti, contigit, abrumpitur, cum ad historiam praelii non pertineat. Opportuno tamen et commodo hic narratur loco, quia modo ante praelium contigit, et cum eo cohaeret, quippe occasionem praebente. Videtur autem, ut id obiter observem, licet tanti non sit, haec narratio ex peculiari schedula, ab alio autore confecta, desumta, et ab historico relicta integra, cujus conjecturae fundum praestat collatio cap. XXVIII: 4. et XXIX: 1. quo posteriore loco non tantum repetitio occurrit, sed diversa quoque loca memorantur. Saulus, ut memorabilis hujus casus aliquam dem notitiam, bello cum Philistaeis, in omnem occasionem Israeli nocendi intentis, inplicitus, simul ingente correptus pavore, et ad incitas redactus, Jehovam quidem *rogavit* verbo שאל, sed nullum retulit responsum, quia illud nec instanter, nec pie, et submissa prece fecit, quare 1 Chron. X: 14. negatur Deum *quaesivisse* alio verbo דרש, quod, origine a *terendo* ducta, studiosam inquisitionem, et frequentem usum ad *con-*

tritionem

tritionem uſque denotat, unde ad *conſulendum*, ſeu reſponſum inſtanter petendum, ac *precandum*, ſeu gratiam alicujus omni modo ambiendam, transfertur, adhibito; qua ratione illa loca facile conciliantur, tandem ad ſuperſtitioſam et lege vetitam, ab ipſo Saulo quoque antea ſub poena mortis interdictam, artem mortuos evocandi, per Pythoniſſam, mulierem fatidicam, et hac arte peritam, confugit, et a Samuele perſonato, quem mulier ficte et ſimulate, tanquam ex inferis in ſcenam produxit, durum accepit, licet verum, reſponſum, divinitus ipſi mulieri inſpiratum, et ab ea, nomine Samuelis ficto, prolatum, quo repudiatio ejus a Deo ob peccatum inobedientiae, et Davidis ſubſtitutio, confirmatur, ipſique proxima caedes et clades per Philiſtaeos praenunciatur. Etſi enim ſola mulier hic in ſcenam prodierit, omnia ſimulate egerit, ita ut ipſa *vidiſſe* dicatur quatenus ſe *videre* finxit, et ipſa fuerit elocuta, quae in perſona Samuelis leguntur pronunciata, quod multis rationibus demonſtrare poſſem, ſi hujus eſſet loci, aut ab aliis non eſſet factum; attamen futuram ſortem Sauli et Iſraelis nec ex conjectura, nec circumſtantiis, multo minus inſpiratione fanatica, ſed divina revelatione, hauſiſſe, et protuliſſe mihi videtur. Percipi enim ceteroquin nequit, quod loco conſilii, quod Saulus unice petebat, audire debuerit triſtiſſimae ſortis, cum acerba peccati inputatione, praedictionem, quodque futura tam vere et adcurate praenunciata fuerint. Utique nihil in vaticinio occurrit falſi, nihil quod divinae inſpirationi adverſatur. Quod enim nonnulli putant 1. *cras* Saulum moriturum, non potuiſſe ex vero dici, cum id eo die non fuerit praeciſe factum, illud leve eſt, cum *cras* latitudinem admittat, et proxime futurum tempus in genere deſignet, nec etiam demonſtrari queat, *craſtino* die illud non contigiſſe, de quo mox 2. dici quoque ex vero non poſſe, Saulum cum *Samuele* tunc futurum; quod etiam nihili eſt, cum *mortis* tantum ſit deſcriptio in genere: uti conſtat. Uſus ergo Deus eſt hac muliere, illegitimis licet artibus dedita, tanquam inſtrumento, ad Sauli inpietatem caſtigandam: nec video, quare talem mu-

lierem aeque ad tale quid proferendum ac praedicendum, adhibere non potuerit, ac olim Bileamum, incantationibus quoque deditum, in bonum Israelis, ac malum regis Balaki, qui ipsum evocaverat. Nec eo Deus artes necromanticas adprobavit, potius prostituit, cum in malum verterit, et Saulum, illicito modo consulentem, propriis suis consiliis irretitum, perdefecerit. Nec nova haec est sententia, cum Veteribus, ut ex. gr. Chrysost. *a*. Cyrill. Alex. *b*. Ephraem. Syr. *c*. et August. fuerit nota et probata.

§. XDII. Licet textui illustrando hic opera non sit danda, non possum tamen quin unum proferam observatum, a scopo non adeo alienum. Cum fatidica v. 12. dicitur *vidisse* Samuelem, quod idem est ac finxisse, et Saulo inposuisse, et Saulus v. 13. rogat, *quid viderit?* illud priori non repugnat, potius robur addit, non enim interrogat, *quem* sed *quid* viderit, sive quid illud sit, ex quo, se Samuelem vidisse, pateat. Ex quo elucescit, ipsam jam ante indicasse, sibi Samuelem adparuisse, quem volebat Saulus, cum nunc tantum roget, ex qua nota, aut signo, illud resciverit. Quod ex v. 14. confirmatur. Cum enim ad quaesitum Sauli, *quid vidisti*, non satis adcurate regessisset, se *Deos* vidisse adscendentes, (h. e. ex mente ejus, manes, divinae nunc naturae participes, et in numerum Deorum relatos, ac divinam praeferentes speciem) denuo rogat, sed distinctius, *quae forma ejus?* scilicet Samuelis, quem modo dixerat, a se esse visum. Relativum itaque *ejus* non ad Deos adscendentes, ut putatur, ipsa structura orationis vetante, sed ad *Samuelem* pertinet: quum cuncta facile fluunt.

§. XDIII. Inferitur historiae praeliae et alius casus, Tsiklagi et Davidis, primum tristis, dein laetus, ex peculiari rursus schedula descriptus ab Historico, cujus posterior pars praelium praecessit, vel in idem tempus partim incidit, ut ex 2 Sam. I: 1. colligi posse videtur. Narratur haec historia c. XXX. et summatim huc redit. Amalekitae, partim Davidis continuis

a. Hom. VI. ad Matth. *b*. de Adorat. in Sp. et Litt. l. VI. *c*. ad *h. l. oper.* Tom. I.

continuis infestationibus irritati, partim veteri odio in Israelem litantes, opportunam occasionem belli Philistaeorum cum Israele, et absentiae Davidis cum sociis, nacti, inpetum in australem partem Judae et Philistaeorum, quippe quorum consensu censeri potuerit David, inter eos tunc versatus, in Amalekitas irruisse, ingente cum successu, fecerunt. Praeter alia latrocinia, et praedam raptam, Tsiklagum *percusserunt*, inquit historicus, et *igni combusserunt*, h. e. igni eam comburendo percusserunt; neminem enim morte adfecerunt. *Mulieres* autem, quae ibi erant, *reliquosque* (ita enim textus supplendus est,) a *minimo ad maximum* abduxerunt. Tristissimo hoc spectaculo David et socii, cum advenissent, adeo fuerunt commoti, ut lacrymas copiose effuderint, sed et socii, dolore in iram verso, adeo irritati in Davidem, tanquam autorem expeditionis cum Philistaeis, et derelictae urbis, ut de eo lapidando cogitarint, David vero, tristitia obrutus licet, et in praesentissimum vitae discrimen conjectus, ne sic tamen animo succubuit, sed, fiducia in Deo collocata, se corroboravit, insuper responso oraculi Divini per Abjatharem Pontificem, qui Ephodum habebat, animatus, se ad hostes insectandos mox adcinxit, tanto cum successu, ut, a ministro viri Amalekitae, AEgyptio origine, a Domino ob infirmitatem derelicto, certior factus, quo se verterant Amalekitae, cum 400 sociis, quia 200, viribus exhausti, sequi non poterant, ad fluvium Besor, qui ad meridiem Tsiklagi, inter Gazam et Bersebam, in mare Mediterraneum influit, relicti sunt cum inpedimentis, hostes festinanter et opportune, quippe securos et genio indulgentes, simul solutos, et quaqua versum discursantes sine ullo ordine, (hanc enim potestatem habet verbum נטשים v. 16. proprie *soluti*.) tanto invasit inpetu, et virtute heroica, ut, 400*tis*, qui celeri fuga se proripuerant, exceptis, trucidaverit omnes, simul omnia sua salva non tantum recuperaverit, sed et ingentem praedam, ab iis occupatam, acquisiverit. Percussit autem eos, uti v. 17. traditur *a crepusculo, scilicet* matutino, *usque* ad *vesperam postridiei*, (videtur

enim pro למחרתם legendum למחרת יום, uti 1 Chron. XXIII: 21. cum quid sit *postridei ipsorum* non pateat.) Ceterum, quod *ducentos* illos socios dixi, prae *lassitudine*, substitisse, illud ex peculiari verbi עמד usu, quo, sub *onere* fatiscere, ansa a jumento delassato arrepta, denotat Ezech. XXIX: 7. non tantum erui potest, sed et verbum פגר *tardus* est, exhaustis viribus, demonstrat. Quo referri etiam potest titulus הנתרים v. 9. si a נתר in Kal derivetur: quae radix proprie tremulam vibrationem, et dissilitionem rei cum sono *tir*, unde ficta est, involvit, et inde ad debilitatem ac infirmitatem, nervo soluto vel rupto, transiit. Concinit versio Lat. quae *lassos* habet. Solet verti *reliqui*, sed qui sunt *reliqui?* cum David ad fluvium venisse dicatur cum 600 viris. Praedam vero partim inter socios, etiam illos qui retro manserant, divisit, partim ad contribules per loca tribus Judae misit, ut eorum favorem aucuparetur, simul gratum animum pro acceptis beneficiis, dum ibi oberravit, demonstraret.

§. XDIV. Pertexitur tandem filum historiae, et ultimi ac decretorii praelii eventus, Saulo, ejusque tribus filiis, inter quos ipse erat Jonathan, imo omnibus *viris* Sauli, quippe omnibus occisis, fatalis, Israele quoque in fugam, ac grandem calamitatem conjecto, narratur cap. XXXI. nec multum obscuri habet, hic illustrandum. Tantum notetur, *viros Sauli* vers. 6. probe a *viris Israelis* vers. 1. distinguendos. Hi enim aufugerunt maximam partem, sed *illi*, seu *viri Sauli*, occisi sunt. Intelligendi itaque sunt viri selecti, qui latus Sauli regis stipabant, et 3000 erant, saepe in superiore historia memorati. Ceterum 1 Chron. X: 6., loco parallelo, *domus Sauli* nomine veniunt, pro *viris* domus Sauli, voce per ellipsin omissa; uti alibi quoque factum est. *Viri domus* Sauli sunt aulae, et tentorii ejus castrensis, selecti stipatores: quem usum non respuit vox בית *domus;* ut notum est. Sed peculiarem meretur animadversionem fatum ipsius Sauli, tum *mortis*, tum tractationis *corporis* ejus respectu.

§. XDV. Saulus occideritne se ipse, in proprium gladium

se inmittens, an, propria manu lethaliter tantum vulneratus, ab Amalekita dein, uno militum ejus, qui casu in eum inciderat, ad ipsius Sauli petitionem, neci datus? controvertitur, et dubiis adcenseri potest, cum 1 Sam. XXXI. et 1 Chron. X. gladio suo diserte tradatur occidisse, sed 2 Sam. I. ex Amalekitae ipsius narratione, ipsum vulneratum quidem gladio, sed non mortuum, verum ab Amalekita confectum esse tradatur. Oportet itaque vel insignis in historia mortis Sauli, ubi ea expresse refertur, 1 Sam. XXXI. et 1 Chron. X. admittatur defectus, et cum, in gladium suum incidens, *mortuus* adpellatur, illud vel de opinione *armigeri* ejus, vel de effectu, mox, sed per alium peracto, secuto, intelligatur, quod potest, cum armiger tantum dicatur *vidisse*, vel censuisse, eum fuisse mortuum; vel Amalekita statuendus est, illud de se finxisse, et Davidi falso retulisse, vana ductus opinione, se gratiam Davidis, Saulum occidendo, aucupaturum esse. Posterius licet passim placeat, mihi tamen cum paucis aliis *prius* videtur probabilius, *cum*, quod Amalekita illud fingendi sufficientem non potuerit habere rationem; sufficiebat enim scopo ejus, si diadema et armillas adtulisset, nec certus esse poterat, Davidi regi-cidium fore gratum, in primis si ab Amalekita, qualem se sponte sua professus est, illud esse profectum intellexisset, *tum*, nullo indicio, aut Davidem, aut historicum, de veritate nuncii dubitasse, patescat, nec ipse, ad mortem propterea a Davide condemnatus, revocaverit testimonium suum, *tum* denique, nihil haec revelatio contineat, quod falsi possit argui, aut superiori narrationi 1 Sam. XXXI. et 1 Chron. X. contrarium sit.

§. XDVI. Legitur quidem Saulus, ubi mortis ejus historia narratur, ut, missis aliis circumstantiis minoris momenti, praecipuum contradictionis specimen adtingam, in gladium incidens occubuisse, sed, quod modo observavi, traditur tantum, quid armiger ejus fuerit opinatus, quidve fuerit visum, et postea secutum sit, tantum reticetur *modus*, quo deinceps mortuus fuerit, quidve intervenerit ad mortem ejus accelerandam.

 Quem

Quem defectum relatio Amalekitae supplevit 2 Sam. I. Nec ratio, quam dedit, quare mors non mox ipsum, in gladium se inmittentem, abstulit, aliquid habet, quod credi vix queat, modo recte intelligatur. Saulum se in haec verba fuisse adlocutum dicit, 2 Sam. I: 9. *quia cepit me rigor, quia omne adhuc anima mea in me est.* Sic verba censeo vertenda, secus ac solent Interpretes, qui per שבץ intelligunt *loricam*, vel *ocellatam chlamyda*, aut quid simile. Sed, praeterquam quod vox eo sensu non occurrat, verbum אחז, cum ea constructum, aliud quid postulat, sumi enim pro *retinere*, et inpedire, ne gladius penetret, nequit. Praeterea cum gladius jam intraverit corpus, illudque lethaliter vulneraverit, uti v. 10. etiam traditur, qua ratione *chlamys* potuerit ulteriorem penetrationem inpedire, vix percipitur. Rectius longe Veteres versiones vel *caligines*, vel *tremores* reddiderunt. Denotat enim vox שבץ *rigorem*, vel horrorem membra *rigidantem*, uti Cl. Schroeder jam notavit ad Jes. III. Cui optime et unice verbum אחז convenit, quod manu quasi inmissa *capere* et prehendere dicit, et *metui*, quo quis corripitur, tribuitur Ps. XLVIII: 7. Job XVIII: 20. denotans *condensari*, *rigescere*, quo quis totus rigescit, sanguine velut cum facultatibus animae *capto*. Est ergo, acsi dixisset Saulus: *cepit me rigor*, totus stupore et horrore correptus, ulterius me inmittere in gladium non potui, *hastaeque* adfixus obrigui totus. Ex quo simul patet, secum non pugnare, quod Saulus *hastae* innixus dicatur vers. 6. et in gladium incubuisse in altero loco 1 Sam. XXXI.

§. XDVII. Cadavere Sauli invento, quid cum eo egerint Philistaei, traditur 1 Sam. XXXI: 10. et 1 Chron. X: 10. sed modo longe diverso. Priore habetur, *arma ejus fuisse in aede Asthartae posita, et corpus in muro Bethsanis suspensum;* in posteriore vero, *arma quidem in aede Deorum posita*, sed *cranium suspensum in aede Dagonis.* Quae discrepantia ferri nequit, eo minus, quod pericopa tota 1 Chron. X. fuerit e loco Samuelis descripta. Succurrit vero hic textus *Syr.*

qui

qui habet: *corpora ipsorum suspenderunt in muro Beth-sanis:* legisse itaque videtur autor versionis Syr. גויתו pro גלגלתו, et בית-שן pro בית-דגון. Cui lectioni robur insuper addit, quod *corporis* suspensio, eo in loco facta, omitti nequeat, quodque verbum תקע *suspendere* rectius in *corpus* suspensum, quam *cranium* quadret, cui locus 1 Sam. etiam concinit. Denique qua ratione cadavera Sauli, et filiorum, noctu abstulerint Jabesitae, eaque *cremaverint*, ossa sepulturae tradiderint, et septem dies luxerint, ex historia facile constat, nec elucidatione eget. Licet cadavera ipsa apud Israelitas non solita fuerint igni tradi, sed aromatum tantum copia, 2 Chron. XVI: 14. Jer. XXXV: 5. et alibi, hoc tamen casu aliter videtur institutum, cum *corpora* expresse dicantur cremata, et *ossa* sepulta, forte ne iterum a Philistaeis refoderentur, et suspenderentur, vel alia de ratione. Laudabile hoc Jabesitarum factum, quo gratum demonstrarunt animum erga Saulum, qui eos ab hostibus liberaverat, ut supra habuimus, ab ipso Davide quoque celebratum est, 2 Sam. II. de quo mox.

§. XDVIII. Cladis hujus, et necis Sauli nuncium, qua ratione, quove animi adfectu, exceperit David, ante exponam, quam historiam Davidis, hucusque perductam, pertexam. Ubi ante omnia observari velim, luctus signa, quae David cum suis publice dedit, non fuisse simulata, sed ex animo profecta; quippe quod pietas Davidis requirit, et ipse narrationis, et capitis totius *primi*, contextus testatur. Nec rationes ipsi tantopere lugendi deerant sufficientes. Mors Sauli licet ipsum non adeo adfecisset, attamen *uncti* Dei tam ignominiosa caedes, Jonathanis in primis, et exercitus tanta clades, a Philistaeis quoque inflicta, misera denique Israelis, inde orta, conditio, qua a Philistaeis oppressi, vel fugati, urbibus suis desertis, 1 Sam. XXXI: 7. duce carebant, et intestinum metuebant quoque bellum, inter Sauli et Davidis adseclas, aliaque, non poterant non justissiman luctus praebere materiam.

§. XDIX. Sed quid Davidem ad poenam mortis de nuncio Amalekita sumendam movit? uti 2 Sam. I. narratur. Causam

sam non fuisse mendacem ejus relationem, quod multi putant, sed *regicidium*, inde facile patet, quod non tantum nullum in ejus relatione mendacii indicium sese offerat, ut supra vidimus, aut a Davide memoretur, sed haec ratio ab ipso indicetur vers. 14. et expresse v. 16. detur, cum ei dicit: *sanguis tuus in caput tuum recidat*, seu mortis tuae caussa sit. Vid. quoque c. IV: 10. Provocat quidem David ad solam *unctionem* Jehovae, tanquam quae regem *sanctam* constituat, et inviolabilem, personam, cui manus nullo modo sunt inferendae, nisi publicus sit hostis, qui id jure belli facit: cum tamen Amalekita id sponte, et insidiose non fecerit, sed Saulo petente, cum lethali vulnere jam laboraret; videtur David 1. odio Amalekitarum, a quibus proxime indignissime, et hostiliter erat tractatus, aliquid indulsisse. Quo et illud facit, quod, licet eum esse Amalekitam audiverit, denuo interrogaverit, *quis* et *unde* sit? Nec illud 2. inprobabile mihi fit, Davidem suspicioni et opinioni sinistrae aliquid dedisse, acsi de petitione Sauli, et desperato ejus statu aliquid finxerit, adeoque eum sponte ac dolose occiderit: qualem eum habuisse ex vers. 16. colligi potest. Sed 3. adcesserunt rationes politicae, *cum*, ut reges absolute fiant inviolabiles, aliique ab iis quovis modo occidendis absterreantur hoc exemplo, *tum*, ne vel minima superesset suspicio, aut delectationis Davidis super nece Sauli, aut collusionis cum caedis autore.

§. D. Praeterea, ut de animo Davidis, et vero ejus luctu, magis constaret, carmen insuper condidit parentale, c. I: 17. historiae insertum, quo *partim* Saulum et Jonathanem ab heroica virtute laudavit, commoda quoque ab iis in Israelem collata celebravit, *partim* luctum suum, in primis ob Jonathanem, vivis depinxit coloribus, *partim* denique indignitatem, et noxia cladis effecta, figura describit oratoria, vetando nuncium ad Philistaeos, ne laetentur, deferri, et montibus Gilboae, ubi ceciderant, dira inprecando, ut sic indignae cladis monumenta sint sua sterilitate in perpetuum, his notabilibus verbis vers. 21. quae proferam, ut iis aliquid lucis infundam, *montes*

Gilboae,

ilboae, *ne pluvia fit fuper vobis et agris oblationum*, (h. e. riguis et fertilibus circum jacentibus, unde dona decerpi et fferri folebant) *quia ibi* contumeliofe, et cum *faftidio* quafi :actatus eft (quod eft נגעל a געל proprie *vertit*, unde eft *verfatio*, vel verfatio ftomachi naufeantis, ac refpuentis,) *lypeus heroum*; *clypeus Sauli*, *inftrumentum*, (eft enim בלי pro כי) *uncti oleo* (Sauli regis uncti) *prae fanguine confofforum*, *prae dipe heroum*, (quae verba cum v. 21. connectenda funt, et aufam continent maledictionis montani Gilboae, quia fangui- iem, et adipem horum confofforum hauferat.) Confervatum uit hoc carmen in libro *canticorum*, ut v. 18. traditur, mo- lo pro ישר ibi, ut debere videtur, legatur, litteris duabus ranfpofitis, שיר, ficut et Jof. X: 13. ut ibi obfervavi.

§. DI. Regni Davidis cum duplex fit periodus, *prior* fu- ier Juda, *pofterior* toto populo; utriufque tradenda eft no- itia. Statim ac David, confulto et jubente Deo, poft cladem iopulo inflictam, *Hebronem* veniffet, a tribu Judae agnitus ft, et unctus rex: uti c. II: 1—4. narratur. Quae tribus, ioc faciendo, non tantum jure fuo eft ufa, cum fingulae tri- us formam regiminis fui, ubi mandatum Divinum non inter- edebat, ordinare jure potuerint, fed ad voluntatem Dei fefe nfuper compofuit, quippe qui regnum Davidi poft Saulum leftinaverat; fimulque nunc jufferat, ut cum fociis et familia *Hebronem* tenderet, eo fcopo, ut regnum capefferet, quod efponfum, a Deo acceptum, David, ut probabile eft, cum tri- iulibus fuis communicaverat, denique rebus publicis hac ratio- ie optime confuluit, Davidem eligendo, quippe rebus collap- is reftituendis unice parem. Regni fedes tunc conftituta eft *Chebron*, antiquitus *Kirjath Arbah*, ab Arbe, patre Enaki, Jof. XV. adpellata, deinceps *Chebron*, a nepote Calebi 1 Chron. I: 13. ut putatur, nefcio an fatis folide, alii a confoedera- ione Abrahami et fociorum, Gen. XV. quod tanti non eft; Hierofolymis ad auftrum diftans, teftibus Eufebio et Brocar- lo, 20 vel 22 milliaribus, nec ad orientem Hierofolymae, ut igtfootus contendit, fed occidentem potius vergens, ut recte

Relandus; urbs antiquissima, 7 annos condita ante Tsoanem, vel Tanin AEgypti, Num. XIII: 22. ab Enakim, dein a Calebo occupata Jos. XV. et Levitis data, urbs refugii facta, agro circumjacente Calebo et posteris concesso; sita in loco admodum saxoso, et fertili, *piscina* etiam praedita 2 Sam. IV: 12. celeberrima denique habitatione Patriarcharum, et sepulchrorum eorum, aptissima quoque, et tuta hoc tempore metropolis regni, quippe munita, et ferme in medio tribus Judae. Ceterum duravit haec periodus regni Davidis, causa belli cum Isbosetho, filio Sauli, rege Israelis declarato, *septem annos* et 6 mens. 2 Sam. II: 11. ita tamen, ut 7 annos cum Isbosetho, rege Israelis, triverit, et dein, eo sublato, ac rex totius populi factus, reliquos menses *sex* rebus regni ordinandis, ac Hierosolymae occupandae inpenderit. Ex quo manifestum est, vitio descriptoris laborare vers. 10mum, ubi Isbosetho *duo* tantum dantur anni, et legi debere *septem*. David enim mox post Isbosetum sublatum rex demum factus est totius populi, et bellum longius, quam biennium durasse ex cap. III: 1. clare elucescit. Commenti quidem varia sunt Interpretes ad lectionem tutandam, sed frustra; ut facile foret demonstratu, si hic liceret, aut necesse foret.

§. DII. David a Juda electus, antequam ab Israele et domo Sauli palam esset reprobatus, multa egit ad totum Israelem sibi devinciendum, sicut mox post mortem Sauli, et publice lugendo, et necem Sauli ab Amalekita vindicando, carmen quoque parentale in laudem Sauli componendo, et divulgando, ita et postquam a Juda esset rex factus, solenni legatione ad Jabesitas, qui corpus Sauli, ac Jonathanis abstulerant, ac terrae mandaverant, qua testatus est, sibi factum eorum valde placere, tantumque abesse, ut ipsis propterea male faceret, ut quavis data occasione illud sit remuneraturus. Quo verba pertinent c. II: 6. *et ego faciam vobiscum*, secundum *bonitatem hanc* vestram erga Saulum. Ante voces enim הטובה et post אתכם addendum est כמו *secundum*, latens in אתכם; nisi quis velit *facere benignitatem* ibi idem esse, ac facere,

facere, ut fructus carpatis bonitatis vestrae. Sed simul insinuat, quid hoc rerum statu e re ipsorum sit, quo, mortuo Saulo, a Juda electus erat rex, 2 Sam. II: 4.—Eo utique spectasse videtur honorifica haec legatio, inter alia, ut 1. publice declararet, se ab omni vindicta, de Sauli domo sumenda, esse alienissimum, nec Sauli causa alicui esse aegre facturum, 2. in specie testificaretur, se, si ad bellum concurratur civile, non domus, et amicorum ejus exterminandorum causa, sed unice, propter regnum suum tutandum, esse suscepturum. 3. Denique, ut Jabesitas, et, ad eorum exemplum, Israelitas omnes, sibi redderet amicos, et si pote, bellum civile praeveniret. Hoc enim ex facto, quo Jabesitas tam benevole tractavit, certa omnibus fiebat spes benignae tractationis a Davide exspectandae, amicis quoque in specie, et fautoribus Sauli. Quo etiam collineare videtur, quod David per legatos dixit Jabesitis c. II: 7. *et nunc confirmentur manus vestrae, et sitis fortes* (vel strenui, res vestras sapienter et studiose agentes, quales בני־חיל adpellari solent,) *quia mortuus est Dominus vester Saulus, et me unxerunt quoque regem suum Judaei.* Quibus verbis eos ad virtutem bellicam contra se, electum regem, et pro domo Sauli, exercendam, non adhortatur, quippe quod variis premeretur incommodis, ex vocum structura, et re ipsa, oriundis, sed ut animis non concidant, mortuo protectore suo, erigant potius eos, cum in se novum sint habituri, nec minorem, patronum ac defensorem. Ratio itaque, quam vocula כי *quia* involvit, quae animum iis adderet, non in morte Sauli, quae animos potius frangere apta nata foret, sed electione Davidis, quaerenda est, acsi haberetur: *estote viri strenui, quia, Saulo mortuo, me elegerunt regem*, vobis aeque faventem, et ob praeclara de Saulo merita adhuc faventiorem Sic ex. gr. Matt. XI: 25. *gratias tibi ago*, dicit Dominus Patri, *quod haec sapientibus occultaveris, et revelaveris infantibus*, h. e. quod, cum illis occultaveris, revelaveris his. Sic et Rom. VI: 27. et alibi haud raro.

§. DIII. Haec Davidis conamina pacifica elusit, et bellum

 civile

civile peperit Abneris facinus, quo Iſboſetum, filium Sauli, ſolum ſuperſtitem, in throno collocavit, et Davidi oppoſuit, c. II: 8, 9. Ipſe vero vir ſtrenuus, et primarius nunc dux, ex eadem ſtirpe Sauli prognatus, filius quippe Neri, Iſboſetum, etiam *Eſbaal* dictum 1 Chron. IX. (q. d. *ignem*, vel conſumtorem, exterminatorem pudendi idoli Baalis, ut exponit Simon in Onom. per paronomaſiam quandam אש-בשת pro איש-בשת, propter *ſtupiditatem* hominis) duxit trans Jordanem in urbem Macharaim, cum, ut ibi et a Judaeis et a Philiſtaeis eſſet tutior, tum, quia plures Iſraelitae, metu Philiſtaeorum, eo, poſt Saulum proſtratum, confugerant 1 Sam. XXXI: 7. ibique regem eligi curavit ſuper totum Iſraelem: verſ. 9. Quo multum contuliſſe videtur aemulatio duarum tribuum Joſephi et Judae, quae omni fere data occaſione ſe exſeruit, uti temporibus Judicum, et poſtea etiam ſub ipſo Davide, et Rehabeamo. Quod Abneris facinus, re per ſe, et ſine relatione ad voluntatem Dei, conſiderata, pro injuſto non ſolum haberi nequit, cum reliquae tribus ſibi, aeque ac Juda, regem potuerint praeficere, ſed et majore juſti et aequi ſpecie praedito, cum defuncti regis eſſet filius: attamen 1. ab inprudentia, et perverſo conſilio, abſolvi nequit, non *tantum* quod belli civilis anſam praebere debuerit, eo magis vitandi, quod periculoſus tunc erat, et turbulentus, reip. Iſraeliticae ſtatus, ſed in primis, quod rebus inſtaurandis, et contra hoſtes tutandis, David longe fuerit aptior, omniumque oculi jam dudum in ipſum fuerint, tanquam feliciſſimum hoſtium debellatorem, defixi. 2. ne quidem ab injuſtitia, et crimine cenſeri poteſt inmune, ſi oculo, ad Dei, ſupremi regis Iſraelis, diſpoſitionem reflexo conſideretur; nec aliunde, quam ab alieno Abneris, et reliquarum tribuum in Davidem, ac tribum Judae, adfectu repeti. Davidem utique Saulo fuiſſe divinitus ſuffectum, vel deſignatum ſucceſſorem, in vulgus erat notum, ab ipſo Saulo, et Jonathane agnitum, nec Abneri occultum, ut ex c. III: 9. elucefcit, aut principibus reliquarum tribuum, cap. V: 2. Factum itaque non poteſt niſi injuſtum, et a Deo,

Deo, ad Israelem ulterius puniendum, permissum considerari.

§. DIV. Rebus ita in Israele dispositis, animisque divisis, bellum civile exortum est, cap. II et III descriptum, non tamen a Davide, sed domo Sauli inceptum, adeo ut ab illius parte fuerit defensivum, ab hujus offensivum. Abner enim non tantum primus legitur *egressus*, scilicet in bellum; sed et in terram Benjaminis, ubi *Gibeon* erat, movit versus tribum Judae, cum sedes regni Isboseti fuerit trans Jordanem: unde animus Davidem oppugnandi facile elucescit. Ceterum, quod notari meretur, exercitus hostiles non fuerunt ex omnibus tribubus conflati, sed e militibus tantum ordinariis, et stipendiariis, qui regibus ordinario aderant. Eo enim nos ducit *servorum* Davidis et Isboseti titulus, quo insigniuntur, nec non solorum Benjaminitarum mentio, v. 25. ex quibus satellitium Sauli maximam partem constabat 1 Sam. XXII: 5, 6. Exercitus quoque non adeo fuisse numerosos, nec Isbosethi, ut putatur, longe majorem, vel ex caesorum numero, in praelio satis acri, colligi potest: ex Davidis enim ceciderunt tantum 19, Isbosethi vero 360. c. II: 30, 31. Initum autem est justum praelium post 12 juvenum, ex utroque exercitu collectorum, duellum, qui se invicem prehenderunt, ac trucidarunt. Qui casus satis singularis, ut ejus memoria conservaretur, nomen *agri* חצרים seu *rupium* et *saxorum* produxit, ob duritiem, inmobilitatem, ac fortitudinem gladiatorum. Institutum autem *spectaculum* hoc gladiatorum est, nam hanc speciem videtur praetulisse, ut ex verbo *ludere* quoque patet, ad postulatum Abneri, qui forte suorum audaciam, ac fortitudinem, ostentare, et Joabo, ac militibus Davidis insultare voluit. Interea fuerunt animi hoc spectaculo magis irritati, et adfectus concitatiores facti, ita ut grave admodum praelium inde fuerit secutum, et Judaei deinceps Benjaminitas, licet fugientes, pertinacius insectati sint: illud utique Joab a postulato Abneri, et hoc casu, repetiit v. 27. qui etiam, ab Abnero rogatus, finem mox insectationis fecit, copiis in loca, unde venerant, discedentibus.

Nec tamen finitum fuit bellum, sed longius protractum, licet de novo nihil legatur praelio, quatenus divisio, cum hostili animo partes adversas debilitandi, et destruendi, continuavit, sed in detrimentum domus Sauli, indies decrescentis, cum Davidis augeretur, et potentior fieret, ut c. III: 1— narratur.

§. DV. Tuitus tamen aliquandiu adhuc res suas est Isboset per Abnerum, qui c. III: 5. propterea *firmiter tenuisse* dicitur *domum Sauli*, donec, discidio inter eos, causa pellicis Sauli Ritsphae, quam sibi adjunxerat Abner, orto, Abner sese ad Davidem verterit, et, pacto cum eo inito, totum Israelem ad Davidem adsumendum flexerit: uti cap. III. narratur. Ceterum reprehensio Isbosethi, qua Abnerum castigavit, non tam e facto, per se spectato, quatenus cum pellice Sauli consuevit, quam ex facinoris relatione ad regnum nata fuisse videtur. Suspicio enim fuit Isboseto nata, acsi Abner regnum, ducta aliqua Sauli vidua, adfectaret. Sicut ex. gr. Adonia, cum Abisaegam, concubinam Davidis, mortuo Davide, petebat uxorem, propterea a Salomone, tanquam regni adfectator, occisus est. 1 Reg. II. Quae ipsa suspicio bilem quoque praecipue movit Abnero, quippe qui Ibosethum, ad hoc usque tempus, solus fere in regno defenderat. Quo verba ejus ad regem etiam tendunt v. 7. *tune visitabis peccatum mulieris in me?* scilicet illud puniendo: quod phrasis usu suo indicat. *Peccatum mulieris* non est scortationis, vel adulterii crimen, Abner enim eam *ducere* in animo habuit, sed laesae majestatis in eo commissum, quod eo ipso visus fuerit regnum sibi [illegible]pere voluisse. Quale crimen cum jure non potuisset ei inputari, esset que atrox, indignabundus regessit, *et tu in me punis tale crimen?* a quo tam longe absum, ut, sicut antea Te in throno collocavi, ac defendi, ita nunc in posterum restituturus sim legitimo ejus haeredi Davidi, uti v. 8. declaravit. Cum verba Abneris aliquid inpediti habeant, v. 8, 9. ea obiter exponam. Continent propositionem, et ejus deductionem, ac confirmationem. Propositio fit his verbis: *an caput canis*

ego?

go? *qui Judae hodie*, scilicet *faciam*, (verbo hoc prae commotiore affectu omisso, sive per sequens absorpto,) quod ipsi competit. h. e. sumne adeo vilis, et abjectus in oculis tuis? vindicabo hanc injuriam, et Judae faciam, quod ipsi promissum est. *Deductionem* haec verba comprehendunt, 1. respectu *prioris* partis, ut pateat, se inmerito et temere contemtui haberi, *faciam benignitatem cum domo Sauli — et tu in me visitabis facinus in muliere?* per interrogationem, quae nihil esse indignius denotat, 2. respectu posterioris partis; ubi quid Judae sit facturus juramenti sub formula declarat, vers. 9 et 10.

§. DVI. Exsecutus quoque mox est dictum interminatorium, missa legatione ad Davidem, et promissa totius Israelis ad eum conversione, denique, postquam Benjaminis ac Israelis animos in itinere ad Davidem explorasset, pacto cum eo inito: 2 Sam. III: 12. De quo Abneri facto, et foedere a Davide cum eo inito, si quis sanum ferre velit judicium, ut quid in eo laudandum, quid culpandum sit, perspectum habeat, sequentia oportet ad animum revocet. 1. Secreto et clam non egit Abner, sed palam, sciente quoque Isbosetho, nec repugnante, quin aliquatenus consentiente. Quod sicut ex Abneri verbis ad Isbosethum, v. 9, 10. manifestum est, ita ex eo firmatur, quod Rex v. 11. legatur, nihil audere contra dicere, adeoque res suas agere permisisse Abnero. 2. Abner considerandus est, tanquam regni supremus curator, et administrator, qualem Gallia antiquitus habuit titulo *Majoris domus*, Isboseth tanquam, nomine magis quam re, Rex. De quo historia testatur tota, quodque ipse Abner v. 9 et 10. satis indicat. Huc etiam verba historici v. 12. pertinent, ita vertenda: *misit legatos Abner ad Davidem* תחתו *loco et nomine suo dicendo, cujus* vel *cui terra?* scilicet nisi mihi, vel cui ego, supremus Dux, favero; adeoque meum est faciem rerum immutare, et terrae dominium ad Davidem transferre. 3. Licet Abner indignatione, et vindicta, in initio fuerit impulsus; praecipua tamen ratio, quae ipsum permovit, fuit,

uti ex historia colligi posse videtur, ut bello civili finis imponeretur, domus Sauli conservaretur salva, denique Davidi regnum, ipsi debitum, traderetur, cui tam diu male repugnaverat. Huc enim verba ejus ad Davidem, et de eo ad Isbosethum, clare tendunt. 4. Sicut nihil, inscio et renitente Isbosetho, egit Abner, ita quoque nihil, nisi volente et adprobante ipso populo Israelitico: quare animos populi ante tentavit, et in favorem Davidis flexit, quam ad Davidem venit: ut traditur v. 17.—Denique 5. David cum Abnero nihil voluit habere negotii, nisi de Isbosethi benevolo erga se adfectu, simul de tacito ejus consensu, ante certior factus. Huc enim collineare videtur, quod Michalem, filiam Sauli, sibi desponsatam, dein alii datam, recuperaverit: v. 14.

§. DVII. Abnerum Davidi reconciliatum, et, foedere pacto, dimissum, ut Israelem ad Davidem adduceret, Joab, supremus dux belli, hoc audito cum indignatione, retractum, et in mediam portam Hebronis seductum, ut *cum ipso loquatur* (insidiose scilicet, et ad necem ei struendam, quam significationem verbum דבר subinde involvit, uti 2 Chron. XXII: 10.) בשלי h. e. cum summa animi et vultus defoecatione, qualem mentiebatur Joab (radix enim שלה proprie dicit *liquidum esse*, et defoecatum, instar butyri, unde ad securitatem, ac tranquillitatem transiit) nefarie trucidavit: uti cap. III. narratur. Cujus facinoris ratio fuit, alia *aperta*, vindicta caedis Hazaelis, fratris Joabi, per Abnerum factae, alia *occulta*, invidia et metus, ne Abner primum apud Davidem nancisceretur in posterum locum. *Priorem* dedit historia, quia ad eam provocavit Joab, et in vulgus nota erat: sed *posterior* e re ipsa, et ambitione Joabi facile colligitur. Utraque damnanda, aeque *prior*, ac *posterior*, cum Hazaelis caedes fuerit in bello, et propter propriam defensionem, facta per Abnerum; uti vers. 30. habetur, et propterea fusius suo loco narrata cap. II.

§. DVIII. Joabi hoc facinus per se erat enorme, cum dolose, sine justa ratione, et contra fidem, a Davide rege publice datam, occiderit Abnerum. Quo prima cantici lugubris

verba

verba v. 33. quoque tendunt, ita vertenda; *an sicut moritur flagitiose stultus morietur Abner?* h. e. dignusne est Abner? qui tali, tam infami, morte adficiatur, qui instar viri nullius frugis, et meriti, tanquam devotum caput, quocunque modo a quocunque e medio tollatur. Vox נבל proprie dicit *emarcidum*, omni succo vitali cassum, dein nullius frugis, et flagitiose stultum, cui nec ratio, nec virtus inest ulla. Sed ad Davidem, ejusque regnum, infamia notandum erat aptum natum, simul animos Israelis ab eo abalienare, ac regnum in novas turbas conjicere debebat; cum justa suspicio, ac publica fama, Davidem ejus caedis conscium, ac reum, arguere poterat. Ex quo facile patescit, Davidem urgentissimas habuisse rationes et indignandi, et innocentiam suam, detestationemque facti, omnibus palam faciendi signis. Quod quoque fecisse legitur, sed modum, in dira inprecatione, vix tenens. Luctum indixit publicum, Abnerum honesta ornavit sepultura, carmen quoque lugubre, in ejus honorem, cecinit, et ad vesperam jejunavit. Quae omnia innocentiae, et indignationis Davidis, demonstrandae signa erant laudabilia, et sufficientia, sed dira et horrenda inprecatio addita vix excusari potest. Si tantum dixisset, *sanguines* in *caput Joabi recidant*, seu luat homicidii poenas, nihil, quod carpi posset, protulisset: sed, ubi dirissimas addidit *inprecationes* (eum enim, et non simplicis prophetiae conspectum habere verba, omnes clamant phrases et circumstantiae) in totam domum Patris, ipsiusque Joabi familiam ac posteritatem, adfectui nimis indulsit, nec defendi potest, nisi non pro vere intenta inprecatione, sed simpliciter pro signo animi indignabundi, vel formula indignationem exprimendi usitata, habeantur verba. Ipse historicus, Davidem excessisse modum, videtur insinuare, cum inprecationi subjungit, v. 30. Joabum et Abisai trucidasse Abnerum, propter Hazaelem in bello occisum. Quae quare hic locum inveniant, non adparet, nisi ut observaretur, facinus Joabi quidem pro injusto esse habendum, quare expresse dicitur, Hazaelem in *bello* esse occisum, attamen tam diram non mereri inprecationem,

tionem, cum vindicta sanguinis Joabum et Abisai fratres ad id incitaverit. Quicquid sit, David, ad sedatiorem reductus mentem, sese rectius et moderatius expressit, v. 39. *rependat Jehova malefico poenas, secundum malitiam ejus:* scilicet, quas ipse alias infligere deberem, sed non possum, quia nimis *tenuis*, seu inbecillis adhuc sum, *unctus* tantum rex, sed stabilitam nondum nactus autoritatem, ac potestatem; *filii* vero hi *Tserujae*, Joab et fratres, me sunt fortiores ac potentiores, militibus quoque grati, quibus in regno tutando et firmando carere nequeo: uti ibid. profitetur David.

§. DIX. Effecta, quae haec caedes in Isbosetho, et toto Israele produxit, c. IV: 1. memorata, quibus *illius* manus remissae sunt, proprie *flaccidae* et *pendulae*, secundum interiorem verbi רפה potestatem, h. e. *ipse* pavidus et segnis factus est, *hic* consternatus, mente perturbatus, ac consilii inops, ne quis miretur, notari velim, non tam mortem, quam *caedem* Abneris, nec per se consideratam, sed Davidi per famam, et justam suspicionem inputatam, in causa fuisse. Quo admisso et credito, sicut Isboseth, et Israel robore et munimento suo, Abnero mortuo, erant privati, ita nihil a Davide exspectandum habebant pacifici, ut putabant, quin novum metuendum inpetum, adeo ut poenas de se sumendas esse, quod Davidi se opposuerant, veriti fuerint. Auxit consternationem, quod praeter Isbosethum, cui remissae erant manus, nullus e domo Sauli superesset, qui res tueri posset; unicus enim restabat tantum Jonathanis filius, et minorennis, et claudus, *Mephiboseth* adpellatus. Quae ratio fuisse videtur, quare historicus ejus hoc loco meminerit; et clarior evaderet, si versui *primo* mox illud fuisset subnexum: sicut series narrationis requirebat.

§. DX. Sed diuturna non fuit perturbatio Israelis, quin brevi cessavit, postquam de innocentia Davidis constitisset, in primis novum adcessisset adfectus, aequi et benevoli ejus in domum Sauli, signum, in caede Isbosethi a percussoribus ejus nefariis vindicata. Quae historia c. IV. traditur. Duo

filii

, Rimmonis Beerothitae e tribu Benjaminis, principes turma-
n Isbosethi, hostilibus excursionibus destinatarum, in pala-
n Isboseti, occasione introitus accipientium triticum capta-
et inter eos eo intrantes, sese subito, et clam ab iis sepa-
tes, procurrerunt in interiores aulae partes, ac regem, se-
'e ac tranquille degentem, simul in lecto *meridiantem*, ac
micntem, scelesté obtruncarunt. Quam occasionem in
lem regis penetrandi, regemque facile occidendi, pandit v.
s, ita vertendus, et intelligendus: *et ecce* (leg. enim הנה,
LXX vertentes καὶ ἰδοὺ, et non, ut nunc habetur, והנה *et*
: quod pronomen, multo minus foemin. hic locum non
ıet,) *venerunt ad medium domus collectores*, vel emtores,
'ici, *quum ad costas eum percusserunt*, (duo fratres illi) *ete-*
ı *Rechab, et Baana frater ejus*, se *subducentes celeriter pro-*
rerunt, (quod hic denotat נמלטו, non ut solet, *erepti sunt*
evaserunt, sed se subduxerunt, et procurrerunt; uti usurpa-
ur 1 Sam. XX: 29. Job XLI: 12. a propria *lubricandi*,
instar lubrici evolvi e manibus) *et venerunt in domum etc.*
mum enim v. *6ti* membrum cum *7mo* connectendum est.
ite ejus abscisso, et cum eo ad Davidem adcurrentes, tan-
ı abest, ut, quod sibi proposuerant, praemium acceperint,
enorme scelus capite debuerint luere, infami morte jussu
vidis, hoc facinus detestantis, adfecti. Quae vindicta, sicut
a, ita eo magis necessaria erat, quod ad sinistram suspici-
m, ex nece Abneris de Davide natam, magis delendam,
t adcommodata, simul ad regum vitam in tuto collocan-
n multum faciebat.

j. DXI. Hisce peractis, Israel, jam ante per Abnerum ad
videm inclinatus, a consternatione, ex caede Abneris nata,
ratus, denique de benevolo Davidis in populum et domum
illi adfectu certior factus, ut supra narratum est, proposi-
ı de Davide agnoscendo, et regem eligendo, jam ante
ıtum, mox exsecutus est, uti narratur c. V: 1—3. loco pla-
suo. Ceterum, quod hic notandum est, *electio* facta est ab

 exercitu,

exercitu, ex univerſo populo collecto, qui 1 Chron. XII: recenſetur, hic nomine *omnis tribus Iſraelis* venit, ſicut et alibi *omnis Iſraelis* ut ex. gr. 1 Chron. XI: 4. collato 2 Sam. V: 6. Sed confirmata eſt mox a *ſenioribus*, foedere ſolenniter pacto, et rege uncto. Diſtinguitur enim diſerte *totus Iſrael* a *ſenioribus*, et electionis a populo factae, a ſenioribus firmatae, indicium in eo quoque eſt, quod omnes tribus dicantur ad *Davidem*, ſed ſeniores ad *Regem* veniſſe. Acceſſit ſolennitas invocationis nominis Jehovae, et juramenti, quo foedus pactum eſt, quam phraſis *coram Jehova* exprimit. Additur denique 1 Chron. XII. *triduum* apud Davidem manſiſſe tribus Iſraelis, tempuſque laete et amice per *convivia*, eum in finem olim uſitata, triviſſe.

§. DXII. Sequitur itaque *altera* periodus regni Davidis, a quo tempore totius Iſraelis, et Judae rex fuit declaratus, Hieroſolyma quoque occupata, et ſede regni, loco Hebronis, facta, ſimul in regno confirmatus eſt, aulamque in Tſione aedificare coepit, Hiramo, Tyri rege, ipſi materiam et fabros ſuppeditante. Quae cap. V: 4.— narrantur. Duravit haec periodus 33 annos, adeo ut in univerſum regnaverit 40 annos, et 6 menſes, 7 enim ann. et 6 M. Judae regem egit Hebrone; uti v. 5. traditur. Cum igitur 40 anni ipſi v. 4. tribuuntur, numerus rotundus, ut dicitur, adhibetur, 6 omiſſis menſibus, adeo ut 40 anni completi ipſi tribuendi ſint. Statim ac regnum ſuper univerſo capeſſiviſſet populo, Hieroſolymam, a Jebuſaeis adhuc poſſeſſam, vi expugnavit, primo inpetu a Joabo facto, qui eo *ducis primarii* locum meruit, ſimul eam urbis partem, quam ceperat, exſtruxit, firmavit, et incolis replevit; uti 1 Chron. XI: 8. traditur, ubi Joab *reliquam urbem*, ab *arce* Davidis Tſione diſtinctam, *vivificaſſe* dicitur, eam, ut dixi, firmando, et ornando, ac amplificando. Qui verbi ſignificatus et alibi obtinet, uti Neh. III: 34. nec a primaria ejus poteſtate, in *coagmentatione*, in unum compactione, et conglobatione ſita, abhorret. David vero ipſe Tſionem occupavit, et ſibi in ſedem vindicavit, ſimul eam conſtruxit, ac munivit, adeo ut

ut *civitatis* Davidis nomen acceperit, 2 Sam. V: 9. Hac ratione loca Sam. et Chron. censeo concilianda.

§. DXIII. Pericopae, quae hanc narrat occupationem, cum versus 6 et 8. haud exigua laborent difficultate, v. 8. inprimis, aliquid lucis inspergere conabor. Sensus ỽ. 6. uti jam observatum est, habet, arcem Tsionis esse natura sua inexpugnabilem, ita ut vel a claudis et coecis defendi possit, versione hoc modo adornata: *et dixit* (Jebusaeus) *Davidi, non intrabis huc, sed removebunt te coeci et claudi* (unusquisque eorum te facile repellet) *dicendo* (acsi dixerit) *non intrabit David huc.* Ex quo manifestum est, proverbialem esse locutionem, *removebunt te coeci et claudi*, non acsi vere id facerent, Jebusaei enim viri militares in arce defendenda toti fuerunt, sed ut inexpugnabilitas arcis indicaretur, quippe quae vel a talibus defendi queat. Quae Davidis, ejusque militum, erat haud ferenda insultatio. Vers. vero 8vum ita reddiderim, et intellexerim. *Et enim dixit David illo die; omnis percutiens Jebusaeos, et qui ad canalem* (seu locum orbiculatum, quem insistebant Jebusaei pugnantes: vox צנור, teste Camuso, apud Arab. significat *caput fusi muliebris*, ab orbiculata sic dictum forma) *penetravit* (scilicet insigni honore cumulabitur, ex 1 Chron. XI: 7.) *et ipsi illi claudi ac coeci* (sint, vel sunt) *qui odio habent animam*, vel vitam, *Davidis* (sive ad Jebusaeos, qui se jactaverant, referatur, quos contemtus ergo coecos et claudos adpellat, propter inperitiam et ignaviam, sive, hinc ducto omine et voto, omnes, qui odio habent Davidem, *coecos* ac *claudos* a Davide facile superabiles fore, intendatur.) Voces itaque seorsim capiendae sunt, et particula את vim suam singularem, qua subinde pollet, etiam nomin. praefixa, et *ipsum illum* designat, exserit. Jebusaei sarcastice dixerant, arcem suam vel per coecos et claudos esse tutam; quo eodem sarcasmo usus David, eos sese tales vere praestare regerit, simul omnes, qui animam, seu vitam Davidis oderint, tales esse, et futuros esse, indicat vel vovet. Verbum שנאו non secundum marginalem lectionem, ut nunc fit, sed textualem est punctandum, punctis

 tert.

tert. praet. congruis, quae vera est lectio, vertendumque, sub intellecto אשר, ut alibi, *qui oderunt.*

§. DXIV. Postremum membrum vertendum, *propterea in proverbium abiit, coecus et claudus* (adest) *nihil intrabit domum*, scilicet ironice, adeoque idem dicit, ac inexpugnabilis est domus, quia coecus et claudus eam tenet et tuetur. Proverbii ansam dedit insultatoria Jebusaeorum jactantia, falsi convicta, de coecis et claudis arcem Tsioneam facile defensuris. Unde natum dictum de hominibus vanis et jactabundis adhibetur, qui domos suas putant insuperabiles, licet sint inbelles, haud secus acsi coeci et claudi essent, qui domos reddant firmas. *Coecus et claudus inest, nihil intrabit domum* eodem recidit, quo, domus est invincibilis, quam coecus et claudus facile tuetur, licet expugnatu sit facilis, haud secus acsi vere coecus ac claudus sit, qui eam tuetur. Separanda itaque sunt membra et seorsim capienda, uti in versione expressi, et vocula לא *non*, sumenda, ut saepe alibi, pro *nihil*, nemo. Verbum בוא *intrare* est hostiliter *irruere*, uti frequenter adhibetur.

§. DXV. Hic quidem Hierosolymam describendi locus foret, sed cum ad nostrum scopum directe non spectet, ejusque notitia aliunde, in primis Relando in Palaestin., facile peti queat, ne nimias traham moras, generalem aliquam dedisse descriptionem suffecerit; qualis scilicet sub Davide fuerit, et Salomone. Duo, ut opinor, fuerunt antiquissima Hierosolymae nomina, unum *Tzedeci*, alterum *Jebusi*, prius a Melchizedeco, posterius a Jebuso ortum, sive illud fuerit epitheton, hoc verum ejus nomen, sive diversarum partium, seu montium inhabitatorum fuerint nomina. De priore probabiliter conjicitur ex rege et sacerdote illo celebratissimo Melchizedeco, rege Salem, seu Hierosolymae Gen. XIV. Salem enim ejus proprium nomen est, sed serioris temporis, hic per anticipationem memoratum; ut saepe fit in libro Genes. Eum autem intelligi locum, et non alium, probabile mihi et ex eo videtur, quod *Adonizedec*, quod idem nomen ac Melchizedec, memoretur Jos. X: 1. rex Hierosolymae; quae etiam *Salem* vocatur

Ps.

Pſ. LXXVI: 3. de quo mox. Sicut itaque Adonibezek rex urbis ejus nominis occurrit, Jud. 1: 5. ita et Melchizedec eſſe poteſt rex Zedec. Quod nomen diu inter Cananaeos videtur manſiſſe, ſi, quod probabile eſt, inde formatum ſit, per ſcripturam a ſiniſtra ad dextram, Kadytis Herodoti, in hiſtoria Nechonis Regis AEgypti, eam occupantis: de quo poſtea ſuo loco. Significat autem nomen *juſtitiam*, a צדק, quae ibi eximie locum tenuit ſub Melchizedeco: quo Jeſ. I: 21. digitus cenſeri poteſt intendi. Ubi vid. Cl. Vitringa. De altero nomine *Jebus* conſtat ex Jud. XIX: 10, 11. et 1 Chron. XI: 4. a progenitore Jebuſo, filio Canaanis Gen. X: 16. orto.

§. DXVI. Nomen ירושלם, vel contracte שלם, reſpectu ſtatus pacis et proſperitatis, quo in primis ſub Salomone gaviſa eſt, accepit, cum antea per anticipationem fuerit uſurpatum, vel a Davide, cum arcam in eam deduxit, et promiſſum de Templo a filio ſuo Salomone, tempore pacis nactus eſt, vel a Salomone, qui, nomini ſuo, et ſtatui regni convenienter, ei hoc nomen, in ejus rei ſignum, et bonum omen in poſterum indidit; ſive idem ſit ac ירוש שלם *haereditaria poſſeſſio pacis*, quod Relando quoque viſum fuit, ſive ſit ירו שלם pro יראה *videbit*, procurabit, aut יהוה ראה *Jehova videns*, pacem; uti eſt Jeſ. XXII: 1. ubi vid. Cl. Vitringa. Confirmat nomen Hieroſolymae, cum aliqua mutatione inditum, תושיה יראה *videbit perennitatem*, *ſoliditatem* Mich. VI: 9. De quo in Comment. ad Prophet. minores expoſui. Nec multum abit, quod Ez. XLVIII: 35. nomen urbis eſſe, *Jehova ibi*, dicatur. Concinit quoque nomen שלמית *ſchulamith*, quo ſponſa, vel uxor, Salomonis honoratur Cant. VII: 1.

§. DXVII. Adſignata fuit haec urbs in terrae partitione, tribui Benjamin Joſ. XVIII: 28. et limes ſeptentrionalis Judae eam diſerte excludit Joſ. XV: 8. quo etiam pertinet, quod Deus Deut. XXXIII: 12. praecinatur habitaturus inter *humeros* Benjaminis, ſeu ſuper loca ejus *editiora*, ubi jacet Hieroſolyma, ut expoſuit Cl. meus Nepos Verſchuir Diſſ. ad Deut. XXVII. Attamen cum in confiniis Judae fuerit, ea

quoque tribus urbem expugnaverit, et incenderit, Jud. I. Jebusaeis tunc relictis intactis Jos. XVI: 63. aeque ac de Benjaminitis traditur Jud. I: 21. denique David eam urbem, subjugatis Jebusaeis, suam fecerit, simul sedem regni constituerit, facile intelligitur, quare Judae quoque adsignata fuerit; sicut Deus elegisse dicitur *tribum Judae*, *montem Tsionis* Ps. LXXVIII: 63. Sita vero fuit urbs super montibus, adeoque in loco sublimiore, ita tamen ut montes vicini circumjacentes fuerint altiores, praeterea in solo arido et saxoso: ut Strab. l. XVI. tradit, nec tamen, si cultura accedat, infrugifero. De quo ad Gen. XLIX: 11, 12. disserui.

§. DXVIII. Praecipui montes, quibus urbs insedit, sunt *Tsion* et *Acra*, prior australis, posterior septentrionalis, unde in superiorem et inferiorem urbem dividitur, sicut Tsionem τὴν ἄνω, et Acram τὴν κάτω πόλιν adpellat Joseph., qui etiam septentrionale latus diserte a Tsione distinguit; praeterea muros urbis de B. Jud. l. VI. c. 6. et obsidionem Romanorum ibid c. 8. ita describit, ut Acram fuisse ad boream, Tsionem ad austrum manifestum sit. Quod ex Neh. III. ubi portae urbis recensentur, initio facto a parte orientali Templi, versus latus aquilonare, et c. XII. in urbis dedicatione per choros eam circumeuntes, etiam clare demonstratur. Nec obstat, Ps. XLVIII: 3. ubi *mons Tsion*, *latera aquilonis* memorantur, cum latera aquilonis ibi addantur Tsioni, ut Templum designetur: quod erat ad ejus latus aquilonare Orientale, et non, ad partem urbis aquilonarem denotandam, uti in comm. ad Ps. exposui. Sic et Jes. XIV: 13. *mons conventus*, qui est Moria, ubi Templum, *in lateribus aquilonis* montis Tsionis esse dicitur. Commentum Judaeorum, a Ligtfoto temere adoptatum, de Tsione parte urbis septentrionali, viri praeclari Coccejus ad Ps. cit. Vitringa de Templo Ezech. et Relandus in Palaestina, abunde refutarunt. Nomen autem ציון *Tsion* a rad. צון Arab. superstite, *adservavit*, *recondidit*, recte derivatur, ut arcem quasi thesaurariam, et ubi quis tuto recumbit, denotet, sicut Hebr. quoque pro reconditorio mortuorum

in

i est: uti ad Jer. XXXI. 21. jam observavi. Altera
pars, inferior, et septentrionalis, *Acra* fuit dicta ab ἄκρα
jussu Antiochi Epiphanis in eo monte exstructa, ad Tem-
infestandum, ut postea videbimus: sicut Syri et Chald.
quoque חקרא ἄκραν nuncupant. Inter eos vero montes
fuit vallis, dicta τυροποιῶν *casteariorum:* et mons Tsion
te, qua parte urbem ad austrum et occasum terminat,
us quoque externe fuit profunda valle, et murum a parte
trionali tribus turribus illustrem, Hippico, Phasaele et
mne deinceps adpellatis, habuit. Alius murus cinxit
n a porta Gennath, in Tsionis muro aquilonari, usque ad
i Antoniam. De quibus muris et portis, Neh. III. re-
is, hic fusius agere nihil adtinet. Addamus verbo ter-
montem, seu collem Tsionis, cui Templum fuit inaedi-
um a Salomone, secundum revelationem, seu instructio-
Divinam, Davidi factam, 1 Chron. XXI. sicut olim
hamo contigerat, filium in hoc ipso tractu oblaturo Gen.
.. unde forte nomen montis המוריה *Moria* derivandum
quatenus divinitus fuit iste locus *monstratus* et Abrahamo,
XXII. et Davidi, ut diserte dicitur 2 Chron. III: 1.
lem altaris et sacrificiorum; sive a rad. ראה *videre*, sive
vibrare, jaculari, unde מורה doctor, institutor, direc-
et יה *Deus.* Fuit autem collis, ad latus Aquilonare ori-
e Tsionis, ut supra observavi, valle quidem a monte Tsio-
isjunctus, eique ponte et xysto, teste Jos., junctus, atta-
pro colle Tsionis habitus Jos. XXXI: 4. quare Templum,
monte Moria, solet Tsioni adsignari. Postea sub Agrip-
Majore accessit collis Bezetha, ab eo munitus, et *Coe-
is* dictus, prope turrim Antoniam. De quo postea suo

DXIX. Est praeterea mons Tsionis illustris, quod arx
dis in eo fuerit, et palatium Salomonis in eo aedificatum,
e quod erat domus filiae Pharaonis, nec Templum ab eo
am remotum, cum inde adscensus in Templum fuerit per
s 1 Reg. X: 5. De quibus quaedam in historia Salomo-

nis monebo, alia ejus loca mitto: et de extramuralibus locis paucis absolvam. Inter ea primum meretur locum mons Olivarum, ad ortum urbis Zach. XIV: 4. e regione vallis *caseariorum*, quae inter duas montes *Acrae*, ad septentrionem, et *Tsionis* ad austrum, sese ab occidente porrigebat ad orientem; *vallis montium*, propterea dicta Zach. XIV: 5. Habuit tres colles iste mons, seu culmina, unum ad austrum, nomine *offensionis* insigniri solitum, ob altaria idolis ibi erecta a Salomone, 2 Reg. XXIII: 13. ubi propterea mons המשחית *destructionis* loco המשחה *unctionis*, seu olivarum, adpellatur, nomine mutato, et in malum flexo, pro more Hebraeorum; venit autem eo nomine in specie idololatria; uti Jud. II: 19. 2 Chron. XXVII: 2. et alibi: alterum ad septentrionem, omnium altissimum, tribus stadiis, teste Maundrello, remotum a loco adscensionis Christi; qui tertius est ejus montis collis in medio. Abest autem mons Oliveti Hierosolymis iter Sabbati Act. I: 12. Joseph. saepe ejus mentionem fecit, ἐλαιῶν ὄρος *olivarum montem* vocans, et Cotovicus in Itiner. optime, ex recentioribus, eum descripsit. Inter hunc montem et urbem, jacet vallis קדרון Kedron, tempore hyberno *torrens* trium passuum, ab una ripa ad aliam, sed aestivo *vallis*; *nomen tulit* non a *cedris*, quae hic nullae fuerunt, sed olaeae, uti multi putant, voce κέδρων Gr. decepti, nec a tenebris, et obscuritate vallis, per altissimos montes, uti Cl. Relando videtur, vox enim non *atrum* denotat colorem, sed in genere squalorem et sordes, dicitque in origine sordidum, turbidum, ac inmundum, forte ergo ab aquis, coeno et fimo turbidis; uti Ligtfot. hor. Hebr. ad Joh. jam conjicit. Denique in eo monte fuit hortus *Gethsemane* dictus, et in historia Christi celebratus, quasi dicas *torcular olei*, Chald. גת שמנא.

§. DXX. In australi urbis parte, versus ortum, fuit pulcherrima, simul famosa, illa vallis *Hinnom*, vel filiorum Hinnom, per quam tetendit limes australis Benjaminis, Jos. XVIII. et septentrionalis Judae ib. XV. sic dicta a posteris Hinnom, qui ibi habitarunt, ubi, idololatria Phoenicum et Ammonitarum

tarum introducta, igni consecrarunt suos filios Judaei sub Achazo, et deinceps, unde nomen תפת *Tophet* tulit. 2 Reg. XVIII: 10. seu *abominationis*, quae *sputatur*, seu despicitur: quam potestatem praefert rad. apud Arab. Quem locum Josias reddidit inpurum, et Jer. XIX. *vallem occisionis* adpellandum esse praenunciavit, ob multiplicem populi caedem suo tempore ibi futuram. Nisi potius locum quis velit תופת *Tophet* adpellatum, ab ipsis idololatris, partim quod consummatae fuerit pulchritudinis, qualis, teste Hieronymo, fuit, partim quod infantes in eo fuerint Molecho consecrati, seu consummati per ignem, et quasi *cocti* in ejus cibum; ut sit a rad. יפה et אפה proprie *complevit*, consummavit: quod robur accipit ex epitheto *vallis occisionis*, superiori, tanquam opposito et contumelioso, substituto Jer. VII et XIX. De quo egi ad Jer. VII: 31.

§. DXXI. Fuerunt quidem plures *fontes*, ut et de iis aliquid dicam, in tractu Hierosolymitano, teste Jos. B. J. VI: 11. sic et Neh. II: 30. memoratur *fons draconis* in tractu occiduo urbis, *Rogel* Jos. XV: 7. 2 Sam. XVII: 17. ad ortum Hierosolymae, fons *Apostolorum* dictus in Itinerariis, ut alios mittam, sed prae reliquis memorabilis fuit fons *Siloam*, *perennis aquae* dictus Tacit. Hist. V., e regione arcis Davidicae, ad exitum vallis *casceariorum*, ut ex Jos. patet, qui omnibus fere civibus aquam suppeditabat in urbe. Ductae autem inde fuerunt aquae, per aquaeductus, in duas piscinas, *superiorem* et *inferiorem* Jes. VII: 1. *Superior* alias Salomonis, etiam *vetus* adpellata Jes. XXII: 11. fuit in limite australi occiduo Tsionis, ubi flecti incipit versus orientem. Vid. Vitringa ad Jes. VII: 3. et de Templo Ezech. p. I. cap. 4. *Inferior* vero magis spectavit ad septentrionem, in eorum usum, qui civitatem inferiorem Acram inhabitabant, adpellatur *piscina siloam* Joh. IX. Vid. Vitringa l. c. Nomen vero ipse fons tulit ab hisce emissionibus aquarum in piscinas: שלח enim denotat *missum*, et alterum nomen *Gihon* 1 Reg. I: 45. 2 Chron. XXXIII: 14. eodem fere tendit. De quo supra jam monui

in historia unctionis Salomonis, hic factae, in signum verae successionis domus et regni Davidis in Salomone. Solet enim hic fons pro emblemate perennis successionis domus, et regni, Davidis haberi, uti Jes. VIII: 6. Ad hunc etiam fontem adluditur Zach. XIII: 1. ubi *fons* promittitur *scaturiens domui Davidis*, et *incolis Hierosolymae*, *ad expiationem* et *lustrationem*, uti voces vertendae sunt. Mentio enim fit *domus Davidis*, adeoque Tsionis, et *incolarum* Hierosolymae, seu Acrae, duarum partium urbis, expressa, et eo etiam tendit usus fontis scaturientis ad sordes abluendas, prope enim erat *aggestus agri fullonis* Jes. VII: 4. De quo uberius egi in comment. ad Zachar.

§. DXXII. Hierosolyma, quam aliquatenus descripsi, vero suo conspectu, ut eum verbo luci exponam, fuit a tempore Davidis, et in primis Salomonis, sicut pulcherrima, *excellenter aedificata*, et *uniter coagmentata* urbs, Ps. CXXII. situ suo inter montes, et muris firmiter munita, Ps. CXXV. ita totius regni metropolis, et religionis unica sedes, eoque nomine Deo, supremo regi, dicata, et in ejus peculiari tutela, domus Davidicae, tanquam regiae, sedes propria, ubi *sedebant throni judicii*, *throni domus Davidis* Ps. CXXII. et totius populi, Israelis et Judae, communis patria, cujus cives erant omnes, et quam tribus per singulos annos frequentare solebant, aut debebant; adeoque centrum et vinculum unionis civitatis ac Ecclesiae, ejusque columen: qua salva, utraque stabat ac florebat, cujus nomine quoque universus comprehendi solet populus: ad quam in precibus et votis oculos animosque vertebat, et unde salus ac felicitas, seu benedictio Dei, exspectabatur: sicut Salomo in precibus Templi dedicatoriis fuse exsecutus est, et Deus etiam solenniter promisit. Quae omnia, tanquam ex Script. S. nota, verbo tetigisse suffecerit. De conspectu ejus spirituali, et mystico, relate ad Ecclesiam Christianam, hic non est agendi locus.

§. DXXIII. Persequamur nunc historiam Davidis. Philistaei, qui, quam diu bellum inter duas domos regias duravit, quieverunt,

erunt, belli eventum, totius populi ruinam secum tracturum, ɪspectantes, cum Davidem universi populi regem factum, simul munitissimam arcem, Jebusaeis superatis, occupasse, et firmasse, indies quoque potentiorem fieri, vidissent, errorem ıum, quod tam diu siluissent, reparaturi, diutius non esse uiescendum rati, moverunt versus Hierosolymam, castris in alle *Rephaim*, prope urbem, ad austrum et occasum longe ıteque protensa, sese versus Bethlehemum et Eleuteropolin orrigente, antea a Rephaitis, pro gigantibus habitis, possessa, e quo vid. Vitringa ad Jes. XVII. positis, ac in ea *disperis* ac *solutis*, ita ut sine ordine discursaverint, ac grassati nt: quam potestatem adfert verbum נטש, proprietate ejus ı *solvendo* sita; unde Hierosolymam *adscendisse* dicuntur: uando David, *arce* relicta, ne a Philistaeis includeretur, in.e in eandem vallem *descendisse* traditur, ut Philistaeos adgreleretur. Ex quo itaque liquet, ultimas voces, vers. 17. *ad rcem*, non cum proxime praeced., seu *descensu* Davidis, sed emotioribus, seu Philistaeorum *adscensu*, construendas esse, ive loco motae sint, sive voces, *et audivit David, et descendit* ıfertae censeantur, ut, ubi tunc erat David, exponeretur. Jtique cum *descensu* Davidis connecti nequeunt, quia nec hrasis patitur, nec alia *arx* ac Tsion, quam David reliquit, sse potest. Interea Philistaei, cum Davide pugnaturi, antea n *valle* soluti, nunc se juxta montem, vel in eo, *collegerunt*; uare David eo *adscendisse* legitur, eos adgressurus. Quod raculo Dei accepto, et ope ejus fretus, tanto cum successu ecit, ut eos plenissime fregerit, et prostraverit, idolis etiam orum igni combustis: illud enim verbum נשא *adtollere* v. 21. enotat, ita ut sit *vastare* per incendium, quo in fumum omnia adscendunt et intereunt, Conf. 1 Chron. XIV: 12. Chald. uoque reddidit, *combussit*. In cujus memorabilis victoriae nemoriam locus pugnae nomen accepit *Baal-peratsim*; *quia Jehova disruperat hostes, instar eruptionis aquarum*, 2 Sam. V: 20. et 1 Chron. XIV: 11. quatenus scilicet Deus, instar mbris, vel fluvii exundantis, ac repagula perrumpentis, hostes

 disruperat,

sensum hic habere debet verbum שמטו v. 6. Quo casu Uza, ad latus arcae ambulans, manum in eam *temere* et *irreverenter* nimis injecit, ad eam retinendam. Vox enim השל vers. 7., ubi Uza percussus legitur propter השל, non est a שלה, nec *errorem* simpliciter, ut putatur, denotat, sed a שלל, et temeritatem quandam, ac praecipitantiam continet, imo radix manum *stringere*, et inmittere temere, ambitu suo complectitur; proprietas est in *extrahendo*, stringendo manum vel ensem. Ita recte convenit loco parallelo 1 Chron. ubi occisus dicitur, *quod manum in arcam inmiserit*. Commissum autem ejus non in eo tantum fuit situm, quod arcam *tetigerit*, id quod ipsis Kahatitis, quorum erat eam portare, multo magis reliquis Levitis, illicitum erat, sed et quod irreverenter ac temere id fecerit, ut modo notavi. Ceterum severius illud nunc punitum est, quod lex de *portanda*, et non vehenda, arca, Num. VII. fuerit violata; sicut David postea, sed nimis sero, agnovit 1 Chron. XV: 3, 13, 15. ut populus eo exemplo admoneretur, arcam et legem reverentius esse habendam.

§. DXXVII. *Benedictio* domus Obed-edomi, ubi arca versabatur, ut *alteram* deductionis periodum aliqua luce perfundam, ex ejus praesentia orta, partim *negans*, quatenus nihil mali peperit arca ibi reposita, opposite ad casum Uzae, et metum Davidis, inde conceptum, partim *adfirmans*, sive domus ejus, antea sterilis, nunc facta fuerit foecunda, 1 Chron. XXVI: 5. sive opes undiquaque et copiose adfluxerint, ut Jos. Ant. VII. observavit, sive aliud etiam divini favoris signum comprehenderit, *benedictio*, inquam, illa, publice nota facta, et ad Davidem relata, sicut animum Davidis, superiore casu Uzae adflictum, et graviter percussum (id enim, et nihil aliud indicatur, ubi v. 7. *ira Davidis accensa* dicitur, quatenus vehementer fuit commotus, forte et sibi, ac aliis *iratus*, quod sua inprudentia occasionem praebuissent;) erexit, ita certiorem eum fecit de adprobatione Dei, qua consilium ejus de sede arcae, et religionis figenda Hierosolymis, sibi placere testatus est, sed eum simul admonuit, casum fatalem Uzae eo tendere,

tendere, ut in arca tranſportanda adcuratius, et legi convenientius, ageret; quod etiam nunc fecit: ut ex 1 Chron. XV. elucefcit.

§. DXXVIII. Quoad *modum*, quo arcae tranſportatio facta eſt, animadverſionem in primis meretur 1. quod *ſacrificia* legantur oblata, cum *ſex* tantum paſſibus proceſſiſſent Levitae arcam portantes, verſ. 13. Quod mihi factum videtur *ſemel tantum*, in initio itineris, et non, ut putatur, continuo, et poſt ſingulos *ſenos* paſſus, de quo hiſtoria nihil habet, quodque multis premitur difficultatibus, cum ſic ſacrificia inmenſum fuiſſent multiplicata, et iter longius protractum. Semel autem id videtur factum in ſignum laeti ac grati animi, quia favorem et auxilium Dei in arca portanda, cum ſex tantum feciſſent paſſus, jam ſingulari modo experti erant Levitae, ſive quod ſine damno, ſecus ac antea, proceſſerint, ſive etiam ſingulari robore, fiducia ac laetitia fuerint adfecti. Utique hanc veram fuiſſe rationem oblati ſacrificii ex 1 Chron. XV: 26. manifeſtum eſt; Deus enim Levitas bajulatores *adjuviſſe*, et propterea fuiſſe *ſacrificia* oblata, traditur. 2. Singulare eſt quod ipſe David, regio exuto amictu, *lineum* non tantum induerit, ſed *tenuiſſimum*, et quodammodo *pellucidum*. Talem enim fuiſſe vel inde liquet, quod anſam Davidi levitatem et nuditatem inputandi praebere potuerit Michali, uxori Davidis, ſed *byſſinus* amictus diſerte quoque adpellatur in libro Chron. eſt vero *byſſus* genus tenuiſſimi lini; uti notum eſt. Quo etiam referri poteſt verbum גלה *nudare*, quo utitur Michal v. 20. ejus enim derivatum גליונים Jeſ. III: 23. exprimit veſtes pellucidas διαφανῆς, corpus nudantes potius quam tegentes. Quae ipſa ratio eſt, quare *coram ancillis* ſervorum ſuorum Davidem ſe denudaſſe dixerit. Innocuum, populare ac pium, Davidis factum, quo, ſacro ſumto amictu, canticis ac ſaltationibus, devotum animum, et laetitiam in Jehova demonſtraverat, cum Michal in ſiniſtram raperet partem, acſi, non infra tantum Majeſtatem regiam, ſed et inhoneſte, ac inpudice ſeſe geſſiſſet, adeoque pudicitiam ſuam in dubium vocandi

ansam praebuisset, sese quasi *coram ancillis servorum suorum* nudando, insuper choris virginum et mulierum adsociando, et ita saltando ac cantando (dicitur enim מפזז מכרכר *levem sese fecisse, ac choreas duxisse*, v. 16. h. e. agiliter et expedite in orbem saltasse. Radix פזז a *levitate* transiit ad *agilitatem*, et כרכר non simpliciter *saltandi*, sed choreas ducendi praefert significatum, a rad. כור vel כרר *in gyrum ivit*) David graviter quidem et serio, at modeste, factum suum ab omni prava liberavit suspicione, dum *coram Jehova* se nudasse et saltasse dixit, adeoque ex pio et Deo devoto animo, simul in signum grati animi, addens etiam, se adhuc *humiliorem* sese gessurum esse, et in eo *gloriam* quoque suam collocare, quod sese vel vilioris conditionis hominibus, in re religionis ac sacro cultu, aequet. Habendum itaque illud est pro illustri pietatis specimine.

§. DXXIX. Arcam, in Tsionem ea ratione translatam, cum David non in Mosis, sed suo tabernaculo, reposuerit, adeo ut duo diversa cultus publici loca inde orta sint, alter in Tabernaculo Mosis, quod hoc tempore in excelso Gibeonis fuit, et diu mansit 1 Chron. XVI. alter coram arca in monte Tsionis, novo etiam a Davide exstructo Tentorio; ejus rei alia mihi non succurrit ratio, ac quod jam tunc *Templum* aedificare animo destinaverit, sicut etiam haud diu post aperuit Nathani prophetae. Relinquere itaque maluit in loco suo Tabernaculum, quam illud deinceps removere. Quod eo magis ipsi licuit, quia praecipuum cultus instrumentum erat *arca*, quae quoque jam diu habuerat separatam sedem. Sed notatu adhuc dignum est, quod David, omnibus his rebus, ad arcam pertinentibus, peractis, se *domum* contulisse dicatur, ut *ei benediceret*, vers. 20. Praeterquam quod ad benedictionem Obededomi per arcam, vers. 11, 12. respexerit, adeoque sibi, et domui quoque suae, quaevis fausta ex arcae praesentia promiserit, et adprecatus sit, hac voce una involvi putem *aulae*, recenter aedificatae, solennem dedicationem; circumstantiis temporis plane faventibus: Vid. c. V: 11. VII: 1, 2. Ipsam prolis multiplica-

[redacted]

multiplicationem quoque comprehendi, vel ex eo firmatur, quod ea mox subjungatur 1 Chron. XIV. et Michalis sterilitas in poenam superbiae ejus mox adnectatur. Indicatur enim eo ipso *benedictionem* Davidis effectu non caruisse, nisi in sola Michale propter peccatum ejus. Sicut enim temerarie de innocuo et pio Davidis facto judicavit, et malitiose illud fuerit interpretata, ita animum exposuit superbum, invidiosum, vero quoque in Davidem, Dominum ac maritum suum, adfectu orbum, simul a pietate, quae ad submissionem ducit, alieniorem.

§. DXXX. Sede regni fixa Hierosolymis, regia aedificata et dedicata, denique arca in regni Metropolin translata, adeoque locus religiosi cultus pro universo populo definito, animum adplicuit David ad celsiorem et ampliorem aedem Jehovae exstruendam, tempus quippe ratus advenisse opportunum, quo illud et commode poterat, et debebat fieri. Sed, revelatione divina per Nathanem admonitus, cessavit quidem ab opere, sed luculento stabilitatis domus suae, et regni in posteritate, usque ad Messiam, ex ipso oriturum, continuaturi, denique Templi a Filio suo aedificandi, promisso, erectus est et honoratus. Quod cum gratissimi animi testificatione coram Jehova accepit, et pro inplemento preces fudit. Quae summa est narrationis, 2 Sam. VII. comprehensae. Quam uno alterove tantum illustrabo observato, ad scopum nunc tantum pertinente. Consilium Davidis de Templo aedificando sicut *pium* erat, e studio verae religionis tuendae ac ornandae profectum, ita *prudenter*, tempestive ac legitime, ut videbatur, captum, adeoque omni parte laudabile, sive *rei* ipsius, sive circumstantiarum *loci* et *temporis* habeatur ratio. Quare a Nathane, prudente consiliario, simul prophetico munere insigni, adprobatum mox fuit. Quod enim 1. ad *rem* ipsam adtinet, Tabernaculum cum Templo commutari, voluntati Dei erat consentaneum, quia illis tantum erat adcommodatum temporibus, quibus populus erat variis vicissitudinibus obnoxius, et sedes cultus mutari debet, et ab uno in alium saepe locum transferri. Accedit,

Deum per Mosen declarasse, *Templum* aliquando construendum esse, Deut. XII. 2. Circumstantiae *loci* et *temporis* quoque favere videbantur. Hierosolyma utique jam erat non tantum regni, sed et religionis, fixa sedes, per arcam, eo, Deo adprobante, translatam; ita ut hunc locum ipse Jehova censeri potuerit elegisse, sicut se promiserat facturum. Deut. XII. *Tempus* quoque pacis, quietis et securitatis, quale in lege, Deut. XII. definitum erat, simul huic rei unice aptum, jam adluxisse, judicare poterat David: quia tuta jam erat, satis munita, et a periculo libera sedes regni, Deus etiam *quietem* ab hostibus *omnibus* circumquaque concesserat, ut v. 1. expresse, et hanc ipsam ob rationem adnotatur. Adcessit, incongruum visum ipsi fuisse, regnum habere fixam sedem, regem quoque splendidum et regium palatium, solam eo carere arcam. Quae ratio, tanquam quae Davidem moverat, etiam expresse memoratur.

§. DXXXI. Adprobavit ejus propositum non tantum Nathan, sed et ipse Deus, quippe qui exsecutionem tantum differri, et aptiore ac meliore tempore a Filio ejus id fieri voluit, luculento etiam addito, de perpetuitate domus ac regni Davidici, promisso. *Prima* enim pars declarationis Dei per Nathanem, partim laudat propositum Davidis, partim ejus differt exsecutionem, utriusque additis rationibus, v. 5—7. Verba Dei, *an tu mihi aedificabis domum in stabilem habitationem meam?* per formam interrogationis proposita, duplice pollent emphasi, una *laudantis*, altera *negantis*, adeo ut Davidem cum ejus laude ab hoc opere excuset. Laudationis intellectum praebet interrogatio, de admiratione quid trahens, acsi haberetur: tune tantò cultus mei studio flagras, ut, quod hucusque nemini in mentem venit, ego a nemine requisivi, et sine mea offensione omitti potest, mihi praestare velis? quae haec tanti zeli, et adfectus tui demonstratio? Hac ratione eo tendent reliqua, quibus Deus dicti rationem pandit, ut propositum Davidis extollatur, tanquam ardentis pietatis signum et effectum, quatenus Deus a nemine illud postulaverat, et nemo

ne illud in animum induxerat. Sed praefert etiam *negandi*, vel excufandi exfecutionem propofiti poteftatem; ita ut *an tu idem fit*, ac *non tu*; uti in loco parallelo 1 Chron. XVII. habetur. Quae poteftas cum fuperiore bene cohaeret, dum negationem cum laudatione propofiti copulet: nec Deus hic abfolute reprobat exfecutionem, verum differt tantum ad aliud tempus. Cujus dilationis *duae* dantur rationes, *una* negans, *altera* adfirmans. *Prior* habet nullam adeffe rationem, quae aedificationem Templi requirit, tanquam neceffariam, cum Deus ad hoc ufque tempus fine Templo fuerit, et a nemine illud requifiverit. *Pofterior* tradit, Templum praefentis temporis conditioni, a praeterito tempore haud multum abhorrenti, cui Tabernaculum rectius ac Templum conveniebat, non effe congruum. Ubi enim Deus dicit, fe ab exitu populi ex AEgypto ad hoc ufque tempus Tabernaculum inhabitaffe, feu, ut textus habet, v. 6. *ambulaffe in tentorio et tabernaculo*, fcilicet inftar regis fupremi, quaqua verfum, ubi opus fuerit, praefentia fua fefe moventis, non tantum indicat, illud tempus fedem Dei non fixam, fed ambulatoriam exegiffe, fed et hoc ipfum tempus, cui Tabernaculum convenit, nondum finitum effe, quin duraturum adhuc aliquandiu. Licet enim in regno effet ftabilitus David, nec ab hoftibus multum haberet metuendum, ftabili tamen et perfecta non gauderet quiete, fed identidem inpeteretur, ac novis inplicaretur bellis. Quae ipfa ratio eft, quare Templi aedificationem dilatam voluit Deus, hic tantum tacite infinuata, poftea, cum David, nova excitatus occafione, manum operi denuo admovere tentaret, expreffe prolata, ad eum dehortandum, ut ex 1 Chron. XXII et XXVIII. elucefcit. Verbum enim Jehovae, iftis in locis memoratum, non hoc tempore, ut putatur, fed poftea eft ad ipfum delatum; ut ex hujus et illorum collatione facile colligitur.

§. DXXXII. *Secunda* pars oraculi divini, v. 8—11. fcopum electionis Davidis in ducem Ifraelis exponit, ut fcilicet populum in eo pacis et profperitatis ftatu collocaret, cui Tem-

plum conveniebat, adeoque Davidem eo esse destinatum, non ut ipse Templum erigat, sed omnia ad id praeparet, et res eo adducat, ut aedificari queat. Verba itaque a vers. 9 *no* pro futuro tempore, cujus formam etiam habent, sumenda sunt, et eo, quo dixi, tendunt. *Tertia* pars, vers. 12—17. directum continet promissum Templi a filio Davidis aedificandi, nec non perpetuitatis domus ac regni ejus. Quod luculentum et singulare promissum, ut illud verbo tantum subjungam, cum ad scopum nostrum nunc non faciat, primo et directo sensu ad Salomonem, ejusque posteros, referendum est, quo declaratur, eos non esse regno privandos, quam diu paterne castigari queant, adeoque legem Dei non proterve et obstinate proculcarint, omnesque castigationes paternas reddiderint inutiles. Connectitur utique *seminis suscitatio* inmediate cum *morte Davidis*, v. 12. aedificatio domus Jehovae, seu Templi, ei tribuitur v. 13. soli Salomoni et posteris ejus competit ea castigatio, si perverse egerint, v. 14. ut et comparatio cum Saulo v. 15. Denique quod rem conficit, promissum Salomoni directe adplicatur, 1 Reg. IX. et 1 Chron. XXII et XXVIII. nec aliquid habet ab eo alienum: *mystico* vero, et typico sensu promittitur quoque Messias, e lumbis Davidis oriturus, qui verum et spirituale conderet Templum, et regnum teneret pacificum, ac prosperum in perpetuum: quo admisso, phrases majorem nanciscuntur emphasin, in primis v. 14. *ego ero ipsi Pater, et ipse mihi filius.*

§. DXXXIII. Cui hypothesi robur addit promissum *domui* Davidis in genere factum, quod promisso, ad Salomonem ejusque posteritatem pertinenti, subjungitur, et in solo Messia complementum accepit vera sua emphasi, vers. 16. *et firma erit domus tua et regnum tuum in seculum coram me*, (pro לפניך *coram te* enim omnino leg. לפני *coram me*, uti LXX et Syr. habent, et ipse David in sequente sermone, v. 26 et 29. huc respiciens, *bis* habet *coram Te*, Deum adlocutus; hodierna lectio partim nata est ex seq. voce, quae cum littera כ incipit, in qua haec desinit, partim ex superiore מלפניך)

thronus

thronus tuus erit stabilis in aeternum. Peculiare hic ei datur promissum, ad domum ejus in genere pertinens, praeter superius ad Salomonem solum, ejusque posteritatem, spectans: uti vel ex eo liquet, quod verba haec ceteroquin forent superflua, cum simile quid jam modo de filii Davidis, qui Templum aedificaret, sobole, ac regno dictum erat. Praeterea cum castigationibus Salomonis, ejusque posterorum, si exorbitarent, connectitur, et iis subjungitur: argumento, Davidi hic aliquid promitti, quod ipsi, si vel Salomonis posteritas regno privaretur, concederetur. De quo clarius constabit, si reticentia sermonis, ex superioribus repetenda, advertatur. Cum Deus dicit, se transgressiones Salomonis, et posterorum ejus, *paterne* castigaturum esse, absque ut regnum in illis cessare faciat, tacite significatur, tales esse debere transgressiones, ut paterna relatio ac castigatio locum tenere queat, adeoque si incorrigibiles et profligate fuerint perversi, regnum esse in posteritate Salomonis delendum, haud obscure indicatur. Hoc vero si contingat, uti factum esse eventus docuit, Deus hoc versu 16*to* declarat, *domum* tamen Davidis, et regnum in ea non esse interiturum, sed partim externe in aliis instaurandum, partim in Messia, e Davide oriundo, renovandum spiritualiter. Et hoc in primis promissum est, quod in gratiarum actione et precatione, quae mox sequitur, intendit, et extollit: ipse quoque in ultimis verbis 2 Sam. XXIII. celebrat, denique Ps. LXXXIX. pro fundamento supplicationis tempore calamitatis ultimae, circa exilium Babylonicum, ponitur, et praecipuum inplementum in Messia habuit. Ceterum hinc quoque lucem mutuatur, ut id obiter observem, quod Christus licet per Josephum, patrem tantum putatitium, e Salomone fuerit, Matth. I., vere tamen per matrem Mariam, cujus, et non Josephi, erat filius, e Nathane, fratre Salomonis, genus duxerit, Luc. III. Cujus genealogia, ad Mariam omnino referenda, magis ad rem, quam illa Matthaei facit.

§. DXXXIV. Hoc oraculo Davidi per Nathanem notificato, ipse coram arca *consistens* (id enim verbum *sedere* v. 18.

denotat, non proprie *sedere*, quippe qui habitus a rege coram Deo in ejus aede, etiam a precante, alienus erat, sed manere, et in precibus, ac meditationibus piis moras trahere) oratione ad Jehovam versa, indignitatem suam professus est, et bonitatem Dei admirandus agnovit, praeterea, partim beneficia, a Deo in se et Israelem collata, gratus celebravit, partim dictorum inplementum inploravit, et fidem suam in promissa declaravit, v. 18.—fin. Quae notabilis est pericopa, digna quidem, quae hic illic illustretur, sed uno defungar observato circa phrasin v. 19. *et hoc* תורת האדם *locutus es in longinquum de servo tuo*, minus recte intellectam. Verti debet, ut opinor, *et hoc in ordine hominis*, et hac ratione capi, ut promissi magnitudo extollatur, *et hoc* (quod dixisti de domo mea in longum) *in ordine hominis*, qui tot obnoxius est vicissitudinibus, ac brevi solet interire. *Ordo hominis* est continua illa mortalium successio et vicissitudo, quae vetat spes inchoare longas, aut de longa posteritate, multo minus de excellentia ejus diuturna et stabili, multum praesumere. In hac tanta hominum instabilitate, et sortis vicissitudine, certum accipere promissum de aeternitate, vel perpetuitate, familiae ac regni, pro summo haberi debet favore, qui homini in hac vita obtingere potest. Voc. תורת est foemin. a תור, quae in loco parallelo 1 Chron. XVII. occurrit, dicitque proprie seriem orbicularem, circulum, ordinem in rotundum euntem; adeoque *ordo hominis* designat conditionem, et sortem, hominum in orbem euntem, ut nunc huic, nunc illi contingat, nec ulla familia fruatur stabili et perpetua prosperitate ac gloria. In hac autem orbiculari hominum felicitate domum habere perpetuo florentem, et regnum in ea aeternum, summus erat felicitatis gradus, quem hic extollit. In voce תורת addi debet ב, ut pleni sit בתורת, et nomen אדם *Adam* pro homine studio est positum, ut fragilitas hominis, et mortalium instabilitas exprimeretur. Locus vero parallelus 1 Chron. XVII: 27. habet, ut verti debet, et exponi: *et vidisti mihi* (prospexisti, procurasti; hunc enim sensum praefert ראה *videre*, et adf.

adf. לי denotat *mihi*) *fecundum ordinem hominis adfcenfionem*, feu fummam, exfuperantem, longum exceffum. Verbum עלה proprie dicit *exfuperavit*, *excrevit*, et de fluvio fupra ripas intumefcente ufurpatur. Senfus eft, Deum, per fingulare de perpetua et ftabili fucceffione familiae in regno promiffum, Davidi profpexiffe tale quid eximium et fublime, quod orbicularem hominum viciffitudinem, et fucceffionem, quae continuo mutatur, a domo ad domum tranfiens, longe fuperat, et excedit.

§. DXXXV. Sequitur nunc hiftoria ampliati dominii Davidis inter populos vicinos in circuitu, quos fubjugavit et tributarios fecit, Philiftaeos, Moabitas, Syros Tfobaeos, et Damafcenos, Idumaeos, denique Ammonitas, cap. VIII—XII. Bella Davidis cum Philiftaeis, Moabitis, Syris et Idumaeis, breviter perftringuntur cap. VIII. eo, ut videtur, fcopo, ut qua ratione, inperio Davidis late extenfo, via ad regnum Salomonis pacatum, cui Templi aedificatio erat adligata, fuerit ftrata, intelligeretur. Hoftilibus enim populis vicinis nondum penitus fubactis, de pacifico regni ftatu fecurus effe non poterat Rex Ifraelis, tefte vel fola fuperiorum temporum experientia. Regnum quidem a Philiftaeorum oppugnationibus vindicaverat David, et in eum redegerat ftatum, ut ab hoftilibus populis non adeo multum habuerit metuendum, gaudebat etiam tranquillo ad tempus ftatu regni, populis vicinis quiefcentibus, uti cap. VIII: 1. habetur, quare ad Templum aedificandum adjecerat animum; fed Deus, plura inftare bella, ad eos plane debellandos, ftabilemque quietem confequendam, ipfi fignificavit; quod etiam ante fieri voluit, quam Templum exftrueretur. Qua vero ratione illud exfecutus fit David, hoc et feq. cap. enarrat Hiftoricus. Ex quo fimul elucefcit, ut opinor, haec bella, loco plane fuo, poft promiffum de regno ftabili, et in domo fua continuaturo, narrari. Quo etiam facit, quod c. VIII: 1. habeatur, *et poftea factum eft*, nec non fpolia tradantur collecta in ufum Templi, verf. 7. argumento, oraculum de Templo, a filio ejus

 aedificando,

aedificando, praecessisse. Nec tamen tempus, quo bella gesta sunt, praecise determinari potest; tantum ante Salomonem natum aliquandiu ea contigisse, sequens manifestum facit historia.

§. DXXXVI. *Primum* ipsi bellum fuit cum Philistaeis, quos plane prostravit, et sibi submisit, quam utramque potestatem continet verbum הכניע, quod proprie dicit, *retusus exaruit cum corrugatione*, et exponi solet per *contractis alis digitisve debilitari*. Praeterea iis eripuit, et in perpetuam suam possessionem redegit *Gathum*, et universam ejus ditionem, 1 Chron. XVIII: 1. sed quare hoc loco nostro מתג האמה *Meteg haamma* adpellatur, mihi non constat, nec scio sitne lectio sana, cum Veteres aliter, atque aliter, legerint: quod tanti non est. Conjici posset nomen גת, quod proprium est urbis nomen, fuisse in מתג mutatum, vel per lectionem a sinistra ad dextram, vel, ut hanc urbem a Davide possessam, instar fraeni fuisse, quo coerceri et intra limites suos retineri potuerint, indicaretur. Altera vox אמה *metropolin*, sicut Gath *regia* adpellatur *urbs* 1 Sam. XXVII. designare potest, quod jam est occupatum. Ceterum cum bellum jam in principio regni Davidis fuerit a Philistaeis susceptum, ad ipsum de throno deturbandum, deinceps interruptum quidem, nec tamen per pacem initam finitum, perinde est, ad justitiam belli a parte Davidis defendendam, sitne David eos adgressus, ac denuo illi sese contra eum moverint. De quo silet historia.

§. DXXXVII. *Secundum* fuit cum *Moabitis*, ad orientalem Cananaeae partem trans Jordanem, vicinis quoque et antiquis Judaeorum hostibus, quos superatos severius tractavit, simul addictiori subjecit servituti. Ad *prius* pertinet, quod in praelio captos fecerit in terram procumbere, eosque, ita jacentes, dimensus fuerit *duobus* funiculis, uno ad necem, altero, sed longiore, ad vitae conservationem. De quo ut sanum feratur judicium, 1. notari velim, Moabitas in universum omnes non ita fuisse tractatos, sed solos in bello ac praelio captivos factos. Praeterquam enim, quod alias illud nimium ab omni justitia

tia et aequitate abhorruiſſet, illud mox adnectitur praelio cum iis habito, et pro exempli poſitione habendum eſt. 2. Nec ſenſus eſt, ut putatur, *duas* partes fuiſſe ad necem menſuratas, *unam* ad vitam, ſed *duobus* tantum uſum eſſe Davidem funiculis, uno ad necem, altero ad vitam, et hoc laxiore ac pleniore: ſicut recte in verſione ſua expreſſit Vulgatus interpres antiquus. Sermo itaque habendus eſt defectuoſus, et in priore membro mente addi debet *uno*; ut plene ſit, *menſus eſt duobus funibus, uno ad necem, et pleno fune ad vitam.* Quod ſi voluiſſet hiſtoricus, *duos funes* pro nece, unum pro vita, dixiſſet, et *uno* ad vitam: nunc cum dicit, *pleno* fune ad vitam, haud obſcure indicat, *unum* fuiſſe ad caedem, hunc vero alterum majorem et plures complexum homines. Singularis hic modus, quod 3. notandum, proprie quidem intelligendus, et non figurate aut proverbialiter, aut de *terrae* menſuratione, in ſignum poſſeſſionis terrae, homines enim in terram fecit procumbere, eo tamen videtur adhibitus ſcopo, ut in eo plenaria Moabitarum omnium conſpiceretur ſubjectio, ſimul terrae ipſorum poſſeſſio a Davide ſibi vindicata, ſunt itaque duriter, ſimul contemtim, inſtar mancipiorum, tractati. Quo reſpicitur, quod Pſ. LX. Moab dicatur *olla lotionis Davidis factus.* De quo in Comm. ad Pſ. egi. Ceterum quid Davidem, ad hoc bellum, et duriorem Moabitarum tractationem, moverit, ſilet hiſtoria, ac nec niſi conjectura, probabili tamen, explicari poteſt. Probabile mihi fit, populos vicinos, ab antiquo hoſtiles, ſeſe undequaque incepiſſe movere contra Davidem, ut vim regni ejus, quae indies fiebat major, et metum vicinis incutiebat, frangerent. Fieri quoque potuit, ut Moabitae terras aliquas Transjordanicas tempore Sauli, cum a priſtina virtute degeneraſſet, eripuerint Iſraelitis, quas David vindicare inſtituit. Quod ex Pſ. LX: 8, 9. aliquid roboris acquirere poteſt. Quicquid ſit, culpam belli penes Moabitas fuiſſe, ex eo non tantum praeſumitur, quod David, juſti et aequi ſtudioſus, eos ceteroquin non fuiſſet adortus, utique tam duriter et contemtim cum iis non egiſſet, ſed

et ex eo firmatur, quod Ammonitas, bene erga ipsum affectos, reliquerit intactos: ut ex c. X: 2. patet.

§. DXXXVIII. *Tertium* gessit bellum cum Syris Tsobaeis, indeque ortum *quartum* cum Syris Damascenis. Quorum notitiam postea suo loco dabo. Hic notasse suffecerit, Tsobaeos tractum tenuisse ab Euphrate usque ad terram Cananaeam, ac Damascenam, Syriam autem Damascenam fuisse ad montes Libanum et Antilibanum. De causa belli cum Tsobaeis non constat. Docere quidem aliquid possent ultima verba vers. 3. *cum ivisset ad vertendam manum suam ad fluvium Euphratem*, si pro certo definiri posset, num ea de Davide an Hadarezero capienda essent, cum de utroque possint, praeterea sensus quoque non esset ambiguus, nec ipsa lectio incertior, cum 1 Chron. XVIII. pro השיב legatur הציב ad *constituendam manum suam*. Probabile mihi fit, pertinere verba ad Davidem, cui reliqua rectius conveniunt, nec verbum השיב hic esse *vertere*, sed *retrovertere*, *retundere*, relativum denique *ejus*, in phrasi *manum ejus*, respicere ad Hadarezerum; adeo ut sensus sit, Davidem ivisse ad manum Hadarezeris refringendam ad Euphratem, adeoque ad inpetum ejus, quem inde moliebatur in regnum Davidis, retundendum. Hadarezer erat primus et potentissimus illius tractus Rex, qui Syros Mesopotamenos sibi vel subjectos, vel socios habebat, quare et illi in hoc bello junguntur Ps. LX. Videtur itaque, regno ampliando intentus, copias juxta Euphratem collegisse, ut vires Davidis, quae indies crescebant, ne nimiae fierent, in tempore frangeret. Quod ipsum videtur Davidem inpulisse, ut, non exspectato inpetu ejus in regnum suum, post Moabitas jam debellatos, mox Euphratem versus moverit, ut vim et manum Syrorum retunderet, sed et simul regni eousque dilatandi occasionem, sibi pulchre oblatam, adriperet. Dominium enim Abrahamidarum eousque fore extendendum, antea erat et promissum, et praedictum, Gen. XV. Deut. I: 7. XI: 24. Jos. I: 4. Davidem, his promissis permotum, Tsobaeos invasisse, eo tantum scopo, ut limites dominii eousque porrigeret, quod nonnullis

nonnullis visum est, non dixerim, sed potius ab Hadarezare provocatum id fecisse, adeoque occasionem ipsi oblatam adripuisse. Belli utique justitia ceteroquin a parte Davidis minus fuisset conspicua, nec loca citata proprie *jussum* Dei continent, aut promissum, de haereditate terrae populo danda usque ad Euphratem, sed praedictionem tantum *dominii*, tam late aliquando extendendi. Ceterum utrumque illud, quod de causa et occasione hujus belli in medium protuli, confirmat comparatio locorum Sam. et Chron. parallelorum, quae hac ratione recte secum conciliantur. Nostro loco traditur, Davidem *ivisse ad retundendam manum Hadarezeris;* uti verbum להציב vertendum est, pertritum quoque in retro actione, cum clade et ignominia e bello: uti vel ex Lexicis notum est. Sed cum David eo ipso suam potestatem ibi stabilitam ivit, 1 Chron. dici potuit eum *ivisse*, ut *manum suam* ibi *constitueret* et firmaret, להציב ad *stationem* potentiae, et dominii ibi figendam. Tradit praeterea historicus noster, Davidem ipsi eripuisse, et sibi reservasse, 1700 *equos*, ac 20 millia *peditum*, *currus* porro, seu equos curules, (equites enim et currus hic occurrunt, pro equis qui inequitantur, et *currus* pro equis curulibus) quorum numerus non initur, enervasse omnes, exceptis 100. In loco Chron. quidem memorantur, *mille currus*, et *septem millia equorum;* sed locus iste in mendo cubat, nec cum nostro, quicquid tentarint Interpretes, conciliari ullo modo potest. Cui non inmorabor.

§. DXXXIX. Horum bellorum historia tradita, inseruit Historicus, antequam ad alia pergat, pericopam de cura sacrorum, quam gessit David, spolia populorum subactorum Deo, ad Templi aedificationem, suo tempore faciendam, consecrando. Quo scopo etiam narrat legationem regis Chamatae ad Davidem, qua ipsi victoriam de Tsobaeis reportatam gratulatur, simul pacem petit, et spolia, Tsobaeis erepta, quae illi sibi antea eripuerant, pro munere reliquit, sic enim intelligenda censeo verba 1 Chron. XVIII: 10. vertenda: *quia vir belli* (hostis) *Tsophi* (regis Chamatae) *erat Hadarezer, et con-*

tinebat sinu suo vasa aurea, argentea et *aenea*. Pertinent enim verba ad Hadarezerem, eumque cum Tsoho agere hostem, ac metalla Tsohi in potestate sua habere, significant. Utique vocum series in priore membro exigit, ut Hadarezer declaretur hostis Tsohi, et non vice versa, cum ceteroquin mancus foret sermo, et ante Hadarezerum aliquid deficeret. Alterum membrum verti nequit, ut solet, *et omnia vasa* etc., quia tunc nihil haberet, quocum cohaereat, ut recte viderunt, sed male correxerunt, Critici, comparatio quoque cum nostro historico non fert, sed unice in nostram sententiam convenit. Vocabulum itaque כל non est nomen, sed verbum, formae praeter. a radice כול proprie *continere*, et intra se in sinu convolvere, unde *mensurandi* etc. usus fluxit. Vid. Comment. noster ad Jer. et Ps. LXV: 6. Connecti debet cum Hadarezer, ut structura sermonis docet, et sensum, quem dedi, fundit. Concinit plane 1 Sam. VIII: 10. ubi habetur, *et in manu ejus* (Hadarezeris,) *erant vasa* etc. quae nunc a Davide occupata, et manibus Hadarezeris erepta, ac a Tsoho ipsi relicta, materiam laetitiae praebuerunt Tsoho. Ceterum cum inter populos subactos, quorum spolia Deo consecrata sunt, occurrant *Ammonitae*, eos per anticipationem memorari, cum postea demum devicti sint, facile adparet, sed quare *Edomi* nulla fiat mentio, cum ante Ammonitas, et hoc ipso tempore, subjugati fuerint Idumaei, mihi non liquet. Forte excidit nomen אדום *Edom* post ארם *Aram*, quod vers. 13. etiam contigit, LXX et Syr. loco Aram habent Edom; adeoque conjecturam nostram confirmant.

§. DXL. *Quintum* denique bellum cum *Idumaeis*, de quibus postea, coepit mox post Syros devictos, uti ex initio v. 13. patet, *et fecit David nomen*, (seu signum eminens, tropaeum, erexit, quod a voce שם non abhorret, uti in historia turris Babyloniae, in *signum* erigendae Gen. XI. supra suo loco habuimus,) *cum reverteretur* a *percutiendo Aramum*. Eum enim in finem haec verba sunt addita, ut de tempore, quo Edom subjugatus est, constaret. Modo haec vera lectio sit, nec loco ארם *Aram*

om leg. אדום *Edom*, uti LXX et Syr. habent. Quo ad-
sso, sensus foret, Davidem tunc nomen fecisse, cum re-
rteretur a *percussione Edomi in valle salis* etc. sed si lectio
dierna cod. Hebr. sit retinenda, oportet duae voces, per
veriores absorptae, inserantur ויך באדום *et percussit in Edo-*
etc. cum oratio recte fluit, *et fecit David nomen cum redi-*
a percutiendo Aramum, et percussit in Edomo, in valle salis,
millia. Quicquid sit, *Edomi* mentio hic abesse nequit, uti
ile cernitur, et ex 1 Chron. firmatur. Quid Davidem ad
c bellum moverit, silet historia. Quod si de hoc eodem
llo censeri posset agi 1 Reg. XI: 15. causa in caede Israeli-
um ab Idumaeis, quam vindicasset David, quaeri posset:
f illud a probabili mihi multum videtur alienum, cum hic
000 tantum, (sive, ut Ps. LX. inscriptio habet, 12000, in
o alterutro loco oportet mendum admittamus; incertum in
o; nostro loco convenit parallelus 1 Chron.) ibi omnes ma-
s dicuntur caesi, hic, bello confecto, *stationarii* milites a
avide leguntur in Idumaea positi, sed ibi tota gens omni-
s viribus privata, occisis viris militaribus omnibus, qui repe-
i poterant. Idumaei itaque hic narrantur subjecti, et a Da-
le accepisse praesidia, sed postea deficientes occiderunt sta-
narias Davidis copias, quando Joab, eo missus, exsecutus est,
od 1 Reg. XI. narratur. Manet itaque causa belli in ob-
uro; licet mihi plusquam probabile videatur, Idumaeos, anti-
os hostes et aemulos Israelis, Davidis ingravescentem poten-
m veritos, in regnum ejus inrupisse, commoda oblata occa-
one expeditionis ejus in Syros: quare cum ea finita connec-
ur victoria de Idumaeis. Utique eos fuisse aggressores, ex
. LX. quoque colligi potest. Ceterum praelium fuit habi-
m in *valle salis*, juxta mare mortuum, versus montanum
umaeae, secundum Adrichomium, non cum valle *Siddim*,
am LXX verterunt κοιλάδα ἁλυκὴν, confundenda, cum haec
aserit *mare mortuum.*

§. DXLI. Vicinis populis hostilibus quaquaversum subactis,
avid regno recte ordinando ac administrando totus incubuit,

ſeſeque in omnibus juſtum, ac aequum, praeſtitit, uti narratur c. VIII: 15.—Quae pericopa cum una alterave laboret difficultate, intacta non eſt praetereunda. 1. Duo non tantum memorantur Pontifices, ſed et alter Achimelech adpellatur, filius Abjataris. Prius non eſt ſolutu difficile, cum duo diverſa fuerint cultus publici loca, quia Tabernaculum erat in Gibea, et Area in Tſione. Tſadocus itaque munere videtur functus in Tabernaculo, coram altari holocauſti, 1 Chron. XVI: 39. et alter coram Arca. Poſterius ſolvi nequit, niſi nomina Achimelechi, et Abjataris ſtatuantur tranſpoſita. Fuit enim Abjatar filius Achimelechi 1 Sam. XXII. et ad tempus Salomonis uſque in munere manſit 1 Reg. II: 26. Robur quoque opinioni noſtrae accedit ex eo, quod 2 Sam. XV: 35. et XX: 25. Tſadocus et Abjatar memorentur ſacerdotes. Agnovit quoque hic errorem librarii Theodoret. quaeſt. 23. ad h. l. et hinc nata videtur gloſſa Marc. II., quae Abjatarem loco Achimelechi habet. 2. Benaja cum v. 18. memoretur, *et Crethi ac Phleti*, ו *et* ibi eſt pro על *ſuper*, uti ex locis parallelis 2 Sam. XX: 23. et 1 Chron. XVIII: 17. patet. 3. De Creteis et Phleteis prolixa poſſet inſtitui diſputatio; quae ab inſtituto noſtro abhorret, quare verbo tantum obſervabo, mihi eorum placere ſententiam, qui copias eximias, ſtatas, et mercenarias intelligunt, ex Cretenſibus ac Philiſtaeis collectas, unde nomina ſunt derivanda: ſicut Davidi in fuga, coram Abſolomo, etiam adfuerunt Gathenſes 2 Sam. XV: 18.

§. DXLII. Occaſione regiminis juſti et aequi, quo a Davide populum fuiſſe gubernatum tradiderat Hiſtoricus, inſigne non tantum juſtitiae, ſed et beneficentiae erga familiam Sauli ſpecimen profert in Mephiboſeto, filio Jonathanis, illudque narrationi bellorum, quibus regnum ampliavit, et tutum reddidit, inſeruit: cap. IX. abſque ut tempus, quo hic caſus accidit, definiat: nec aliud de eo adfirmari poſſe videtur, quam quod aliquandiu poſt Sauli et Jonathanis obitum contigerit; quia Mephiboſeth, quinque tantum annorum tempore mortis

Sauli

[redacted]

auli et Jonathanis, c. IV: 4. hic occurrit, tanquam justae etatis vir, qui filium jam habebat, v. 12. Quid vero cauae fuerit, quod non citius, aut mox in principio, hac de re ogitaverit David, et statuerit, historia tacente, exponi nequit. Varii casus, prae brevitate historiae ignoti, ansam in posteriatem Sauli inquirendi, et Davidem ad benefaciendum permorendi, praebere potuerunt: de quo nihil adfirmari potest. Illud notasse suffecerit, Davidem in eo culpari non posse, quia, raeterquam quod rationes habere potuerit, quare citius non ecerit, ex gr. status regni non ante permiserit aliquem de domo Sauli in aulam recipere, pactum cum Jonathane, et pronissum Saulo factum, eum ad nihil aliud obligavit, quam ut osteritatem Jonathanis in vivis relinquat, nec manus in domum Sauli immittat: quod exacte praestitit. Hic autem filium Joathanis narratur singulari mactasse honore et beneficio, ad quod tricto jure non erat obligatus. Quo etiam respicere videtur hrasis חסד אלהים *benignitatis* spontaneae *Dei*, quam dicit ese domui Sauli exhibere velle, v. 3. non enim, ut putatur, *beneficentiam propter Deum* significat, acsi ad juratum Davidis et Jonathanis pactum respiciatur, sed inmeritam, indebitam, ac ingularem, etiam ad exemplum Dei, et secundum eam super Davide ipso; acsi esset, כחסד

§. DXLIII. Ipsa beneficentia in eo fuit sita, quod totam haereditatem Sauli, forte ab aliis, in specie ab administratore et oeconomo Ziba, occupatam, qui hic propterea *servus* Sauli expresse nominatur, restituerit Mephiboseto, quod de justitia et aequitate quid trahebat. sed et ipsum instar filii tractaverit, ad mensam una cum filiis admittendo. Quod factum quoque esse historicus subjungit, v. 11 a medio, et seq. Verba enim, quod observo, v. 11. et *Mephiboset comedit in mensa*, vel *mihi*, (ut *mihi* in שלחני sit paragogicum et emphatice redundet, sicut *mihi* apud Latin.) vel *ejus*, (si legere liceret שלחנו,) *instar filiorum regis* etc. Verba inquam illa non sunt Zibae, ut vulgo putatur, sed historici, et a sequent., prava versuum divisione, male sunt avulsa, et cum seq. ma-

 nifeste

nifeſte cohaerent. Hiſtoricus, colloquio regis et Zibae narrato, ſubjungit quid fuerit factum, diſtincte referens, Mephiboſetum comediſſe ad regis menſam inſtar filii, praeterea unum ipſi fuiſſe filium, et totam Zibae familiam ipſi ſervam, denique eum habitaſſe Hieroſolymis, quia menſa regis fruebatur.

§. DXLIV. Geſſit itaque ſeſe David hucuſque in omnibus rebus dignum elogio *viri ſecundum cor Dei*, quo ornatus eſt in hiſtoria, et ubique *proſperitate* gavíſus eſt. Sed accidit dein caſus, qui multorum malorum domeſticorum, et turbarum quoque in regno, anſam praebuit, occaſione novi belli cum Ammonitis. Quae hiſtoria fuſe narratur cap. X—XII. *Occaſionem* belli praebuit *legatio* Davidis ad novum Ammonitarum regem, bono facta animo, ſed peſſime ab Ammonitis excepta, et contumelioſe tractata. Legatio Davidis ad regi ſuper morte Patris condolendum, ſimul ſuper evectione in thronum gratulandum, eo ſpectabat, ut ſimilem honorem, ſibi a patre regis factum, rependeret, ſimul pacem ac amicitiam cum eo renovaret ac confirmaret. Hiſtoria in genere tradit, Davidem dixiſſe, ſe *benignitatem* voluiſſe facere Chanuni novo regi, ſicut pater ejus Nachaſus ſibi fecerat. Ex quo recte mihi colligere poſſe videor, Nachaſum ſolenni legatione antea quoque honoraſſe Davidem, et in eo ſitam fuiſſe *benignitatem*, qua David ab eo fuerat adfectus. *Benignitas* hoc loco eſt officium honeſtatis ac humanitatis indebitum, quod de benevolo teſtatur adfectu, et mutuae amicitiae ſignum eſt. Etſi autem hiſtoria de hoc Nachaſi facto ſileat, ex Davidis tamen id colligi facile poteſt. Videtur vero Rex Ammonitarum Davidi gratulatus fuiſſe, vel ſuper regno ad ipſum delato, vel victoriis reportatis, uti a rege Chamatae c. VIII. factum legitur. Nec repugnat interdicto Deut. XXIII: 7. quod David hic fecit, *non quaeres proſperitatem et bonum Moabitarum et Ammonitarum in perpetuum;* quia illud ad plenam adſociationem in unam civitatem tantum pertinet, ut ex precedentibus liquet, neutiquam ad pacis et humanitatis officia.

§. DXLV. Sed quid regis conſiliariis anſam praebuit, ſcopum

pum legationis tam ſiniſtre interpretandi, acſi ad terram explorandam, et deinceps invadendam, tenderet? Si non fuerit pura puta maligni animi ſuſpicio, nullo fundamento nixa, malitioſa tantum interpretatio ad cauſam belli cum Davide quaerendam, vel petulantium juvenum, quales novi regis fuerunt, ut poſtea Rehabeami, conſiliarii, temeraria actio; dici poſſet, eos forte e multis bellis Davidis cum vicinis, eorumque felici ſucceſſu, ſuſpicatos fuiſſe, Davidem ambitioſum eſſe principem, qui nihil ac pomoeria regni dilatare in animo habet, adeoque, praetextu honeſtae legationis, Ammonitarum ſubjugationem quaerere. Sed quare legatos, ut eos contemtui ac riſui exponerent, dimidia et *barbae*, et *veſtitus*, uſque ad pudenda, parte privarunt? Ratio mihi eſſe videtur, quod, ſicut honeſtis viris illud maxime pudendum fuerit habitum, *captivis* quoque in contumeliam proprium, uti eſt Jeſ. XX: 4. ita Judaeis maxime odioſum, cum *barbam* radere, et *veſtes*, uſque ad nuditatem ſcindere, ne quidem in luctu, licuerit. Forte cum barbae raſio, et veſtium ſciſſio inter ritus ſuperſtitioſos luctus fuerit his populis in uſu, hoc facto exprobare voluerunt Davidi praetenſum et malitioſum ſcopum legationis, ad luctum ſuper morte Patris teſtificandum, in legatos luctus lugubris ſigna conferendo.

§. DXLVI. Legatis illuſtris regis ac populi proſtitutis, cum ſeſe mox ad bellum praepararint, conductis copiis auxiliaribus Syrorum, uti verſ. 6. mox ſubjungitur, ſuſpicati, ſe Davidi jam *faetidos* eſſe factos, ac *odioſos*, adeoque ipſi occaſionem belli praebuiſſe, quam quaerebant, clare eluceſcit, eos pro autoribus non tantum belli, ſed et primis adgreſſoribus eſſe habendos, maxime cum nihil ad Davidi ſatisfaciendum egerint, nec pro certo ſciverint, Davidem bello eam injuriam vindicaturum eſſe. David quoque ſeſe non ante movit, quam Ammonitas ſeſe ad bellum praeparaſſe reſciverit, ut ex v. 7. patet. Copiae auxiliares memorantur ex *Syris* et *Tobaeis* collectae. Syri ſunt *Bethrechob*, *Tſobaei*, et *Maacha*. De quarum regionum ſitu difficulter quid certi ſtatuitur, illud in genere

nere constat, fuisse illos inter Euphratem vel Chaborram, ac terram Cananaeam sitos, ac vicinos. Forte Aram-Maacha et Arambet-Rechob iidem sunt, intermedii inter Aram naharaim, seu Syriam interamnem, inter Euphratem ac Chaborram, ac Tsobaeos, uti ex locis Sam. ac Chron., inter se collatis, probabile fit. In lib. Sam. enim Aram-bet-rechob, et Chron. Aram-Maacha adpellatur. Dein destincte utrobique occurrit *rex Maacha*, quae urbs fuisse videtur, non regio, ut Aram-Maacha, teste etiam paucitate copiarum; forte urbs Transjordanensis ad septentrionem, in Script. obvia Jos. XII: 4. XIII: 11. Deut. III: 14. Jud. I. Regio vero Aram-maacha videtur nomen tulisse a filio Nachoris Maacha Gen. XXII: 24. Cum autem domus Rechob, qui fuit pater Hadarezeris, regis Tsobaeorum, 2 Sam. VIII: 3. sedes ibi habuerit originarias, dicta inde videtur Bet-rechob. Praeter hos Aramaeos memorantur viri *Tob*, in tractu Gahalitide, ubi Jephta habitavit Jud. XI. Sed plura de his populis dixisse nihil adtinet, nec moras trahere licet in locis parallelis Sam. ac Chron. conciliandis, respectu numeri copiarum. Quod ad scopum etiam nostrum directe non pertinet. Verbo tantum observo, numerum copiarum simul sumtarum tradi 1 Chron. XIX. sed 2 Sam. X. divisim, et per partes, ita ut Aramaeorum fuerint 20000, Regis Maachae 1000, Tobensium vero 12000, adeoque simul sumtae 33000: qua ratione exigua supererit differentia. Major est lectionis discrepantia 2 Chron. XIX: 18. et 2 Sam. X: 18. quam ut sine mendo librarii alterutro in loco tolli possit; ubi autem residet, definire non ausim.

§. DXLVII. His praeparationes hostiles cum David intellexisset, misit universum *selectorum* militum, qui viri *fortes* adpellantur, contra eos exercitum, qui hostibus ad urbem *Medeba* occurrerunt, ut ex 1 Chron. patet. Quae urbs cum Rubenitarum fuerit, ab Aroere, extimo eorum termino australi, haud parum distans; hostiles exercitus in terras Israeliticas jam penetrasse, patet. Unde simul colligitur, urbem 1 Sam. X: 8. memoratam, ad cujus *portam* (legi enim ibi debet עיר שער

portae

[redacted]

portae urbis, ut eſt 1 Chron. voce עיר *urbe* per praecedentes litteras vocis שער ſimiles, incuria librarii omiſſa) Ammonitae reſediſſe dicuntur, non eſſe, ut male paſſim opinantur, Rabbam, metropolin Ammonitarum, ſed Medebam; quod jam eſt obſervatum. Hinc etiam ratio liquet, quare Joab in oratione militari meminerit *urbium Iſraelis*, pro quibus pugnandum ſit, verſ. 12. quia hoſtes in terra Iſraelitica jam verſabantur. Praelio mox habito, Syri primum, dein et Ammonitae, cum clade in fugam acti ſunt, terra Iſraelitica derelicta. Ammonitae enim v. 14. *urbem*, et Joab cum ſuis Hieroſolymam, petiiſſe dicuntur: ubi per *urbem* intelligitur *Rabba*, metropolis Ammonitarum, eximie dicta *urbs*, uti 1 Chron. הרבה.

§. DXLVIII. Qua clade nondum abſterriti hoſtes, novis auxiliaribus copiis collectis ab Hadarezere, duce *Sobacho*, ſtipati, novum inierunt, ſequente anno, praelium; pejore adhuc ſucceſſu. Ingente enim clade fracti ſunt, et Syri quoque ſeſe partim a bello cum Davide in poſterum abſtinuerunt, partim ſe ei ſubmiſerunt. Poſterius fecerunt reges auxiliarii Hadarezeris, *Syri* vero metuiſſe dicuntur Ammonitis denuo opem ferre; per quos Tſobaei ſunt intelligendi, qui nec antea fuerunt, nec nunc facti ſunt Davidis tributarii: quod notari meretur. Ceterum locus, ubi pugnatum eſt, adpellatur in libro Sam. חילם *Chelam*, ab hoc ipſo maximorum exercituum concurſu in tractu Tranſ jordanenſi: quod nomen reſtituendum eſt loco parallelo 1 Chron. XIX: 17. ubi pro אלהם leg. חילם vel אלאם, litteris tranſpoſitis. Secuta deinceps eſt Rabbae ipſius oppugnatio a Joabo, et expugnatio, praeſente ipſo Davide. *Rabbae* notitia petenda eſt ex Relando in Palaeſtin. et Norriſio epoch. Syro Maced. Diſſ. III. c. 9. ubi rationem dat *urbis aquarum*, hic diſtincte memoratae, quia circa *collem*, in quo ſita fuit, aquae perenni et copioſo fonte erumpebant, ad quas hauriendas per ſubterraneum meatum cives deſcendebant. Quo ductu occupato, urbs ſeſe dedere debebat, ſicut tempore Antiochi Epiphanis, hanc urbem obſidentis, quoque contigiſſe refert Polyb. L. V. *Urbs aquarum* itaque pars Rabbae ad eas

aquas, vel potius *arx* fuisse videtur. Hac urbe capta, misit Joab ad Davidem, ut ipse veniret, et *urbem* ipsam occuparet, ne sibi, excluso Davide, id in laudem cederet. Cum vero v. 26. ipse *urbem regiam* jam cepisse dicatur, de occupatione mox futura, quae, capta urbe aquarum, certo sequi debebat, intelligi poterit, nisi quis *urbem aquarum, et regiam* unam eandam fuisse velit, uti Tsion urbs regia fuit adpellata, ab reliqua urbe distincta.

§. DXLIX. Urbe hac ratione capta, 1. David *coronam*, capiti idoli ipsorum Molechi, etiam *Milcam* dicti Tseph. I. superpositam, quae *talenti* pondus habebat, sibi vindicavit, et *lapidem* coronae insertum, admodum *pretiosum*, suae adplicuit *coronae*. De lapide, et non *corona* ipsa, illud intelligendum esse, nimium coronae pondus facile evincit. 2. Singulare plane et severissimum sumsit supplicium a viris militaribus Ammonitarum per omnes urbes: vox enim עם *populus* haud raro ad copias militares restringitur. Cui usui et hic locum lubens darem, ne severitas supplicii in nimiam vertatur crudelitatem: robur addit, quod ad *urbes* Ammonitarum restringatur, quae praesidia habere solent. Sed quale fuit supplicium, illis inflictum? Ex mea opinione, ne in variis sententiis examinandis moras traham, *duplicis* generis, *unius*, quo vel ferris dissecti, ac tribulis securibusque ferreis quasi triturati sunt, pro more *triturationis* orientalium, vel ad dura ac servilia opera in lapicidinis sunt condemnati, *alterius*, quo vivicomburio sunt, instar consecratorum Molecho, adfecti. *Posterius*; ut inde ordiar, quia facilius, his verbis exprimitur, *et transire eos fecit ad Molechum* h. e. vivicomburio eos tradidit, sicut Ammonitis, qui Molecho ita consecrabant infantes, in more erat positum: quod hoc ipso verbo העביר *transire facere* solet exprimi, addito passim vel באש *in ignem* vel למלך *Molecho*, ut hic במלכן; vel, si marginalis lectio במלכן *in fornacem laterariam* sit praeferenda, eos in eam conjectos fuisse, et ita combustos, statuendum est. Sed vox eo sensu non occurrit, licet eum ferre posse non negaverim. Nec tamen

men David censendus est cultum exercuisse idololatricum, verum simpliciter eos ita tractasse in ejus cultus contumeliam, ut illi solebant infantes. Cujus rei et alia prostant exempla, ut idololatris fuerit poenae loco inpositum, quod illi antea in honorem fecerant, Vid. Dodwell. de aetate Phalaridis p. 64. Ceterum praef. ו *et* in וישם et ויעבר *partitionem* hic designat, ut idem sit, ac alios *adposuit*, alios *transire fecit:* uti Jos. XI: 8. et *occiderunt et persecuti sunt.* Qualia exempla plura sunt.

§. DL. *Prius*, cujus memini, ambiguum est, et Doctos in partes scidit. Communiter de dissectione, et tribulatione, exponitur, sed eos fuisse adpositos *securibus*, *ferrifodinis ac scalpris ferreis* sc. in lapicidinis, docte disputavit Danzius ad h. l. in Thes. nov. Iken. et Has. quem nuper refutavit Cl. Michaelis de *jure Mos.* p. I. qui Davidem, ita cum iis, ut vulgo putatur, agendo, non quidem a severitate, attamen ab *injustitia* liberat, quatenus juri gentium tunc usitato non repugnet, ita ut Ammonitae fuerint tractati, sicut illi alios tractarunt, et cum Israelitis, si victores fuissent, egissent. Exempla utique similia prostant, et Ammonitis inputatur Am. I: 13. sicut Damascenis ib. vers. 3. quod *tribulis ferreis trituraverint* Galaaditas. Conferri quoque possunt verba Flori l. III. c. 4. *nec aliter cruentissimi hostium quam suis moribus domiti, quippe in captivos igne ferroque saevitum est.* Inclinat tamen animus in mitiorem sententiam, quam Danzius satis illustravit, ne nimiae crudelitatis David agatur reus; eo magis quod in comburendis aliis satis fuerit crimen eorum vindicatum. Si omnes fuissent simpliciter operi servili addicti, mitius judicarem cum iis actum, quam hoc tempore moris erat inter hostiles populos, in primis orientales. Sed de eo judicent alii. Illud tantum addo, *in eos eo gravius statuisse vindicandum* Davidem, ut Caesaris, de Venetis loquentis, a se subactis, et punitis, verba huc adplicem, de bello Gall. l. III. c. 16. *quo diligentius in reliquum tempus a Barbaris jus legatorum conservaretur; itaque*, ut poenam de iis a Caesare

 sumtam,

sumtam, adjungam, *omni senatu necato*, *reliquos sub corona vendidit*. Haud absimili ratione David hic cum Ammonitis, qui legatos tam contumeliose tractarant, egit, dum alios neci dedit, alios durae servituti addixit.

§. DLI. Vertamus nos nunc ad magni, simul pii ac justi alias, regis tristissimum sane lapsum in duo enormia crimina, adulterii, et homicidii, damnanda praeterea arte patrata. Quae historia 1 Sam. XI et XII. cum ejus consequentibus suse narratur. *Tempus*, quo adulterium cum Bathseba, uxore *Uriae* Chittaei, non incelebris nominis inter heroas Davidis 2 Sam. XXIII. fin. patravit, fuit, quo anno, post bellum cum Syris, qui Ammonitis opem ferebant, jam profligatum, elapso, exercitus Davidis primo vere fuit contra Ammonitas missus, Davide domi manente, nec, terra eorum jam vastata, aliquid restabat superandum, praeter metropolin regni Rabba. Phrasis לתשובת השנה *circa exitum anni*, sive, si malis, *reversionem* et renovationem anni, novum non tantum annum in genere, sed initium, seu *vernam* tempestatem, in specie denotat, quare explicationis gratia hic additur, *tempore egressus regum* scilicet ad *bellum:* sicut יצא *egredi* haud infrequenter sumitur. *Occasionem* autem praebuit pulcherrima mulier, quae nudata sese lavabat, a Davide, in solario regiae ambulante post meridianam quietem, visa: quacum, licet suspicatus non tantum jam fuerit eam esse Bathsebam, uxorem Uriae, sed inquisitione instituta pro certo cognoverit, accersita in aulam, rem habuit, eamque simul inpraegnavit, erat enim *sanctificata* ab *inpuritate* sua, scilicet a menstruis: quod historicus expresse addidit, ut constaret, eam tunc non fuisse gravidam, sed a Davide gravidatam esse: aliorum commenta mitto.

§. DLII. Bathsebam jam concepisse, et a se gravidam factam, cum intellexisset David, ad nefarias primum se contulit artes, ut facinus suum tegeret, maritum ejus e castris evocando, et ad concubitum cum uxore omni modo, etiam vino eum reddendo fere ebrium, pelliciendo. Quae artes frustra ceciderunt omnes. Urias enim sese constanter excusavit ab uxore

[illegible] argumentur [illegible] notitia, quod illud [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] cogere non [illegible] [illegible] [illegible] cognoverit. [illegible] nec vel infans [illegible] [illegible] [illegible] per literas [illegible] Uria [illegible] [illegible] [illegible] ipsum [illegible] [illegible] periculo, ne ipse scilicet [illegible] reus perageretur. [illegible] autem eum [illegible] magis [illegible] videtur, quod, adulterio [illegible] commisso non contentus, Bathsebam voluerit uxorem [illegible]re. Quo facit, quod eam, mortuo marito, et luctu [illegible] finito, mox duxerit, et ipsi hoc a Nathane in specie [illegible]putatum.

DLIII. Uria ita necci dato, et Bathseba a Davide ducta, [illegible]n filio ex ea jam nato, adeoque peccato Davidis omnibus [illegible]eris completo, et ad summum perducto gradum, Deus [illegible]venit, judiciumque suum pronunciavit: quod ob sapientes [illegible]nes non citius fecit: inter quas esse potuerunt, ut partim [illegible]ri hoc exemplo patefieret, quousque peccatum, etiam in [illegible]tis et excelsis personis, nisi in principio ponatur obex, et [illegible]ationi obviam eatur, procedat; partim conjugium cum Bath[illegible], unde Salomo nasceretur, legitime ante consummatum. [illegible]han itaque, et notus propheta, et Davidi gratus ac fami[illegible]s, a Deo ad eum missus, postquam apologo, pro more [illegible]ntalium, qui parabolae speciem praeferebat, Davidem in [illegible]tiam criminis commissi, et sui in alio condemnationem in [illegible]oriam, prudenter duxisset, simul ad seriam poenitentiam

 permo-

permoviſſet, ac criminis confeſſionem, judicium Dei ipſi denunciavit. Apologus, veri facti ſpeciem praeferens, uti a Davide etiam acceptus fuit, a divite, cui copioſus erat grex, qui, ut viatorem laute exciperet, pauperi, unicam, et dilectiſſimam, tantum poſſidenti *oviculam*, eam vi eripuit, ſumtus, ob oculos ponebat, Davidem, potentem ſimul, ſimul multas uxores ac concubinas, opeſque poſſidentem, ad delicias explendas, iis parcentem, quo tempore libido, paſſio ambulatoria, ipſi inſtar viatoris ſupervenit, Uriae uxorem unicam tantum, et ipſi acceptiſſimam, inſtar *pauperis*, relate ad Davidem, *divitem* hac parte, eam vi ſurripuiſſe, et ad explendam libidinem vitiaſſe, eaque ratione tanquam ovem mactaſſe, et ſic libidini, tanquam viatori, ſatisfeciſſe. Singulare eſt, quod Nathan reticuerit, quid *pauperi* ſit factum, adeoque de *homicidio* nihil addiderit. Sed ejus ratio inde facile repetitur, quod David, de ſe agi nondum intelligens, atrocitate facti in iram conjectus, ſermonem Nathanis interruperit, et ſententiam condemnatoriam in virum divitem mox pronunciaverit. Quae ſententia, cum *mortis* poenam, oviculae raptori infligendam, quoque contineat, Davidem ipſum jam collegiſſe indicat, ſine *pauperis* oppreſſione, vel caede, id non fuiſſe factum. Hinc etiam eſt, quod Nathan, in criminis Davidis deſcriptione, *adulterii* omiſſa mentione, caedem Uriae, ac uxorem ejus ductam, in ſpecie et expreſſe memoret, quia, ſermone ejus a Davide interrupto, in apologo de fato domini *oviculae* nihil dicere potuerat: tacite tamen ipſum adulterium digito monſtravit, cum *uxorem* Uriae ſumere, tanquam cauſam caedis mariti, conſiderari velit: indicat enim *rapinam*, cum caede Uriae conjunctam.

§. DLIV. In *judiciali* Dei ſententia pronuncianda, Nathan 1. in genere ei denunciat, *gladium a domo ejus non eſſe receſſurum in aeternum* h. e. domum ejus variis diſſenſionibus et caedibus, non quidem continuis, ſed per varias vices repetitis, eſſe replendam, uſque ad *finem vitae*, quod hic eſt, uti Ex. XXI: 6. et alibi, *in aeternum*. Experta id eſt domus ejus in

Amnone,

Amnone, Absolomo, et Adonia; quantum ex historia constat. 2. In specie declarat, illud malum in ipsum Davidem, ex ipsa ejus domo, esse vertendum, cum *gladius* filii ipsum peteret, mo ipsius regnum a Filio occuparetur, gynecaeum quoque psius publice, inspectante populo, quod est *coram sole*, vioandum, adeo ut ipsum illud pateretur, quod in alium patraverat, per legem talionis, et, ut quam grave commiserat crimen, ipse per experientiam sentiret. Increpatoriam, ac comminatoriam, hanc Nathanis orationem cum David submisse, et cum seria poenitentiae testificatione publica, excepisset, dicens, *peccavi contra Jehovam*, scilicet non in homines tantum, quod per se liquebat, sed et, imo in primis, *in Jehovam*, tanquam legislatorem et Judicem, cujus leges etiam in proximum delinquendo violaverat, cujusque praecipue erat delictum regis vindicare, addita tamen, ut probabile est, et ex responso Nathanis colligi potest, deprecatione mortis suae, et filii recens nati, Nathan ipsum solatus est, quoad poenam capitalem de ipso sumendam, dicens, *remisit tibi Jehova peccatum, non morieris:* h. e. eo tantum usque condonavit tibi Jehova, quod poenam, adulterio et homicidio dignam, et secundum legem illi infligendam, non sis subiturus; sed addit, *filium* esse moriturum, adeoque ipsum, praeter mala, modo memorata, hoc *etiam* passurum in specie, ut vocula גם *etiam* addita quoque indicat. Subjungit judicii *castigatorii*, hunc enim conspectum habet, rationem, ut *scandalum* aliis, in specie hostibus Jehovae, et ejus religionis, datum, repararetur, dicens: *quia spernere fecisti hostes Jehovae*, seu iis hoc faciendi occasionem et causam *praebuisti* etc. Ceterum ubi *remissum* ipsi dicitur *peccatum*, sicut restricte et relate ad poenam capitalem directe intelligendum est, ita existimandum non est, ipsum *plenae* remissionis, et favoris Dei erga ipsum restituti, sensum jam tunc, vel mox accepisse, quippe quae felicitas ipsi post demum contigit, uti ex Ps. XXXII et LI. manifestum est, et sequens quoque historia docet.

§. DLV. Licet a Nathane audivisset, *filium*, e Bathseba

 natum,

mum est, Amnonem, per furibundam Tamare potiundi libidinem, fuisse in summas conjectum angustias, quae corpus quoque *adterebant*, et quasi excarnificabant, quae verbi חלה potestas est, propterea quod libidinem explendi nulla ipsi adpareret via, quia virgo erat, adeoque domi clausa. Quo haec verba tendunt v. 2. *quia virgo erat, et mirabile erat in oculis Amnonis aliquid*, vel tantillum, *ipsi facere*. Quorum sensus non est, eum a se vix inpetrare potuisse, ut Tamarem, quia virgo erat, vitiaret, volebat enim cum maxime, sed votorum non scivisse compotem fieri: quia, qua virgo, nimis arcte erat custodita, quod astutum Jonadabi consilium quoque confirmat. Significant itaque verba, difficile nimis fuisse Amnoni visum, Tamarem in suam accipere potestatem, arduum quippe nimis negotium, et via occlusa. Quod phrasis, *mirabile erat* in oculis Amnonis, denotat, arduum scilicet et difficile, id quod ipsum tantopere cruciabat; quia libidine flagrabat, nec eam explere poterat, quod virgo esset, et arcte custodita. 2. *Secundum* est, cum Amnon a Davide, qui ipsum venerat visitatum, peteret, ut Tamar sibi placentas paret, et comedendas tradat, ab inprudentia vix excusari posse Davidem, quod concesserit, et Tamarem, quod fecerit, nisi forte id moris fuerit, ut virgines sorores tale quid praestent fratribus, de quo nihil constat, suspecta ceteroquin debuisset utrique fuisse ejus petitio: sed prae simplicitate, et amore Davidis paterno, Tamaris fraterno, suspicio alicujus mali, utique tanti facinoris, ipsis non fuit suborta.

§. DLVIII. 3. Cum Tamar, ut fratrem a violenta compressione deterreret, dicit v. 13. *quo ire faciam opprobrium*, sensus est, acsi dixerit, quo modo efficiam, ut evanescat violata virginitas, ejusque infamia. *Ire* hic est, ut alibi, abire, disparere, evanescere, et *opprobium* situm est in violata virginitate per scortationem, et incestum; cujus fama, et divulgatio, non foret inpedienda, unde et Amnon, et ipsa, pro infamibus haberentur. Sed singulare est, quod inter rationes, ad Amnonem deterrendum, memoret nuptias a Davide concedendas,

sive

sive eas crediderit, prae simplicitate sua, non esse in tali casu illicitas, saltem a suprema autoritate dispensari posse de lege, sive ad se a periculo liberandum eo confugerit. Quo etiam facit, quod sine clamoribus, quos lex in violenta compressione requirit Deut. XXII., se vitiari passa sit, spe scilicet nuptiarum se lactans; ut sequentia demonstrant. 4. Odium Amnonis, quo, expleta libidine, flagravit in Tamarem, eamque contumeliose, ac violenter expulit, non tam naturale fuit, ex libidine expleta partim, partim ex Tamaris repugnantia, ortum, quam extraordinarium, a maligno spiritu, ad Amnonis perniciem, profectum; uti eventus docuit, cujus haud obscurum est indicium in subitaneo ejus ortu, ac vehementia, maxime cum Tamar in cohabitationem consensisse videatur. Declarat enim majus esse in expulsione sua, quam compressione, licet violenta, malum: quo ipso significat, se manere velle, ut si pote, nuptiae, ad opprobrium suum tegendum, vel reparandum contrahantur. Unde patet, quare expulsionem *majus* esse malum reputaverit, cum, quod unico remedio mali reparandi privaretur, tum, ea ratione tanquam meretrix, et non violenter vitiata, quia non clamaverit, prostitueretur, et violatae virginitatis non solum noxia consequentia, sed et poenas subire deberet. Voces אל אודות vers. 16., quae crucem fixerunt, in verbis Tamaris, cum seq. connectendae videntur, et vertendae, ut illud in transitu observem, *ne propter malum hoc magnum* scilicet fiat mea expulsio, et in seq. membro per ellipsin repetendum est, *magnum enim prae alio est, quod mihi fecisti.* Loquitur abrupte, ut solent perturbatae mentis homines. Vox אודות proprie denotat *flexiones*, a rad. אוד *flexit*, incurvavit: unde על אודות *propter flexiones* h. e. occasione, respectu alterius, propter alterum; hic sine על *propter* occurrit, sive per אל fuerit absorpta vocula על et intra os manserit, sive sine ea idem significet, *ne respectu magni hujus mali*, *ne propter illud*, *ne fiat*, quod dixisti, ut abeam, Amnon vero, nihil mutatus, servo dixit v. 17. *ejicito* את־זאת *hanc illam*, scilicet pessimam, et contemtibilem foe-

 minam.

minam. Involvit enim particula illa subinde contemtum, uti זו Ps. XXXIV: 7. et alibi.

§. DLIX. 5. Tamar, domo ejecta, cuncta, quae pro more poterat, vehementioris luctus dedit signa, donec in domum Absolomi, fratris sui germani, venit, et, consolatione ab eo accepta, ibi mansit quasi desolata, et stupefacta; uti narratur v. 18—25. Forma interrogationis, qua Absolom sororem adloqui incipit v. 20. *an Amnon tecum* fuit? hic non ignorantiam, sed indignationem cum admiratione conjunctam, exprimit; itane vero tecumne consuevit Amnon? quam stupendum et infame facinus. Nec sequens ejus sermo eo, ut putatur, tendit, ut facinus extenuetur, sed ut Tamar ab irrito conatu factum reparandi abstrahatur, quia frater ipsius erat, quocum copulari nequit. Illud enim sibi vult, ubi dicit, *Sile*, seu a ploratu et clamoribus, ad injuriam reparandam tendentibus, desiste, *nec cor adponito ad hoc verbum*, aut negotium, h. e. cordi tibi amplius non sit, quia in integrum restitui nequit. Sedit porro Tamar in domo Absolomi, in mentis adtonitae horrorem defixa, et spe legitimae prolis orbata, adeoque et *stupefacta*, et quasi *desolata* ac vastata. Quae potestas est verbi שממה proprie *siderata*.

§. DLX. David, facinore audito, aegerrime quidem illud tulisse traditur, phrasi ויחר לו *et exarsit ipsi* adhibita, sed, quod singulare est, quid egerit, tacetur. Esse potuit, et probabile est, ut reprehenderit Amnonem; sed ipsum non fuisse castigatum, aut secundum legem punitum, manifestum est. Cujus indulgentiae causa, non nisi conjectando, dari potest. Tradunt quidem LXX Interpretes et Josephus, Davidem nimium amasse et coluisse Amnonem, utpote primogenitum, quam ut eum castigare fuerit ausus: sed illud nimis est temerarium additamentum; longe tutius, silente historia, tacere, quam temere quid adfirmare. Potuit Jonadabo, qui perniciosum consilium dederat Amnoni, Davidi vindictam dissuadenti, et a sapientia ac prudentia celebri, nimium tribuisse: forte etiam a timiditate, et mala conscientia, cum et ipse sese illi-

cito

cito concubitu maculaverat, repeti poterit silentium Davidis. Sed de eo quicquid sit, illud adfirmari potest, Davidem in eo male admodum egisse, et hanc indulgentiam gravia scelera ac damna, domui et regno noxia, peperisse. Quod ex seq. historia elucescit. Sed qua ratione, sese gessit Absolom, frater germanus Tamaris? Tradit historia, eum *nihil boni aut mali dixisse* Amnoni, *quia eum odio*, propter hoc commissum, *habebat*, vers. 22. Quod ut intelligatur, usus voculae כי *quia* pro *quamvis*, satis frequens, admittendus hic est. Ratio enim quare *nihil dixerit Amnoni*, ab ejus *odio* in Amnonem repeti nequit, cum suasisset contrarium. Non siluit, quia ipsum oderat, sed, non obstante odio ac ira, sese ad tempus continuit, occasionem vindictae commodam exspectans.

§. DLXI. Nactus quoque eam demum est *biennio* post, quousque exspectavit, ut irae et indignationis adfectum jam deposuisse videri posset, saltem in oculis Davidis, ac Amnonis, qui nihil sinistri videntur suspicati. Praebuit vero eam hilare festum *tonsurae* gregis, ab Absolomo instituendae in *Baal-chatzore ad Ephraimum*, vel in vicinia Ephraimi, adeoque ab urbe regia remotiore. De quo loco aliud non constat. Invitavit porro ad hoc convivium non tantum filios regis, sed et ipsum Davidem; ut malae suspicionis omnem ansam, acsi quid mali in Amnonem meditaretur, vel eriperet, vel praeveniret, adeoque non serio, sed simulate *Davidem* invocavit, quem non venturum facile praesumebat. Concessit tandem eousque in vota Absolomi, ut filios regis omnes cum Amnone permiserit ire. In quo rursus valde inprudenter se gessit David, eo magis, quod, cum Absolomus *Amnonem* expresse nominasset, et, ut ipse saltem veniret, petiisset, David aliquid mali ab eo intendi in Amnonem suspicari potuisset. Pejus egit Jonadab, quod regem non admonuerit, cum de sinistro Absolomi animo jam a longo resciverit, ut ex vers. 33. patet.

§. DLXII. Convivio inito et durante, cum omnes jam hilariter agerent, Amnon per ministros Absolomi, ad ejus expressum jussum, nefarie, attamen justo Dei judicio, propter ne-

fandum scelus, nec forte sine aliquali juris specie, quod Goel sanguinis sibi in vindicanda injuria sumit, ubi publica eam negligit justitia, est caesus, reliqui filii regis sese in fugam dederunt, Regem et aulicos ingente repleverunt moerore, ipse Absolomus, vindictam regis metuens, fuga sibi consuluit, et se contulit ad Regem *Gesuris*, cujus filia erat mater Absolomi, 2 Sam. III: 3. Ceterum *Gesur* intelligitur, non ad austrum Cananaeae prope Amalekitas, sed in Syria 2 Sam. XV: 8. haud procul a Gesuraeis trans Jordanem, 1 Chron. II: 23. Luxit vero David filium suum toto tempore, quo ibi moratus est Absolomus: quem sensum dandum censeo posteriori membro v. 37. *et luxit* (David, ex superiore repetendus versu) *filium suum omnibus diebus*, scilicet, quibus Absolomus in exilio fuit. Quo etiam facit, quod anni istius morae mox subjungantur vers. 38. Ex quo observato sicut phrasis *omnibus diebus* explicatur et restringitur, ita ratio redditur repetitae narrationis de fuga Absolomi, et historia a tautologia liberatur. *Triennio* exilii ad finem vergente, David tandem Ammonem lugere desiit, et multis demonstravit signis, se in Absolomum desiderio ferri: quod vers. 39. his verbis exprimitur: *et se consumsit Davidis* (*anima*, voce נפש subintellecta, quae alias verbo כלה addi solet, ut Ps. LXXXIV: 3. CXIX: 81, 82. CXLIII: 7.) *egrediendo ad Absolomum*, (scilicet *desiderio* ardente, *exire* enim subinde est desiderio et suspiriis ad aliquem tendere: uti Cant. V: 6. sponsa de se dicit, *anima mea exiit, cum loqueretur.*)

§. DLXIII. Quam regis ad Absolomum inclinationem, variis signis sese manifestantem, cum observasset Joab, commodam Absolomum revocandi, et cum Davide reconciliandi, occasionem reperisse ratus, eam mox adripuit, et, scena pulchre ac sapienter adornata, quae cap. XIV. narratur, rem eo adduxit, ut Absolomus a Patre sit absolutus, et in regiam reductus. Qui casus multorum malorum novam praebuit occasionem, simul de Davidis inprudentia testatur. Quid vero Joabum ad id permoverit, in historia non traditur, nec ali-

unde

unde id erui poteſt. Probabile mihi videtur, Joabum arctiore amicitiae vinculo fuiſſe Abſolomo junctum, de facinore ejus benignius judicaſſe, tanquam a proximo ſanguinis vindice quaſi orto, cum pudicitiae et virginitatis violatio ad caedis crimen prope accederet, imo per *triennii* exilij poenam cenſeri poſſe expiatum; praeterea Abſolomum, regni haeredem habitum, ſibi ulterius voluiſſe devincire, turbas denique, quae de ſucceſſione oriri poſſent, ſi Abſolomus Patri ſupervixerit, cum eo non reconciliatus, praevenire geſtiiſſe.

§. DLXIV. Ut autem Davidem, quem Abſolomi deſiderio ferri intellexerat, eo compelleret, ipſe regem non adiit, nec reſtitutionem exulis ab ipſo petiit, ſive quod reliquos filios, ad regnum, repudiato Abſolomo, adſpirantes, exacerbare noluerit, ſive quod a Davide ſe illud non eſſe inpetraturum exiſtimaverit, niſi alio modo ad id fuiſſet praeparatus David, ſive, invidiae vitandae ergo, a Davide ſe ad id efficiendum vocari conſultius duxerit; ſed foeminam Thekoanam, ſapientia celebrem, adornavit, et inſtruxit, quae regis animum arte circumveniret, et ficta quadam narratione regis diſpenſationem de poena fratricidii eliceret. Qui ſingularis quidem fuit modus, ſed ab illo tempore, quo apologis et fictis narrationibus uti ſolebant, ut vel ex Nathanis oratione 2 Sam. XII. liquet, minime alienus. Arceſſivit Joab mulierem *ſapientem Thekoanam*, quam ſimulare juſſit luctum ob mortuum, ſimul, qua uteretur oratione, inſtruxit. *Thekoa* urbs vel vicus fuit in *deſerto Judae*, quod inde *deſertum Thekoae* adpellatur, 2 Chron. XX. Hieroſolyma 12 milliaribus diſtans ad plagam meridionalem, teſte Euſ. in Onom., et 6 milliaribus Bethlehemo, teſte Hieron. ad Amos, qui etiam tradit, cuncta loca ibi fuiſſe *paſtoribus* plena, unde nomen, a *figendis tentoriis*, quod rad. תקע denotat, derivari poteſt. Sed celebris quoque hic tractus fuit civium *ſapientia*, ut ex hoc caſu colligitur, et quod *Amoſum* dederit prophetam, ut ex ejus libro patet. Uſus vero eſt *foemina*, tanquam ad perſuadendum, in primis ad miſericordiam in Davide ſuſcitandam, aptiore: denique *ſapiente*,

quae, ficut eloquentia et prudentia sua, ita fama sapientiae, multum ad Davidem flectendum posse censebatur; praeterea talis requirebatur, ne David mox in suspicionem scenae ab alio adornatae veniret: quod vitandum erat. David enim eam ex se loqui, ac verum, non fictum, proferre casum, reputare debebat.

§. DLXV. Mulier, a Joabo bene edocta, regem cum adiisset, summae animi tristitiae signa dedit, et lamentabili oratione opem regis, ut adfectum misericordiae in rege excitaret, et benignam inpetraret audientiam, imploravit. Quo rite et cum successu peracto, casum suum artificiose exornatum, cum adlusione ad ipsius regis fatum, respectu filiorum Amnonis et Absolomi, proponit, scenamque ita instruxit, ut in nonnullis quidem dissimilis, in pluribus tamen respondeat casui Davidis, relate ad Absolomum fratricidam, adeo ut si David in casu filii hujus viduae judicaret dispensandum esse, idem in casu Absolomi vix potuerit recusare. Duo enim intendit, *unum*, dari casum, in quo fratricida possit absolvi, *alterum*, talem esse ipsissimum Absolomi. Priore a Rege inpetrato, scenam aperit, et, quo tendat, regi clarius significavit, ei ob oculos ponens, eum ad Absolomo parcendum, et reditum concedendum, proprio judicio, jam in casu proposito declarato, esse obligatum. Intentionem mulieris cum rex tandem percepisset, sesesque constrictum sensisset, simul ad revocandum Absolomum pronus esset, rescire, antequam mentem aperte declararet, voluit, num Joab in hoc negotio partem habuerit. Cujus rei ratio in historia reticetur. Esse potuit, Regem sine Joabi, cujus magna erat autoritas, consensu, id non fuisse ausum: potuit etiam velle videri, se non proprio motu, sed Joabi in gratiam, in reditum Absolomi consensisse, denique invidiam rei in ipsum potius voluisse devolutam. Quicquid sit, Joabo ad se vocato, potestatem concessit reducendi Absolomum: quo adfectum suum in filium secutus est, sed simul Joabum, quo maxime opus in se et regno tuendo habebat, ut sequens historia docet, sibi novo devinxit beneficio,

beneficio, sed et consequentia revocationis filii a se in Joabum devolvit.

§. DLXVI. Generali hoc scenae conspectu dato, eum per partes illustrare, ac phrasibus variis lucem infundere possem, si hujus esset loci: sed adtento lectori dicta sufficere quoque poterunt, ad singulas partes intelligendas ac adplicandas. Unum tamen alterumve non possum quin dem observatum, minus vulgatum. Primum est, mulierem, scilicet ut petitioni et rationi, quam proxime protulerat, pondus adderet, provocasse ad exemplum ipsius Dei, qui Caino pepercit, et Cainitis veniam sese populo Dei adjungendi concessit, his verbis vers. 14. *nec Deus abstulit animam, sed cogitavit cogitationes, ne a se repellat expulsum.* Quae licet ad misericordiam Dei erga peccatores, mortalitatis eorum ratione habita, referri possent in genere, vix tamen dubitaverim, quin singulare aliquod ejus specimen in oculis habuerit sapiens foemina, quo Deus clementer tractavit fratricidam, nec vitam ejus tollendo, nec exilium ejus reddendo perpetuum, sed reditum ipsi concedendo. Quale cum nobis in Script. S. non sit relictum, praeter illud Caini Gen. IV et VI: 3. eo hic respici autumaverim. Pepercit Deus non tantum Caino, quem in vivis reliquit, nec eum in perpetuum expulit, sed readsumsit: Gen. VI: 3. De quo egi in Dissert. ad Gen. Quadrat quoque huc aptissime, cum Cain fuerit fratricida, pejor longe Absolomo, quippe qui violatae pudicitiae sororis vindicem egit.

§. DLXVII. *Secundum*, ad illustrandum, quod modo observavi, casum, a muliere propositum, in nonnullis quidem dissimilem, sed in pluribus similem esse casui Davidis, similitudinis lineas repraesentat, etiam in ipsis illis circumstantiis, casui mulieris privis, quae erant, illam esse viduam, et duos tantum habere filios, adeo ut in fratricida, quem salvum volebat vidua a vindicta Goelis sanguinis, sola resideat spes domus, et nominis paterni propagandi: quo verba ejus tendunt: v. 7. fin. *et exstinguent prunam meam, quae superest, ne ponatur viro meo nomen, et reliquiae super terra.* Filium super-

stitem adpellat eleganter *prunam* suam, et quidem, secundum vim vocis גחלת, *vivam* ac flammantem, quare ei recte verbum *exstinguere* adplicatur, ad prunam respiciens, quae ad ignem resuscitandum cineribus tegitur; quam Gr. ζώπυρα vocant, et cum ea comparat filium, unicam posteritatis conservandae spem. Quo e medio sublato, *viro* addit non superesse *nomen* et *reliquias* h. e. memoriam mariti defuncti, per sobolem et posteritatem relictam, nullam conservari et celebrari. Similitudo vero ejus et Davidis casus, respectu Absolomi, in hisce sese conspiciendam praebet. 1. Duo fratres respondent Absolomo et Amnoni. 2. Contentio eorum, unde caedes unius orta est, respicit ad facinus Amnonis, et inde natam inimicitiam duorum fratrum. 3. Caedes in agro facta, ubi nullus erat liberator, sicut ad caedem Amnonis in loco a Davide et Judicibus remoto, nec in eorum conspectu factam, se transferri patitur, ita haud obscure insinuat, fratrum inimicitiam potuisse et debuisse tempestive sublatam fuisse, si David facinus Amnonis rectius ad animum retulisset: adeo ut ipse David in culpae participationem tecte trahatur, ad aliqualem Absolomi excusationem. 4. Quod de familia seu cognatione sua, vindictam postulante, ejusque scopo, minus laudando, haereditatem sibi vindicandi, profert mulier; illud ad domum regiam Davidis, seu filios ejus reliquos ad regnum, mortuo Absolomo, adspirantes, haud male adplicatur: uti vel ex Adonia patet. 5. Denique Absolomus cum pruna, non exstinguenda, comparari quoque potest, quod pro successore in regno Davidis fuerit habitus a populo, simul in ejus oculis solus dignus et aptus, qui nomen Patris conservare et propagare queat. Voluit itaque eo indicare, quantopere populus aestimet Absolomum, quantasque de eo spes foveat, adeoque quam ardenter ejus cupiat restitutionem. Quo etiam pertinet, quod v. 13. dicat Davidi, *quare cogitasti sicut hoc, contra populum Dei — — ne revocet rex exulem suum*: quo regem quasi accusat, quod, exulem non revocando, male consulat populo. *Cogitare sicut hoc* pertinet ad consilium de filio non reducendo

ndo ab exilio: quod mox subjungitur. *Sicut hoc* emphatice ignum exprimit malum, uti זאת *hoc* sumitur Ps. XXVII: Mich. I: 8. Tseph. I: 10. ac alibi: denique *contra po-lum Dei* additur, ut Absolomi exilium, si sit perpetuum, ad ilum populi Israelis, cui Absolomus erat in deliciis, propte-a turbandi, tendere indicaretur. Postremo 6. quod regem antocyus velit, nulla facta mora, sibi in filio a vindice san-inis liberando succurrere, dicens v. 11. *recordetur quaeso rex hovae Dei tui* (quod hic idem est, ac jura, nomine Jeho-e memorato, te curaturum, ut filius meus salvus sit e vesti-o; quo facit, quod rex respondeat, juratus dicens *vivat Je-va* etc.) *festinat in domum meam vindex sanguinis ad perden-m* (quo petitionem promti auxilii urget, quia instat vindex nguinis. Pro מהרבית, cui hic locus non est, nec sensus ri potest, qui satisfacit, vocibus separatis, legerim, si liceret, מהר ב· *festinat in domum* —— *ut perdat*: uti Jud. VII: מהר הגלעד·, pro מַהֵר punctandum מהר *festina Giliadum*: i supra suo loco observavi,) illud ipsum a rege respectu bsolomi fieri petit, eandem vel similem ob rationem, quia e incerta vita hominum facile contingere poterat, ut Ab-lomi reductio, et cum rege reconciliatio, fiat inpossibilis. uo inter alia verba ejus tendere videntur v. 14. *quia morte riemur* etc.

§. DLXVIII. Absolomus, ut in historia pergam, per Joa-m Hierosolymam reductus quidem est, sed nec in Regis nspectum admissus, nec domo exire permissus, verum *domi* nquam in honesta custodia manere jussus: quo verba Davi-s v. 24. tendunt, *revertatur domum suam*, scilicet, quod sup-endum est, et ibi *maneat*, nec exeat, quod e sequente casu m Joabo manifestum est. Videtur David ita cum filio re-ice egisse, 1. ne plenissime condonasse, eaque ratione fratri-dium adprobasse, videatur 2. ut turbae inter filios, inde ori-rae, si sui juris, et in antiqua cum Rege gratia, esset, vita-ntur, 3. denique animus ejus exploraretur, num a rebus

novis moliendis eſſet alienus. Cum enim pulcherrimus et procerus eſſet forma, regi, ſecundum antiquam et vulgarem opinionem, congrua, praeditus, ſimul populo acceptiſſimus, teſte hiſtoria, metus erat haud vanus, ne aliquid ad partes ſuas in regno firmandas moliretur novi. Quae ipſa ratio eſſe videtur, quare *pulchritudinis* ejus deſcriptionem mox ſubjungat Hiſtoricus v. 25.—In quo illud mentem maxime ferit, et turbat, quod *crinium* capitis, quotannis tonderi ſoliti, *pondus* dicatur fuiſſe 200 *Siclorum* h. e. 4 librarum Romanarum et 2 unciarum, quae noſtris *tribus* aequipollent. Quod enorme ſine dubio, et inauditum, comae alicujus viri pondus eſt, ſi vel totius capitis crines, cum detonſio fiebat, et non crines detonſi ſoli, intelligantur. Sunt quidem, qui non quotannis id fuiſſe factum, ſed tempore indefinito, cum nimis gravis eſſet coma: ſed textus et phraſis Hebraea, *a fine dierum ad dies*, reclamat, quippe quae de *annuo* ſpatio ſumi ſolet: uti ex gr. Ex. XIII: 10. Jud. XI: 4. 1 Sam. I: 3. XXI: 19. Nihil itaque ſupereſt, quam ut vel numerus 200 in mendo cubare ſtatuatur, quod facile et haud raro contingit, et Graecus aliquis Interpres in Hexaplis Originis Montfalconii, qui ἑκατὸν *centum* habet, confirmat, vel pondus *ſicli regii* fuiſſe longe minus, ita ut 200 unam libram faciant; ſed ſi hoc ſtatuatur, de quo mihi nondum conſtat, difficultas quidem minuitur, nondum tollitur, ſi de pilis quotannis relictis locus intelligatur, vel non de *pondere*, proprie intellecto, ſed *pretio* tot ponderum, capiatur: quod non eſt inſolitum. Aliorum conjecturas praetereo.

§. DLXIX. Secuta tandem eſt pleniſſima ejus cum Patre reconciliatio, interceſſione Joabi quoque, licet initio reluctantis, poſt *biennii* moram in domo, facta: v. 28.—Ubi in primis ſingulare eſt, quod Joab, bis ab Abſolomo, qui domo egredi non poterat, vocatus, venire noluerit, ſive ei amplius favere noluerit, ſive plenae reconciliationis noxia praeſumſerit fore effecta, quodque *agrun* Joabi, hordeo plenum, comburi propterea fecerit. Quod facinus, ſicut temerariam et violen-

tam

tam Absolomi indolem patefacit, ita, quid in posterum facturus sit (eo enim spectabat facinus, ut maximae turbae ab ipso sint exspectandae, nisi regi reconciliaretur) indicat. Quod ipsum Joabum, id prudenter praevidentem, movisse videtur, ut regem pro ipso compellaverit, et regem, ut ei gratiam fecerit. Declaravit vero Joabo, ad ipsum tandem accedenti, ut de agro combusto cum ipso expostularet, sibi in exilio, ubi libere degebat, potius vivendum, quam domo inclusum, et vel neci dandum, vel plenae libertati, ac gratiae regis restituendum esse: prius cum regi non fuerit visum, posterius suo jure postulare posse. Ceterum quam noxia haec fuerit reconciliatio, quae mox fuit facta, ex nimia patris indulgentia ac imprudentia orta, sequens docet historia. Excepit enim eam tertius casus, omnium tristissimus, ex reconciliatione hac natus, qui Davidem in summas praecipitavit angustias, totumque regnum misere turbavit, sed simul praedictionem Nathanis interminatoriam, Davidi antea factam, complevit. Situs est in rebellione Absolomi, indeque orto bello civili, sed singulari Dei directione, in exitio Absolomi, et gloriosa Davidis restitutione, terminato. Quae historia, c. XV—XX. prolixe narrata, valde memorabilis, adcuratiorem etiam meretur tractationem, secundum seriem narrationis instituendam.

§. DLXX. Postquam per anticipationem retulisset Historicus, Absolomum sibi *currum* et *equos parasse*, et 50 *cursores ante faciem* vers. 1. adeoque palam rebellasse, cum illud ad pompam regiam spectaverit, uti ex 1 Reg. I: 5. patescit, praemisit artes, quibus Absolomus animos populi, Davidi subductos, sibi devinxit, antequam rebellionem ulterius pertexat; acsi haberetur: postthac regni insignia sibi palam sumsit, et signum rapuit Absolomus, ad quod miris artibus viam paravit. De anticipata narratione satis testatur, quod nec Absolomus tam temerarius esse potuerit, ut coram oculis regis, in ipsa urbe regia, tam diu ante apertam rebellionem, haec regia ostentaverit insignia, rebellionis manifesta signa futura, nec David tam supinus et stultus, ut illud tacite permiserit, seseque tran-

quillum tenuerit, uti fecisse ex historia constat. *Duplice* usus est arte, qua, Davide excluso, se in animos Israelitarum insinuavit. *Una* fuit, qua *justitiam*, a Patre negligi solitam, sed a se, judice facto, exacte esse exercendam, cuivis obvio persuasit. Singulis diebus, (non omnibus in genere, sed quibus supremum tribunal Hierosolymis sedebat, ad causas civium audiendas) sese primo mane ad latus viae versus *portam* (in qua tribunalia haberi, et judicia exerceri solebant) adeoque antequam ad *portam* eam venissent cives, sese stitit Absolomus, et singulos obvios de *loco habitationis* non simpliciter, sed et de statu ac conditione, simul de *causa* vel lite, quam habebat, (haec enim omnia supplenda esse, e scopo Absolomi et seq. verbis, facile patescit) interrogavit. Quod eo tetendit, ut sese omnibus praeberet popularem, praeterea in cujusque statum ac litem ante inquireret, quam mentem suam explicaret, Absolomum enim tam fuisse ineptum existimandum non est, ut omnibus sine discrimine dixerit ea, quae mox sequuntur: cum sic causam suam prodidisset, et scopum elusisset, sed si quem aut scopo suo aptum reperisset, aut causam justitiae specie velatam, eum in haec verba, quae mox proferuntur, adlocutus est, quibus declaravit, *verba ejus esse bona et recta* (h. e. causam ejus esse justam et aequam,) *nec esse audientem a rege* (h. e. causam suam a rege ipsum non esse obtenturum) *se vero judicem optare constitui* etc. Quae eo collineant, ut, judicia esse in regno Patris depravata, et tribunalia corrupta, adeoque alium requiri regem, et regni statum meliorem, insinuet, seseque ad id efficiendum offerat. Ceterum quid veri subsit accusationi tribunalium regis, pro certo definiri nequit, sed illud plusquam probabile mihi fit, non omnia finxisse Absolomum, contra manifestam veritatem; cum ei publica fama et experientia contradixisset. Quid? quod haec ipsa tribunalium minus laudabilis conditio videatur inter rationes locum habuisse, quare Deus Davidem et regnum, hac rebellione, castigaverit. Robur addit, quod justitiae neglectus et postea judicium Dei per *famem* pepererit, 2 Sam. XXI. sicut

conniventia

conniventia Davidis ad facinus Amnonis, jam antea *fratricidium* produxerat. Quod quin Absolomus quoque saepe in ore habuerit, ad regi et judicibus invidiam faciendam, vix dubitaverim.

§. DLXXI. *Altera*, qua usus est, ars in eo fuit sita, quod populariter et amice sese erga omnes gesserit, v. 5. quatenus honorem filii regis sibi non sivit tribui, sed unumquemque, tanquam aequalem et amicum, complexus fuit. Quibus artibus *cor virorum Israelis furatus* dicitur v. 6. quatenus fraudulenter et clam adfectus omnium sibi conciliaverit. Sed ad quod multum quoque tribuisse videtur venusta, et Majestatis plenissima, ejus facies, quippe quae plebis animos fascinare solet, de quo etiam testatur, quod illud c. XIV: 25. expresse fuit adnotatum, sicut et de Adonia, regnum invadente 1 Reg. I. Fuit quoque populo acceptus, ut ex oratione mulieris Thekoae patet, simul ex vulgi opinione regno destinatus. Denique improbabile non est, plures inter Benjaminitas ac Ephraimitas male fuisse in Davidem adfectos; uti ex seq. historia colligi potest. Quae, et quorum similia alia, qui ad animum revocaverit, simul mobile vulgus, et rerum novarum cupidos, quales nunquam desunt, adverterit; ei utique minus vedebitur paradoxum, tantam rebellionem contra Davidem, de populo tam praeclare meritum, oriri, sine Davidis praejudicio, potuisse. Quare autem Deus haec omnia permiserit, et ita direxerit, e superioribus non est obscurum. Sed de quo recurret occasio agendi.

§. DLXXII. Rebus ita praeparatis, et clandestina conspiratione pro voto succedente, ea tandem Hebrone, quo Absolomus, permissu Davidis, pro praetenso scopo venerat cum magno comitatu, erupit, inscio Davide. Quantum vero temporis spatium inter clandestinam et publicam conspirationem intercesserit, historia c. XV: 7. tradit, ubi a reconciliatione Absolomi cum Davide usque ad rebellionem, Hebrone institutam, fluxisse dicit *quatuor* annos. Hodierna quidem lectio Hebr. Masorethica habet *quadraginta* annos, sed lectionem esse

Vvv 2 adfectam,

adfectam, et *quatuor* legi debere, Docti jam observarunt. Ita Joseph. Ant. VII: 9. et Syr. interpres non tantum, sed et M. cod. tempore Hieronymi, teste ipso, vel autore *tradit. Hebr.* inter opera Hieronymi, ita jam legerunt, nec 40 ann. lectio ullo modo exponi, aut defendi potest, quod facile foret demonstratu, si hujus esset loci, vel nos non nimium detineret. Potuit autem pro ארבע שנים *quatuor annis*, facile irrepere ארבעים שנה *quadraginta annos*, sive per litteras vocum aut transpositas, aut defectuose expressas, sive per litteras numerales ד *quatuor* et מ *quadraginta* permutatas, sic, ut uno simili defungar exemplo, 1 Reg. V: 6. ארבעים אלף pro ארבע אלפים: 2 Chron. IX: 25. *Hebronem* elegit, ubi scenam aperiret, partim, boni ominis ergo, cum Davidis regnum ibi etiam inceperit, partim quia locus ejus natalis erat, ubi ergo *votum*, cujus meminit, solvere, sive sacrificium facere, et epulum instituere, hoc enim hic est *colere Jehovam*, convenientius erat. Ut autem rebellio facilius, et cum successu, procederet, misit per omnes tribus Israelis cursores, exploratores, et calumniatores, quos omnes ambitu suo comprehendit verbum Hebr., quod hic occurrit, רגל, cujus proprietas est in *circumcursatione*, unde ad explorationem, ac conviciationem, transiit: quod omne nuncii praestiterunt, tentarunt enim animos, nunciarunt Absolomum esse regem, et regnum Davidis, ut antea fecerat Absolomus, vers. 3. conviciis prosciderunt. Denique, *misso nuncio*, Achitophelem, ejus temporis celeberrimum, Davidis quoque, consiliarium, sapientia singulari praeditum, et pro oraculo habitum, arcessivit, et in partes suas traxit. Quod omne phrasis v. 12. *misit Achitophelem* — ex *urbe sua*, denotat, *misit* enim, sensu divite, est, missis nunciis vocavit, et arcessivit: uti Job. II: 5. et alibi.

§. DLXXIII. Conspiratione ita firmata, simul vulgata, David, de ea certior factus, simul in summam conjectus consternationem, consilium *fugae* cum suis consiliariis et servis cepit, non ex timiditate aut praecipitantia, sed *pietate* ac *prudentia*. De *pietate* testatur, quod sese, a Deo humiliari ac castigari sentiens,

[redacted]

sentiens, voluntati Dei, quam e superiore comminatione Nathanis, et singulari hoc casu, in omnibus circumstantiis considerato, collegit, pie ac patienter submisit: cujus clarum sese offert indicium in verbis ejus de Simei, ipsi maledicente c. XVI: 10. *Prudentia* praeterea hanc fugam suasit, quia Israelem, non tantum *sequi* Absolomum, sed cum *adfectu* erga ipsum, quod vers. 13. *cor Israelitarum* esse post *Absolomum* indicat, intellexit, adeoque torrenti ad tempus cedendum esse vidit, ut majora vitarentur mala, quae urbi regiae imminebant, si maneret, et urbs oppugnaretur, et commoti animi, in principio vehementiores, cum tempore fierent remissiores, simul ad misericordiam, respectu miseri et exulis regis, antea adeo aestimati ac delecti, flecterentur. Adcessit, Davidem, ne ipsis Hierosolymitanis fidere ausum, animos eorum per *fugam* voluisse explorare, sintne se secuturi, an repudiaturi? sed fieri quoque potest, ipsum de sui restitutione, post suam humiliationem, ac castigationem, non desperasse; quippe cujus spem e Nathanis praedictione, supra memorata, Dei secum reconciliatione in Salomone nato, et a Deo adoptato, conspicua, aliisque rationibus, animo concipere potuit, licet spem in principio minus fuisse firmam, ex sequente historia elucescat.

§. DLXXIV. Comitemur nunc Davidem fugientem, et diversas periodos ac stationes, casusque, qui ipsi in illis contigerunt, ordine consideremus. *Prima* periodus est egressus ex urbe regia, usque ad torrentem Kedron, statione in *Beth-merchak* posita: v. 16, 17. *Bis* exiisse videtur, primum ex *aula*, cum tota domo, uxoribus, liberis et aulicis, *decem* tantum pellicibus inprudenter, ut eventus docuit, relictis, dein ex urbe ipsa *cum toto populo*, scilicet *militari*, et ipsum comitante, qui nomine *servorum* ejus mox venit. Locus, quo venerunt, et ubi stationem fecerunt, adpellatur בית המרחק seu *domus*, aut locus *remotior*, scilicet ab urbe regia, ad fluvium Kedron. De quo plura non constant. *Secunda* est *transitus* torrentis Kedron, nonnullis casibus insignis, v. 18—29. Transitum [illegible], ita usurpari solitum, et ipse torrens mox

nominatur v. 23. fuit autem et *vallis* et *torrens*, cum aestivo tempore sicco pede transeatur, inter Hierosolymam et montem *Oliviferum* trium tantum passuum, nomen forte habens a *tenebris* et *obscuritate* vallis, quippe inter altos montes sitae, et hortis ac arboribus obscuratae. Transitus vero ita factus est, ut exercitus simul fuerit a Davide recensitus, et ante ipsum transierit. Quo tendit phrasis, *transire* ad *manum* ejus, et quod ipse *ultimus* transierit. Recensentur autem praeter servos Davidis, seu satellites, *Cheretaei* et *Pheletai*, milites praesidiarii ejus ex Cretensibus et Philistaeis, in specie 600 *Gitthaei*, ex urbe Philistaeorum *Gath*, quae Davidi erat subjecta: ut est c. VIII: 1. qui ad ejus *ductum* venerant, incertum *quando*, et qua *occasione*? ut et Philistaei, an Israelitae fuerint? Fueritne *Itthai*, quocum mox memoratur David locutus, unus aut dux eorum, quod communiter volunt, an vir singularis et illustris, qui recens ad eum venerat Hierosolymam, pro certo adfirmari nequit; licet posterius mihi videatur probabilius: distinguitur enim a reliquis, qui etiam jam *transierant*, quum David eum a transitu dehortatur; nec verisimile est, Davidem serio voluisse, si Gitthaeorum dux fuit, ut ipse cum 600 viris suis sese ad Absolomum conferret. Quare autem ipsum malorum suorum socium noluit David, silet historia, tantum rationes, a Davide ad ipsum prolatas, refert, quae nos non detinebunt, licet aliqua luce illustrari adhuc debeant et possint. Inprobabile mihi non fit, Davidem eo quoque scopo ipsum voluisse Hierosolymae manere, quod sibi ad res instaurandas eum utilem esse posse censuerit. Quo ultimae forte voces vers. 20. c. XV. *tecum benignitas et fidelitas est*, vel *sit*, tendunt; sensus enim esse potest, eum eas virtutes conservaturum, ac praestiturum Davidi, sine ulla conspirationis suspicione. Sed singulare est, quod *arcam* Jehovae, quam Zadok et Levitae portantes ad oram torrentis Kedron transtulerant, *cunctante* et *exspectante* tantum Abjatare Pontifice (uti 2 Sam. XV: 24. habetur, modo ibi pro ויעל *et adscendit*, quod nullum admittit sensum congruum, legatur ויחל *et*

ut obhaesit, ac praesidium esset, *donec omnes transierint*, in urbem reportari jubens. Zadocum et Abjatharem pontifices simul instruens, quo modo agerent cum Absalomo. Videtur ita instituisse, quod spe reditus se nutriverit, licet ad omnem eventum paratus. quoque Pontifices censuerit sibi in urbe utiliores esse posse. Addi potest. minus congruum ipsi visum, arcam secum in exilium vehi, qui nuntium Dei sibi incumbentem in toto hoc negotio senserat.

§. DLXXV. *Tertia periodus est adscensus in montem Olivarum, usque ad Absalomi adventum Hierosolymam*: vers. 30—37. David, trajecto torrente Kedron, ad ortum Hierosolymae ulterius processit, ut in desertum Hierichuntinum veniret, et, si necesse sit, Jordanem transiret. Quae in itinere cum mons Olivei erat transiendus, in ejus adscensu flens, capite velato, et discalceatis incessit pedibus, cum toto comitatu, pudore quippe, et tristitia confusus: cujus adfectus rationes non sunt longe quaerendae, sive ad Davidis internum externumve statum, sive ad Urbis et populi conditionem, respiciatur, nemini non obviae. Audit interea nuncius de *Achitophele*, conjurationis socio, (legitur quidem c. XV: 31. *et David nunciavit*, sed vel cum LXX et Chald. leg. הגד *nunciatum est Davidi*, vel cum Syr. ellipsice capiendum, ut sit *nunciavit Davidi*, scilicet *quispiam*, vel נגד coram) quare in vota et preces sese effudit, ut Deus ejus *consilium* reddat *stultum*, sive fatuum, sive pro tali habendum ab Absolomo, et rejiciendum; quod postersius factum est. Perrexit dein in monte usque *ad verticem ejus*, ubi Deum *adoravit*, ad Tsionem et sedem arcae *respiciens*: sed tunc simul obvium habuit *Chusai* Architam, alterum fere Achitophelem, socium intimum vero et consiliarium Davidis, cui et reditum in urbem persuasit, et ut exploratoris personam ibi agat, ac Achitophelis consilium reddat irritum, seque de omnibus rebus certiorem reddat. In quo nihil egerunt David et Chusai, quam quod ejusmodi in casibus fieri moris est inter omnes populos: multa

quoque in hostem publicum, in primis rebellem, et majestatis reum, licent, quae alias forent nefas.

§. DLXXVI. *Quarta* periodus duos continet casus, qui Davidi in itinere a monte Oliveti usque ad Bachurim contigerunt: cap. XVI: 1—14. *Prior* est occursus Zibae, servi Mephiboseti, cum muneribus, qui, domino suo calumniatus, acsi regnum, tanquam paternum et sibi debitum, ambiret, et occupare vellet, Davidi turpiter inposuit, ita ut bona Mephiboseti, praecipiti ductus consilio, dederit Zibae. In quo David sese nimis credulum, simul temerarium praestitit judicem, qui rei, ne quidem probabili, mox fidem habuit, et innocentem, non auditum, condemnavit. Sed fidelitati Zibae, quia non ad Absolomum, nunc superiorem, sed ad se venerat, nimium fidit, et, ut in rebus periculosis fieri solet, omnia facile quae dicebantur credidit. *Alter* casus, qui ipsi, cum ab urbe Bachurim prope abesset, contigit, est, quo ab uno istius urbis civium, nomine Simei, atrocissimis conviciis ac calumniis proscissus, ac diffamatus est, coram omnium oculis. David nondum in urbem eam venerat, sed in vicinia ejus versabatur, ut ex coll. v. 14. patet. Simei vero fuit istius loci civis, et Benjaminita, cap. XIX: 17. et 1 Reg. II: 8. Locus quoque in tribu Benjaminis fuit, et alio nomine עלמון *Almon* adpellatur Jos. XXI: 28. unde oppidum fuisse Leviticum liquet Vid. et 1 Chron. VII: 55. ubi עלמת *Allemet* vocatur. Quae omnia nomina sibi bene respondent, et *juvenes* designant, forte quod *juventutis* bellicae schola fuerit, vel sedes. Vox utique בחורים pro *selectis*, et militibus, usurpatur. Hic Benjaminita, cum Sauli quoque domo arcta junctus necessitudine, quare de *familia domus Sauli* fuisse dicitur cap. XVI: 5. omnem suam bilem, et verbis, et factis in Davidem evomuit. Virum *sanguinum* ipsum adpellavit, ac *Belial*, necemque domus Sauli ipsi inputavit, adeoque justas luere scelerum poenas dicere ausus fuit. Quae atrocissima erat calumnia, ex Abneris et Isboseti nece partim, partim *septem* filiorum Sauli 2 Sam. XXI. si jam ante fuerit facta, nata. Fieri

quoque

quoque potuit, ut facinus Davidis, in Bathsebam et Uriam simul, in oculis habuerit. Emphasin habet, quod dixerit *exi, exi*, vir sanguinum; significat enim eum juste privari regno, et urbe regia, ac in malam rem ire debere: quod v. 8. expressit, *ecce te in malo tuo*, scilicet, quo dignus es. Addidit et alia contemtus ac insultationis in Davidem indicia, in lapidibus mittendis et pulvere concitando. Talia ipsum fuisse in Davidem, tot heroibus cinctum, ausum, mirari subit: sed ira et invidia ipsum in furorem videtur conjecisse; forte etiam contribulium auxilio fretus eo prorupit audaciae.

§. DLXXVII. Interea Deus sua providentia rem ita direxit, ut eo magis humiliaretur David; sicut et ipse intellexit, ac verbis, quibus, generosum alias, inpetum Abisai repressit, significavit, cum dixit, *quia maledicet*, scilicet licite et inpune hoc tempore, quo illud vindicare non licet, *quia* etiam, sic pergit, *dixit ipsi Jehova, maledic Davidi*, novam proferens rationem, quare illud ei nunc inpune sit concedendum, a Providentia Dei petitam; acsi haberetur: praeterquam quod nunc non sit opportunum tempus hunc hominem occidendi, Deus etiam non vult, ut id fiat, quod est *dicere Dei ipsi, maledic Davidi.* De quo, ut recte, et virtutibus Dei convenienter, judicetur, observari velim, nec de praecepto Dei, nec de influxu divino, hoc capiendum esse, sed sensum huc redire, Deum *partim* in eo statu collocasse Davidem, et rem ita direxisse, per justam ac sanctam suam providentiam, ut huic viro *occasio* fuerit nata, bilem, jam diu conceptam, sed occultatam, in Davidem eructandi, illudque praeterea inpune nunc faciendi, partim per has ipsas circumstantias, in quibus Davidem posuit, declarasse, se ipsum hac ratione humiliatum velle, adeoque hoc facinus nunc puniri nolle, sed patienter ab ipso ferri velle. *Dixisse* itaque censendus est Deus huic homini, *maledic Davidi*, quatenus, per providentiam suam erga Davidem, ipsi potestatem et licentiam dedit hoc faciendi, absque ut impediatur, aut puniatur ab ullo, adeo ut, si velit, nunc inpune possit Davidem inpetere, quippe a quo Deus id

nunc non vindicandum, sed patienter ferendum velit. Confirmat et illustrat hunc verbi *dicere* sensum insignis hanc in rem locus 1 Sam. XXIV: 11. ubi David ad Saulum: *ecce viderunt oculi tui, Jehovam te hodie in manus meas dedisse in spelunca, et dixisse, ut te occidam; at tibi pepercit anima mea* etc. conf. vers. 5, 19. sic et hic mox per *facere* Dei explicatur, ubi addit David; *et quis dicet, quare fecisti sic?* h. e. res ita direxisti, ut id fieri, et inpune, possit, ac ferri debeat. Quo etiam facit, quod mox, ut demonstret tempus nunc non esse ulciscendi, sed ferendi, subjungat, ipsum filium suum *petere animam suam*, quod multo gravius utique crimen erat, et tamen patienter a se tolerandum, eique cedendum, cum, Deo id dirigente et concedente, id faciat, adeoque vindictam quoque Deo, suo tempore faciendam, relinquendam esse; sicut subjungit, *fortasse intuebitur Jehova adflictionem meam.* Gessit itaque David sese, in gravi hac calamitate sua, pie, et patienter.

§. DLXXVIII. Relinquamus, cum historico, Davidem in Bachurim, ubi lassus parumper constitit, v. 14. et Absolomi, Hierosolymam tenentis, consideremus facinora. Chusai, intimo Davidis amico, et per speciosas rationes, in genere quidem justas ac bonas, verum ad casum praesentem minus adcommodatas, transitum suum a Davide ad filium ejus, jam regem a maxima populi parte factum, defendente, et Absolomo, minus credulo, inponente, ad societatem suam admisso, sed Achitophele tantum consulto, ejus consilium, quod erat, ut palam, omnibus, qui aderant, intuentibus, in gynecaeum Patris ad ejus concubinas, ibi relictas, intraret, non, ut vulgo putatur, ad palam cum iis concumbendum, quod nimis erat pudendum et absurdum, nec scopo necessarium, sed ut tanquam *Dominum* ac *maritum* sese demonstraret, ac haberi ab omnibus vellet, consilium inquam illud mox exsecutioni dedit. Erat quidem inprobum, attamen politicum, et statui rerum valde adcommodum, *partim* quippe specie juris, secundum opiniones et mores ejus temporis, vestitum, *domus* enim vel

uxores

uxores decessoris cedebant tunc successori, sicut in Davide 2 Sam. XII: 8. quoque adparuerat, *partim* ejus partibus firmandis aptissimum, cum ex hoc facinore elucescebat, Absolomum sese firmiter Patri opponere, simul ei se reddere irreconciliabilem. Quam rationem ipse consiliarius quoque dedit, dicens, *videbit totus* Israel, te Patri *foetidum*, seu invisum et abominabilem, *factum esse*. Vid. et c. X: 6.

§. DLXXIX. *Alterum* ejus consilium, quod *bonum* adpellatur c. XVII: 14. restricte nimirum et relate ad Absolomum, ejusque molimina, quatenus totam rem confecisset, si effectum habuisset, erat, ut ipse Achitophel, cum 12 millibus selectorum, mox hac ipsa nocte Davidem insectetur, nullus dubitans, quin fessum et remissum sit eum offensurus, et perterrefacturus, adeo ut omnes sint fugam capessituri, et David, solus relictus, facile sit obtruncandus. Quo facto, omnes sese sponte submitterent Absolomo, et pax brevi sit populo universo restituenda. Hunc sensum praefert locus c. XVII: 3. qui forte sic optime vertitur: *et reducam universum populum ad Te, cum redierit universitas viri ejus, quem tu quaeris, toti populo pax erit.* Universitas viri istius (id enim, ut alibi, denotat וכל איש) est universus Davidis comitatus, quem credidit sese Absolomo adjuncturum esse, sublato Davide: quo facto, totus Israel sese quietum teneret, et Absolomo subjiceret. Perniciosum Davidi, et Absolomo salutare, hoc consilium, Chusai, nunc Deo rem ita dirigente, ut via ad Absolomum perdendum, et Davidem restituendum, sterneretur, sicut v. 14 dicitur, ab Absolomo consultus, elusit, et aliud dedit, ac persuasit Absolomo, quod, effectui datum, ruinam Absolomi secum traxit. Chusai, posteaquam, hac una tantum vice consilium Achitophelis minus esse salutare, modeste, nec sine laude ejus, declarasset, rationem judicii sui repetit, *cum* a *fortitudine* Davidis et sociorum, per acerbitatem spiritus ob rebellionem magis excitata, *tum* a *prudentia* ejus militari, utraque Absolomo satis cognita: unde colligit, tantum abesse, ut facile aut improviso possit opprimi, ut, in latibulis se occultans, in Absolomi milites sit impe-

 tum

[redacted]

tum subito facturus; et, si vel paucos eorum occiderit, fieri non posse, quin cladem fama mox sit auctura, adeo ut vel fortissimo sit metus incutiendus; cum totus Israel, Davidem esse heroa, sciat. Verba itaque v. 9. *eritque, cum ceciderit inter eos initio*, ad aliquam militum Absolomi cladem referenda sunt, adeo ut *in iis* sit inter milites Absolomi, qui mox *populus*, eum secutus, adpellantur, et phrasis, *ubi ceciderit in iis*, idem dicat, ac ubi vel unus aut alter ceciderit, fama mox in majus augebit, etc. Ex ipsius itaque sententia, quam, Achitopelis refutata, mox profert, totus congregandus est Israel, ipse Absolomus in bellum veniat, ut multitudine, praesentia quoque novi regis animata, opprimatur David; quod facile futurum esse adseverat, sive in agro, sive in urbe aliqua inventus fuerit David. Quod consilium, specie salutare, re ipsa erat Absolomo perniciosum, quia Davidi sic tempus et occasio res suas firmandi, sesque hostibus opponendi, dabatur, simul Absolomus in periculum mortis veniebat; quam ob causam, Davidem secum in bellum ire prudenter noluerunt: c. XVIII: 3. Hoc consilium, fidenter et eloquenter prolatum, magna simul prudentiae specie vestitum, sese Absolomo et Israeli universo adprobavit, nec mirum, cum et tutius videretur, et Absolomo gloriosius, interea cederet ad ejus exitium, Deo etiam rem ita gubernante, ut Absolomus perniciosum consilium praetulerit meliori, et salutari Achitopelis. Quod ipsum historicus non neglexit expresse notare v. 14. dicens, *Jehovam praecepisse, ut irritum fieret* hujus consilium. Quo nihil aliud significatur, quam illud fuisse *voluntati* Dei, qui Absolomum voluit perditum, congruum, praeterea Deo dirigente factum, ut hoc consilium a Chusai, tanto cum successu, fuerit prolatum.

§. DLXXX. David de utriusque consilio per Chusai, missis duobus filiis Pontificum ad eum, certior factus, interea nescius quodnam exsequeretur Absolomus, saltem non certus, tutius, suadente quoque Chusai, sive successus consilii sui adhuc ignarus fuerit, sive mutationem veritus, judicans, Jordanem quantocyus transire, sesque ad bellum praeparare, illud

mox

x fecit. Achitophel e contra, facile praevidens, res Absolo-, consilio Chusai obtemperantis, in pejus ruituras, adeoque i mala morte esse periturum, sese inde in domum suam ripuit, et indignatione ac tristitia ad desperationem, accedente morsu conscientiae, quod Davidem inpugnaverit, reetus, sibi mortem conscivit ipse, incertum quo modo. Verm enim חנק omnem exprimit *suffocationem* et *anginam*, de ad indignationem quoque et iram transfertur. Absolous denique, consilium Chusai secutus, totum Israelem colle-, quippe qui eum secutus dicitur, seseque etiam in terram ansjordanensem, ubi erat David, contulit, omniaque ad aelium paravit, duce constituto, qui Joabum aequaret, *Abi-*, qui sororis matris Joabi erat filius, sed e patre *Ismaelita* tus, uti 1 Chron. II: 17. habetur, unde noster 2 Sam. XVII: . ubi pater *Israelita* dicitur, emendandus est: nulla enim io erat, eum fuisse *Israelitam* expresse notandi, sicut erat, *Ismaelita* fuerit.

§. DLXXXI. Copiae Davidis quantae fuerint, non tradi-, nec Jos. Ant. VII: 10. audiendus est, qui 4000 nume-, cum David tam parvam manum copiosissimo exercitui stili non videatur oppositurus. *Decem* millia fuisse rectius tuitur, si conjecturae locus sit, ex cap. XVIII: 3. ubi Dali dicunt, *tu* (legendum enim pro עתה *nunc*, ut textus bet Masoreth., אתה *tu*, uti LXX) *sicut nos* 10 *millia* h. tanti es, quanti nos omnes, 10 millia facientes. Exercitui redienti ad praelium, cui ipsum interesse noluerunt, ne rte solus ab hoste petatur, et pereat, quippe quo salvo, et ercitu fuso, res maneat salva. Singulare est, quod ducibus militibus serio commendaverit Absolomum, cui parci vot, dicens לאט לי לנער *leniter mihi cum puero*, *cum Absolo-*, proprie *ad lenitatem*: est enim אט vox, rad. אטט, quae aquae placide labentis *leni murmure*, aut *stridulo* ventris inis, adhibetur, et pro *placido*, leni, etiam interiore adfectu commiseratione, usurpatur. Nec sine emphasi נער *puerum* pellat, vel juvenem, respiciens simul ad ejus ruditatem, in-

prudentiam, et petulantiam praecipitem; quam emphasin vox aliquando adfert, et propter quam excusationem ac clementiam aliquam mereatur. Ceterum cum, qui Absolomum viderat suspensum, Davidem dixisse referat c. XVIII: 12. שמרו־מי *observate quis puerum*, vel מי est, *quisquis* fuerit, uti מה usurpatur v. 22, 23. et alibi, vel cum antiquis versionibus legendum לי *servate mihi* in *puero* h. e. quoad eum, ne quid mali ei eveniat. Praelium vero habitum est decretorium in *sylva Ephraimi*, non cis, sed *trans* Jordanem, quippe quem et Absolomus trajecisse dicitur, c. XVII: 24. sicut et ibi David cum suis erat, eo nomine adpellata, non quod ad tribum Ephraimi pertinuerit, erat enim trans Jordanem, sed quod Ephraimo ibi insigne contigerat infortunium, sicut tempore Jephtae Jud. XII, ita et in primis hoc ipso, quo sylva *plures*, forte Ephraimitas, praecipuos in conspiratione, abstulisse legitur. Fuit autem ea clades non tantum 20 millium, quot die praelii sunt gladio caesi justa pugna, sed duplo major, cum bellum dicatur *efferbuisse*, scilicet instar fluvii, extra alveum erumpentis, quae potestas est verbi נפץ, *per totam illam regionem*, et *saltus* plus hausisse, quam *eo die* (scilicet die praelii) adeoque plus quam 20 millia. Qua vero ratione *sylva* id fecerit, silet historia, nec definiri potest, cum variis id fieri potuerit modis: sive, per salebrosa loca inpediti, in manus hostium, sicut Absolomus, inciderunt, sive in foveas, quales ibi plures fuerunt, v. 17. sive per loca paludosa circa Jordanem fuerint absorpti, sive per feras, quae in sylvosis illis locis latitabant discerpti, sive alio modo.

§. DLXXXII. Peculiare fuit Absolomi fatum, nostra dignum animadversione, quo, quercu ramis perplexis inplicitus ac suspensus, *telis* primum a Joabo, dein ab ejus servis, confossus et occisus est. Difficiles habet explicatus, qua ratione ramis inplicitus haeserit? capillos ejus fuisse iis innodatos, vulgata quidem, post Josephum, habet opinio, sed de eo silet historia, nec facile id est perceptu; fieri potuit, ut, capite ramis innexo, sese manibus extricare voluerit, et ita jumento, cui

i insidebat, procedente, suspensus haeserit. Joab, de eo rtior per militem factus, qui manus in eum, regis monitu : ipsi parcendo absterritus, inmittere detrectavit, eo prope- ns, *tela* quidem in cor ejus infixit *tria*, sed non occidit; od mox decem ejus satellites fecerunt. Ultimae enim vo- s v. 14. *adhuc ipse vivus in corde quercus* non significant, sum vivum fuisse, cum telis est confossus, quod facile pa- bat, sed mansisse postquam tela ipsi infixisset Joab; sicut et : eo patet, quod satellites ipsum trucidarint. Quod expres- s fuisset declaratum ab ipso historico, si pro הָאֵלָה *quercu* is punctis legeretur הָאֵלֶּה *illa*, scilicet tela in corde, hoc nsu, *adhuc vivus*, *in corde ista*, vel istis existentibus. Est ique singularis phrasis *in corde quercus*, et mox praecessit *in rde Absolomi.* Infamem mortem excepit similis sepultura, nge aliter, ac ipse sibi paraverat. Filiis enim orbus, quip- : mortuis, quos, teste 2 Sam. XIV; 2., habuerat, splendidum si erexerat in *valle regis*, ad orientalem et australem Hiero- lymae plagam, *monumentum*, ut nomen ad posteros propa- aretur, dictum יד *manum* Absolomi, seu *locum*, signum me- oriale, in quo sepeliri quoque voluit, ita ut *monumentum* si- ul fuerit *sepulchrale*. Sed res aliter cecidit, et in foveam t conjectus, acervo lapidum in ipsum congesto, sicut dam- atis et infamibus fieri solet hominibus.

§. DLXXXIII. Nactus quidem est ingratus et rebellis fili- , simul tantorum malorum autor, sortem facinore dignam, ab quoque, ipsum e medio tollendo, secundum prudentiam git politicam, cum, quod Davidis mollem, et tenerum, erga sum animum haberet perspectum, tum, quod novae essent etuendae turbae, si in vivis mansisset: attamen *justitiae*, agis *clementiae*, regulas migravit, partim quod tam truculen- r ipsum occiderit, et contumeliose tractaverit, personae *filii gis* nulla habita ratione, partim quod, contra expressum Da- idis mandatum, propria autoritate, adeoque illegitime id fe- rit, cum ipsum vivum capere, ac Davidi tradere debuisset.

Aliud fuisset, si in pugna cecidisset, et ab aliquo ita obtruncatus fuisset. Adrogavit itaque sibi potestatem, soli Regi competentem, et non Duci, qualis ipse tantum erat. Sed nec David modum tenuit, aut se in hisce rerum circumstantiis, uti debebat, gessit. Inmoderatus utique, et intempestivus, fuit ejus super morte rebellis filii luctus, uti facile patet, sed et a Joabo invidiosa nimis oratione, damnandisque minis, repressus. Ubi nihil nobis relictum est observandum.

§. DLXXXIV. Finita cum hoc praelio, et Absolomi morte, est rebellio, et de Rege Hierosolymam reducendo deliberatum ac decretum est, primum ab Israele, dein Juda, et Rex magna pompa eo rediit, uti cap. XIX narratur. De Israele traditur, *totum populum litigasse per omnes tribus Israelis*, et regem, post mortem Absolomi voluisse reductum. Ubi per *totum populum* viri militares, ut alibi, videntur intelligendi, qui post funestum praelium redierant domum, uti modo erat dictum. Illi reliquos contribules ad regem quantocyus restituendum excitare coeperunt, argumento a superioribus ejus praeclaris in populum meritis, et Absolomi infelici conamine ac morte ducto. Quo audito David, de Juda, sua tribu, solicitus, ad Pontifices, Zadokum et Abjatarem, misit, Hierosolymae degentes, ut seniores Judae de Israelis proposito certiores redderent, et eodem flecterent, ne in eo segniores essent, et ab Israele se praeveniri finerent, simul Amasae animum regis, in ipsum pronum, declararent, eo etiam usque, ut eum in locum Joabi sit suffecturus. Quo David sese quidem mitissimum, simul prudentem praestitit, ut motus sine ulteriore clade finerentur; attamen intempestive, nec satis juste, Amasae tantos obtulit, in praejudicium Joabi, honores: ut facile cernitur, et sequens historia quoque docet.

§. DLXXXV. Davidi, sese ad reditum Hierosolymam adcingenti, ut casus, qui in itinere contigerunt, ordine enarrem, Simei non tantum citissime, una cum tribu Juda, ante reliquas tribus, sed et cum insigni comitatu tribus Benjaminis, ipso quoque Ziba, illo servo et calumniatore Mephiboseti, Davidi

grato,

grato, occurrit trans Jordanem, secum quoque ducens naves transvectorias in usum regis, et domus ejus. Quo mihi vers. 19. tendere videtur, *et transiit scapha ad trajiciendam domum regis, faciendumque, quod ei* (Davidi) *videretur.* Capiendum enim illud est de scapha transvectoria, a Simei procurata: ut nexus narrationis docet, et verba, *ad faciendum, quod regi placeret*, confirmant. Procidit mox coram Rege, jam jam transituro, adeoque ante trajectum: dicitur enim v. 19 fin. id factum, בעברו *cum transiret ipse* Rex *Jordanem.* Culpam fassus veniam inplorat, ac de animo serio poenitente, et in melius mutato, colligi supplicat ex prompto ad Regem adventu, antequam de aliis tribubus quisquam adcessisset. Illud enim sibi vult, quum v. 21 dicit; veni *primus ante domum Josephi totam*, scilicet Ephraimum, et reliquas tribus; eo nomine simul comprehensas, quia Ephraim erat praecipua. Sensus itaque non est, ipsum esse *Ephraimitam*, nam Benjaminita erat, sed primum, vel ante venisse. *Primus* לכל est hoc loco *ante omnem domum:* uti ל et alibi sumitur. Inpetravit quoque veniam a Davide, quem Abisai frustra ad necem ei inferendam incitavit, hac ducto ratione: quod nimis laetus esset dies, quam ut alicui persecutorum Davidis poena infligatur capitalis. Juravit quoque Simei, ipsum non esse moriturum propter facinus ejus, nisi postea nova accesserit ratio, quae hoc ipsum vindicare jubeat, uti factum est tempore Salomonis 1 Reg. II. Praebuit in eo David insigne clementiae, et prudentiae politicae, specimen. De eo si poenam sumsisset, utique reliquos Israelitas et Benjaminitas a se abalienasset.

§. DLXXXVI. Erga Zibam, servum Mephiboseti, David sese nimis benignum gessit, cum eum ob calumniam non castigavit, nec Mephibosetum gratiae suae plene restituit, tantum sententiam ante pronunciatam mitigavit, et dimidia nunc bonorum parte eum tantum mulctavit. Excusavit quidem sese Mephiboset, et servum calumniae reum egit, sed David Zibae, qui tam bene de se meruerat, gratificari, nec sententiam revocare voluit, forte etiam de innocentia Mephiboseti non

Yyy plane

plane convictus. Contigit quidem hic caſus Hieroſolymae, poſt reditum Davidis, ut ex v. 26 patet, ſed caſui cum Simei ſubjungitur, quia cum eo venerat Ziba, cujus mentio occaſionem dediſſe videtur eum hoc loco narrandi. Erga Barzillai, a quo multis beneficiis erat cumulatus, in tractu Transjordanenſi verſatus, qui et nunc venerat, ut regem trans Jordanem comitaretur, ſeſe gratum et benevolum praeſtitit; quem, cum ſe Hieroſolymam ſequi nollet, multis cum ſinceri adfectus ſignis dimiſit, filio ejus ſecum ducto Hieroſolymam.

§. DLXXXVII. Laetam hanc rerum Davidis cataſtrophen intercepit, et turbavit, intempeſtiva Judae et Iſraelis contentio, ex invidia et aemulatione Iſraelis orta, quod Juda traduxerat Davidem trans Jordanem, non exſpectato Iſraele, unde novum eſt ſchiſma, cum rebellione erga regem, ortum, ſed brevi ſopitum. Occaſionem praebuit traductio regis per Jordanem a Juda, non exſpectato Iſraele, uti v. 42 traditur, et v. 11 per voces, *traduxerunt regem*, de Juda uſurpatas, innuitur: quippe eo fine expreſſe ab Hiſtorico additas, ut anſa contentionis innoteſceret. Verba, ut eorum ſenſum tradam, exhibebo, et *tranſiit rex Gilgalem* — — — et *totus populus Judae cum ipſo*, et *traduxerunt regem* (h. e. qui populus Judae, traduxerunt regem trans Jordanem) *et etiam dimidia pars populi Iſraelis*, (ſcilicet erat cum rege, Gilgalem veniente) Contentio tamen non erupit, niſi poſtquam totus Iſrael ad Regem, Jordane jam trajecto, veniſſet, uti v. 41 narratur. Antea quidem *dimidium* Iſraelis regi adfuerat, ſcilicet pars Iſraelis promtior, et in Davidem pronior, qui citius ſe ad eum contulerant, de quo ex v. 10. etiam conſtat; ſed poſtea, cum rex, Jordane trajecto, jam paululum progreſſus erat, reliqua Iſraelis multitudo acceſſit, quando contentio in nervos erupit. Initium ſumſit ab Iſraele, cum Juda coram Rege ex poſtulante, quod *regem furati* ſint, eum trans Jordanem, ſe non praeſente, ducendo; v. 42. Quo verbo, ſe inſcio et inconſulto, illud factum eſſe, non tantum indicatum voluerunt, ſed et contra *jus* ſuum, nec non per fraudes, arteſque clandeſtinas; quod poſterius non erat

at a veritate multum alienum; vid. v. 12— Acrior facta
t contentio per Judae responsum v. 43. quo ad vicinita-
m ac propinquitatem suam cum Rege, quippe ex Juda, pro-
cavit. Quo irritatus Israel regessit 1. se longe esse et nu-
ero et viribus majorem, quippe *decem* habere in regno, ade-
que et Rege, partes: unde liquet Benjaminum Judae adhae-
se. 2. Se prius, et ante Judam, de Davide reducendo con-
ium cepisse, v. 44. quod verum erat.

§. DLXXXVIII. Eventus contentionis fuit quidem Judae
vorabilis, sed Davidi in initio noxius. Judae causam praeva-
isse Historicus his verbis v. 44 fin. tradit, *et durum erat ver-
um Judae prae verbo Israelis.* Quibus non, ut passim puta-
r, significatur, Judam esse insolentius locutum, quod vel a
obabili abhorret, sed verbum Judae fuisse solidius et fortius,
Israele nec solvendum nec ferendum, adeoque causam, et
sceptationem, quem usum forensem speciatim praefert vox
רי *verbum*, praevaluisse. Verbum vero קשה etiam de eo
hibetur, quod explicatu ac solutu est difficilius, uti Exod.
VIII: 26. Deut. I: 17. Sic et vox, inde derivata, pro
tentiore sumitur, 2 Sam. III: 39. *ego hodie mollis et unctus*
m inquit David, *et viri illi, filii Zerujae, sunt duri prae me*,
a me potentiores. Sed intempestiva haec contentio, non
iidem a sinistro Israelis erga Davidem adfectu, sed pura
mulatione ac invidia in Judam orta, et a Juda inpruden-
r aucta, novam schismatis, ac seditionis, dedit occasionem,
tore Seba, e tribu Benjaminis, viro nequam, licet nonnul-
s autoritatis, qui, odio filiorum Jemini in Davidem accen-
s, clamavit, *non est nobis pars in Davide, neque haereditas*
filio Isai, pro rege itaque nostro non amplius habendo, c.
X: 1. Respicitur quidem ad dictum Israelis c. XIX: 44.
10 *suis partibus in Davide*, sed formula fuisse videtur, qua
i vel personae renunciatur. Quo concitatus Israel, superiore
ntentione, ac inferioritate causae suae, forte a Davide etiam
ndemnatae, etiam irritatus, secessit in loca sua, Davide re-
to, qui cum Juda tetendit Hierosolymam, et domum suam

 ordinavit.

ordinavit. Ceterum summa Israelis aemulatio, simul incredibilis vulgi mobilitas et hinc elucescit.

§. DLXXXIX. Ad novam hanc rebellionem, mox in ortu suo, superandam misit primum David *Amasam*, ut Judam colligat, sed intra triduum redeat, adeoque eo scopo, ut animum ejus, qui dux Absolomi fuerat, exploraret, forte et opinatus, Israelem citius ad saniorem mentem rediturum esse, cum veterem suum ducem contra se armatum videret. Interea, licet Amasam, remoto Joabo, non constituerit hoc suo jussu supremum ducem, ut putatur, cum eum ad copias tantum colligendas, fixo tridui spatio, miserit, illudque nimis temerarium fuisset, et Joabum exacerbasset, propositum suum, jam antea c. XIX: 14. intempestive prolatum, de Amasa in posterum Joabo sufficiendo, hoc facto haud obscure significavit; quod ipsum, a Joabo animadversum, ansam ei dedit ipsum, ut antea Abnerum, occidendi. Amasa vero supra statutum tempus, incertum qua de causa, moras nectente, David, de successu rebellionis magis sollicitus, veteres suos duces, cum statis tantum militibus suis, misit ad Sebam persequendum, antequam sese Davidi adeo subducat, ut inveniri nequeat, aut in majores Davidem conjiciat angustias, ut exitum vix reperiat; de quo utroque capi potest phrasis *extrahere oculos* alicui, qua David utitur de Seba, c. XX: 6. dicens, *ne capiat urbes munitas*, et *extrahat oculos nostros:* uti verbum נצל vertendum est. *Oculos* alicui *excutere* dicere potest, se alicui subducere, ut nusquam possit inveniri, ansa ab occaecatione arrepta, qua lumina oculorum alicui eripiuntur, sed et significare potest, aliquem privare mediis, sibi, rebusque suis, recte prospiciendi, et consulendi, eumque in summas conjicere angustias, ut exitum non reperiat. Videtur proverbialis esse locutio, pro consilio et opibus quem privare, ac in desperatam redigere conditionem. Interea Joabo et Abisai, in itinere juxta Gibeonem, occurrit Amasa, una cum militibus collectis, ut ex v. 11. patet, tendens Hierosolymam ad Davidem: quod phrasis v. 8. *et Amasa venit ante illos* h. e. in occursum illorum, denotat,

et

et mox a Joabo fraudulenter, sub specie amicitiae, obtruncatus est, dextra enim prehendit barbam ejus, ad osculandum, et sinistra habebat gladium, a quo sibi non cavebat Amasa, eum, quod *sinistra* manu ferret, tum, casu factum videretur, quod gladium strictum gereret, *ceciderat* enim in procedendo, et sublatus erat, uti c. XX: 8. fin. traditur, *et processit*, scilicet Joab, et *cecidit*, scilicet gladius. Junguntur duo verba, quae ad diversa pertinent subjecta: prius ad Joabum, posterius ad gladium, teste quoque diversitate gen. masc. et foemin. Fecit illud Joab partim, ut aemulum suum e medio tolleret, partim forte rebellem, quem David inprudenter in gratiam receperat, puniret, praetextum praebente suspicione, de nova rebellione Amasae, ex nimia ejus mora. Quo nefarie occiso, milites, quos collegerat, in principio, cadavere ejus in terram conjecto ante oculos, turbati constiterunt, nec ulterius pergere ad Joabum voluerunt; illi enim intelligendi sunt per *populum, qui ad Amasae cadaver constitisse* dicitur v. 12. Alii utique ac ejus socii et milites sese a Joabo sequendo non passi fuissent, viso cadavere, abstrahi. Eo autem ex oculis sublato, et ad sequendum admoniti, ne pro rebellibus habeantur, sese ad Joabum contulerunt. Ultima enim verba v. 12. *quemadmodum vidit omnis* etc. cum sequent. sunt jungenda, et de iisdem intelligenda, ut sensus sit: omnes qui substiterunt, ad Joabum, cadavere sublato, venisse.

§. DXC. Seba interea, per omnes tribus Israelis pervagatus, et a sociis, qui se Joabo adjunxerunt, desertus, confugit Abelam et Beth-maacham, in septentrionali parte Cananaeae versus ortum, sitam, ut ibi, tanquam in asylo, sese pro tempore tueretur. Hunc enim existimaverim sensum esse v. 14. hactenus non recte perceptum. Verba haec sunt, quae exhibebo et exponam: *et transivit per omnes tribus Israelis Abelam* (scilicet, non Joab, ut multi volunt, sed *Seba*, ut rectius alii; quippe cujus proxime facta erat mentio. Congruum quoque erat ante narrari, quo se contulerat Seba, quam Joabi insecutio traditur,) *et omnes sectarii et spreverunt eum.*

 (Sebam)

(Sebam) *et venerunt post eum* (Joabum,) h. e. sodales Sebae ab eo ad Joabum defecerunt. Qui sensus ut adpareat, notandum est, vocem חברים, vel חִבְרים, utroque enim modo legi potest, *socios*; vel *sodales* Sebae denotare, ac cum sequente verbo cohaerere. Vox חבר a rad., Arabibus usitata, *secuit*, transiit ad sectam et partes, potestque de iis usurpari, qui *partes* fecerunt in regno, vel *sectam*, quod huc egregie facit. Quod idem, licet ab alia significatione originaria, designat vox חברים, speciatim adhibita de sectam sequentibus, in primis in malum, seu sodalibus, uti Jes. I: 23. Hos. VI: 9. Prov. XXIX: 24. Job XXXIV. 8. Legi itaque et punctari debet חֲבֵרִים, vel חַבָּרִים. Praeterea verbum ויקלהו textuale, omnino retinendum, et non marginale, est a קלה cum ה quiescente, et hic punctandum יַקְלְהוּ pro יקלוהו in Hiph. tert. fut. plur., vertendumque *et spreverunt eum*, scilicet *Sebam*, *sodales ejus*, ab eo ad Joabum desciscentes.

§. DXCI. Hac in urbe cum latitaret Seba, ea mox a Joabo, cum hoc audivisset, obsessa est, et oppugnata, sed a sapiente muliere, quae, rationis obsessae urbis ignara, Joabum ab urbe expugnanda deterrere conata est, ea autem a Joabo intellecta, tantum sapientia sua effecit, ut caput Sebae amputatum ipsi fuerit oblatum. Quo facto inde discessit Joab, et tota rebellio finita est. Quae historia v. 14—22 narratur, nec aliquid offert animadvertendum, praeter rationes, quas foemina habuit ad Joabum, quem putabat hostili in urbem animo eam petere, a proposito absterrendum: quas, utpote ad scopum nostrum pertinentes, exhibebo et exponam, 1. Prima ab antiqua consuetudine, in lege Deut. XX: 10. quoque fundata, quam Joab negligere non debuisset, petitur, qua urbi ante pax offerebatur, quam oppugnatur, his verbis *loquendo loqui solebant* (scilicet de *pace*; uti recte Chald. et ex peculari usu verbi דבר, quo pacem et amicitiam ambire denotat, erui potest) *in principio* (sive antiquitus, sive antequam irruant) 2. Secundam suppeditat *sapientia* incolarum urbis, ubique celebrata, adeo ut consilia inde

fuerint

fuerint petita, ac oraculi instar habita, quare etiam mox אם *mater* in Israele adpellatur Debora Jud. V. Quacum urbe ante erat instituenda deliberatio, quam hostiliter invaderetur, maxime cum, pro sapientia sua, adeo decantata, censeri potuerit justae petitioni satisfactura. Quae verba tendunt: *consulendo consulerent solebant*, et solent, *Abelam*, et *sic absolvebant*, partim ulterius non rogando, partim ei obediendo. 3. Tertia a pacifico urbis studio, ac nota fidelitate ducta est, his verbis v. 19. *ego sum perfecti fidelium Israelis*, ut Coccejus in Lex. ad vocem אמונה vertit, et de perfecta fidelitate interpretatur. Ceterum crudele urbem destruendi propositum imputat Joabo, quod Sebam ibi latitare, et in regem esse rebellem ignoravit. Ex quo, quod modo dixi, eum a sociis relictum eo, ut latitaret, confugisse, confirmatur.

§. DXCII. Tristissimi fati rebellionis Absolomicae historia absoluta, dispositio munerum aulae et regni Davidis subjungitur, et superiorem, cum regnum ejus, hostibus vicinis debellatis, firmatum esset, et pacificum, 2 Sam. VII. fin. fuisse repetitam, traditur, prorsus opportune, *cum* ob Joabum, quem, non obstante caede Amasae, ei substituendi, in munere reliquit, quod rebellionem feliciter domasset, *tum* quod regiminis forma per rebellionem esset turbata, David quoque de novo in regno firmiter stabilitus, et de novo quasi rex factus, uti ipse fassus est c. XIX: 23. Ceterum nulla facta est mutatio si *Seja*, vel *Sera* idem sit, quod probabile, qui *Seraja*, nisi quod *Adoram*, idem ac Adoniram, 1 Reg. IV: 6. Coll. XII: 18. *praefectus tributorum*, addatur, et *Hira*, Jaërita, Manassita, ex posteris Jaërae, filii Sagubi, in terra Gilead, Num. XXXII: 21. et 1 Chron. II: 22, una cum *filiis* regis c. VIII. fuerit intimus minister aulicus, vice regis, factus: quem sensum praefert vox כהן *sacerdotem* alias, hic *vicarium* regis, quare non Dei, sed *Davidis* dicitur, denotans: uti satis constat.

§. DXCIII. Bello intestino finito, nondum ab omni periculo et calamitate fuit perfecte inmune Davidis regnum. Philistaei enim incursiones hostiles suas renovarunt, et populus

per pestem, divinitus inflictam, fuit punitus, occasione census a Davide inprudenter et illegitime instituti. *Prior* casus c. XXI: 15— et 1 Chron. XX: 4— narratur, et quatuor comprehendit praelia cum Philistaeis, qui regnum denuo, occasione forte intestini belli, et turbati regni, per Absolomum et Sebam, captata, infestarunt; quos itaque David mox, bello intestino finito, antequam, regno pacato, regiminis forma fuit ordinata, *quatuor* debellavit praeliis, adeo ut ab eo tempore diu quieverint. Fuisse autem haec praelia *post*, et non, quod alii volunt, *ante* bellum intestinum, habita 1. Series historiae requirere videtur, cum phrasis v. 15. *et fuit postea bellum* (voces ultimae v. 14. cum seq. omnino connectendae sunt, et leg. ויהי אחרי כן et *fuit postea* ad *huc*, uti in seq. v. 18—20.) alio, ac ad supra narratum bellum intestinum, referri commode nequit, cum ad bellum progressum respiciat. Praecessit quidem proxime calamitatis, causa justitiae neglectae in vindicando sanguine a Saulo fuso, narratio; sed ea pericopa habet conspectum adpendicis, nec suum tenet locum in historia Davidis, ut mox videbimus. Confirmat datam rationem locus parallelus 1 Chron. ubi haec bella subnectuntur, eadem adhibita phrasi, bello *Ammonitico*, historia rebellionis Absolomi silentio involuta. 2. Cum in primo, hic memorato, praelio populus juramento constituerit, Davidem non amplius in praelium iturum esse, David utique in praelio cum Absolomo id iterum non tentasset, ut fecit, si jam antea hoc fuisset tam severe prohibitum, ut fuit, si hoc praelium praecessit. Populus itaque ad hoc decretum non respexit, cum Davidem secum in praelium cum Absolomo ire noluit, cujus etiam nulla fit mentio. Sed peculiari ratione ductus id tunc noluit, quia sciebat, Davidem tunc in primis ad necem quaeri. Ad quam pericopam uno defungar observato, ut locus 2 Sam. XXI: 19. cum 1 Chron. XX: 5 concilietur. Habet autem, vera lectione utrobique restituta, versum hac ratione esse legendum, *et percussit Elchanan filius Jahare-oregim* (vel simpliciter *Jaharis*, uti 1 Chron., voce *oregim* ex sequente huc vitio translata) *Bethlechemita*,

Bethlechemita, *Lachminum*, *fratrem Goliati Gitthaei.* Excidit loco Sam. nomen לחמי *Lachmi* per superiorem vocem בית לחמי absorptum, sicut in loco Chron. eadem de ratione excidit, בית הלחמי *Bethlechemita*, praeterea pro את ex loco Chron. legendum 1 Sam. אח *fratrem* Goliati.

§. DXCIV. Ultima tandem superest calamitas, quae regnum Davidis adflixit, ex ambitione et temeritate ejus nata, sed felici fine coronata; censum Israelis et Judae ab ipso institutum innuo, indeque ortam pestem, judicio divino populo inflictam, quam singularis Dei beneficentia in loco Templi signando excepit. Quae historia traditur cap. XXIV. et 1 Chron. XXI. Licet *tempus*, quo hic casus contigit, pro certo, tacente historia, definiri nequeat, plusquam probabile tamen mihi est, circa ultima Davidis tempora, post omnia in libro Sam. narrata, accidisse, non tantum quod ordo narrationis non sit sine urgente ratione migrandus, sed praecipue quod in loco Chron. bellis cum Philistaeis subjungatur, et cum ultimo regni Davidici tempore connectatur. *Loco* enim Templi, a Salomone aedificandi, Davidi hac occasione divinitus monstrato, ipse mox omnia ad id praeparasse, Salomonem instruxisse, et regem fecisse narratur. Multorum quidem habet opinio, casum subnectendum esse judicio famis *triennalis* cap. XXI., cum, quod Deus *perrexisse* dicatur *irasci Israeli*, relate scilicet ad superius judicium, tum, quod *septem* anni *famis* memorentur, v. 13. et in loco Chron. *tres* tantum, quod rectius conciliari non posse videtur, quam *tres* annos famis superioris addendo: sed hae non sufficiunt rationes; non *prior*, quia phrasis generalis est, et in genere tantum significat, Deum iterum, *rursus*, se demonstrasse iratum, non *simul* tantum, aut *proxime:* variis enim vicibus, etiam tempore Davidis, id contigerat. Referri etiam potest ad bellum intestinum, irae Divinae populo incumbentis quoque signum, quod proxime etiam praecesserat. *Posterior* ratio, praeterquam quod omni careat fundamento, cum phrasi nequit conciliari; forent enim tunc *sex*, et non *septem* anni famis dicendi, praeterea *septem* anni

ni famis proponuntur Davidi eligendi, nec ne, adeoque in futurum.

§. DXCV. Cum 1 Chron. XXI: 1. David ad populum, in magnum ejus damnum, recensendum incitatus legitur per *Satanam*, isque non השטן ὁ σατανᾶς *Satanas ille*, sed simpliciter שטן *Satan* adpellatur: *princeps* spirituum malorum directe intelligi nequit, quippe constanter השטן, nusquam שטן *Satan*, vocari solitus, uti ad Ps. CIX: 7. jam observavi; sed quicunque et qualiscunque adversarius, isque, interiore vocis virtute, *ferventissimus* et obstinatus, rancore et odio innstus, sive sit spiritus aliquis malus, qualis qui vatibus Achabi inspiravit mendacium 1 Reg. XXII: 21. sive occultus aliquis ex hominibus consiliarius malus, qui vel animo nocendi populo, vel ex inprudentia, Davidi hoc faciendi autor fuit, adeo ut sese erga eum gesserit, acsi ejus esset inimicus: quod Clerico placet. Quod si unum talem malignum suasorem ex hominibus, tam absolute *Satanam* denominari, nimis durum ac insolitum alicui, non sine ratione, videatur, is locutionem tanquam proverbialem, et usu receptam, capiat in genere, ut tantum designetur, Davidem malo et pernicioso consilio, undecunque suggesto, fuisse ad hoc facinus compulsum, adeo ut ab insigni aliquo ac maligno adversario censeri queat extimulatus. Ceterum ex hoc loco omnino supplendus est 2 Sam. XXIV: 1. *Et ira Dei postea iterum accensa est in Israelem, et incitavit Davidem*, etc. sive post ויסת exciderit שטן Satan, quod per verbum illud facile fieri potuit, ut sit, et *incitavit Satan* Davidem, sive mente intelligi debeat *aliquis*, ὁ δεῖνα, quales ellipses non sunt insolitae; quod idem foret, ac *incitatus est David*. Utique illud potius statuerim, quam ut cum *Jehova* construatur. Licet enim Deus dici posset id fecisse, quatenus permisit, et providentia sua rem ita direxit, ut David in illud inciderit consilium; comparatio tamen cum loco Chron., et duritas dicti, facit, ut in eam, quam proposui, sententiam descendere malim.

§. DXCVI. Sed in lucem, si pote, proferamus, quid peccati

cati in hoc censu fuerit a Davide commissum? et quare pro *signo* irae Dei in Israelem sit habendum, quod Davidem id facere permisit, et populum ipsum propterea punivit? Cum illud in Script., nec hic nec alibi, quantum novi, distincte tradatur, difficulter aliquid definiti et certi adfirmari potest. Quare nonnulla suffecerit in medium produxisse, quae ejusmodi *censum* criminosum, praecipue in Israele, populo Dei, cujus supremus rex Jehova erat, reddere possunt, quae magis minusve in hoc casu et Davide locum habere potuerunt, sive principii et scopi, sive ipsius census, ratio habeatur. Quod ad *prius* adtinet, *census* iste 1. oriri potuit ex ambitione et gloria, quatenus Israelem considerari ac tractari voluerit tanquam populum suum, a se, suisque viribus ac prudentia, liberatum et prosperum factum, suo itaque dominio subjectum, quoque pro arbitrio uti possit, sive ad militiam, sive ad opera servilia, sive ad tributa. Quibus in casibus solebat *census* institui? Quo cum 2. proxime conjuncta esse potuit *fiducia* de prosperitate hac firmiter stabilita, et duratura, in populi multitudine, et propriis viribus sita, absque ut ad animum revocaverit, se Deo omnia debere, et omnia etiam ab eo exspectanda esse. Quo ipse respexit Ps. XXX: 78. ut in Comm. docui. De hisce principiis, et hoc scopo, testari videtur, *cum* quod 1 Chron. XXVII: 23. dicatur, *ipsum non recensuisse numerum eorum a* 20 *annos natis*, *et infra*, *quia dixit Jehova*, *se Israelem instar stellarum coeli aucturum*, argumento, ipsum majorum natu numerum scire tantum velle, convenienter scopo, modo memorato, *tum* quod Joab, ipsum dehortatus, dixit, 1 Chron. XXI: 3. *nonne omnes illi sunt servi tui?* acsi dicat: quid aliud ac majus quaeris subjectionis signum? omnes esse servos tuos, tibi sufficiat. *Posterioris*, sive *census* ipsius, si ratio habeatur, in eo, qua tali, crimen quoque locum habere potuit, a. quia *censum* fieri noluit Deus, nisi ad *sacrum* tributum Deo, tanquam supremo regi, in signum subjectionis, solvendum, addita quoque interminatione plagae divinitus infligendae, si illud negligatur. Exod. XXX: 12, 13. quod Jos. Ant. VII: 13.

 etiam

etiam observavit, sed nihil hic de hoc *tributo* soluto habetur, contra David se, loco Dei, maxime tanquam regem et dominum in oculis habuit. β. Cohaeret, censum a Rege nomine proprio fieri noluisse Deum, quia nimiae subjectionis signum in eo foret, cum Israel sit Dei, et non regis, populus. De quo modo dixi. Ceterum ratio, quare Israel *malum* illud senserit, est, *partim*, quod castigari ob crimina sua meruerit, facto Davidis occasionem tantum praebente, *partim* vel participaverit peccatum Davidis, in *tributo*, ut per legem debebat, non *soluto* Jehovae, vel malum simpliciter, sine poenae propriae conspectu, expertus sit, et David in populo punitus. Sicut liberi, licet innocentes, subinde mala, parentibus in poenam inflicta, subeunt, ita, secundum vetus dictum, *Quicquid delirant reges, plectuntur Achivi.*

§. DXCVII. Censu per Joabum, licet minus plene et adcurate, cum ipsi valde displicuerit, instituto, et numero civium ad Davidem relato, Judae scilicet 500 millium, et Israelis, non 800 mill. ut in libro Sam. vitiose legitur, sed 1100 mill., ut in libro Chron. habetur, nulla ceteroquin foret proportio inter unius tribus Judae, et reliquarum omnium: David, facto ad animum revocato, peccatum suum mox intellexit, et cum seria confessus est poenitentia, divina quoque gratia et venia inplorata. Inpetravit quoque ex parte, quatenus Deus ipsi, et domui ejus, pepercit; sed, ut cum populo in posterum cautius ageret, simul ut nomen Dei sanctificaretur, *poena castigatoria* Deus illud prosequi voluit, uti in peccato cum Batseba factum est 2 Sam. XII. Concessit itaque Davidi unius ex tribus plagis, *fame*, *bello*, *peste*, electionem. Quae prima plaga *tres* annos duraret: quod enim fames *septem* annorum Davidi in loco Sam. legitur proposita, vitio librariorum, in numeris facile aberrantium, adscribendum est, cum in loco Chron. *tres* anni habeantur, et illud *trimestri* bello, ac *triduanae* pesti, rectius adjungatur: sicut a nonnullis jam est observatum, et comprobatum. Elegit David *pestem*, satius ducens, in manus Dei misericordis incidere quam hominum crudelium.

delium. Invaſit populum *peſtis*, ſed intra definitum tempus, ad preces Davidis et aliorum, terminata. Incepit eo ipſo mane, quo Davidi oblata eſt electio, verſ. 11. duravit, inde uſque ad *mane* temporis *ſtatuti*, ſeu *tertiae* diei, qui tertius dies cum addendus foret, ad *triduanam* peſtem conficiendam, Deus, miſericordia motus, finem inpoſuit, tempore adbreviato. Hunc ſenſum adfert v. 15. his verbis: *peſtem inmiſit Jehova a mane illo uſque ad* עת מועד *tempus conſtitutum*, h. e. initium *tertiae* diei: ducit enim vox מועד *conſtitutum* nos manifeſte ad *triduum* peſtis, a Deo condictum.

§. DXCVIII. In modo, quo plaga ceſſavit, *duo* ſeſe offerunt ſingularia, *locus* ſcilicet ſacrificii, a Davide oblati, et complacentiae Dei publicum ſignum in *igne* divino, 1 Chron. XXI. Quae duo eo tendebant quoque, ut locus Templi divinitus ſignaretur, ſicut ex loco cit. et 2 Chron. III: 4. manifeſtum eſt. Cum David, gladio minitantis Angeli perterritus, ſeſe movere, et Gabahonem, ubi erat Tabernaculum, et locus ſolennis ſacrificandi, conferre non fuerit auſus, propheta ei nomine Dei ſuaſit, vel juſſit, ut altare in area Araunae Jebuſaei exſtrueret, et ibi ſacrificaret, id fecit, area ab Arauna juſto pretio emta (ſcilicet 50 ſiclorum argenteorum 2 Sam. XXIV: 24. toto vero loco, in quo erat area, 600 ſiclorum aureorum, 1 Chron. XXI. qua ratione loca videntur concilianda.) Hunc enim ſenſum fundit pericopa 1 Chron. XXI: 28—30. minus recte accipi ſolita, acſi ad ſequens reſpiceret tempus, et traderet rationem, quare poſtea in excelſo Gabaonis Deum non coluerit: quod alienum eſt, cum ſequente tempore dici non potuerit per gladium Angeli inpediri, quominus eo tenderet, ut hic habetur. Pericopa itaque *adpendicis* gerit conſpectum, et propriam ſedem habere debuiſſet, poſt verſ. 17*mum*. Nec eſt inſolitum, aliquid in fine ſermonis, loco licet alieno, ſubjungi ad ſuperiora illuſtranda: uti ex. gr. Jeſ. XXXVIII: 11, 12. Jon. II: 11. Ceterum, Davidem ex hoc complacentiae Divinae ſigno jam mox collegiſſe, Templum ibi aedificandum eſſe, 1 Chron. XXII: 1. clare docetur,

his verbis: *hic ipse* locus *domus Jehovae Dei*, *et hic altare holocausti Israelis*: nomen enim מקום *locus*, in vocula זה *hic* mente suppleri debet, ut sensus sit: hunc ipsum, tam insignem locum et nunc esse a Deo ipso consecratum, et postea futurum Templum Jehovae. Vox enim illa facile e superioribus repetitur, sicut alibi etiam additur, vel subintelligitur, ex. gr. Gen. XX: 11. et XXVIII: 16. Ceterum, ut illud obiter observem, Arauna in vota Davidis eo promtius concessit, quod et ipse Angelum destructorem viderit, ac perterritus *retro cesserit* (quod verbum ישב denotat) opere triturandi, quo occupatus erat, misso facto, et filii ejus quaesiverint latebras; sed viso Davide, hilariore vultu ad se tendente, animosior fuerit factus, metu deposito: quae emphasis est verbi יבא, Hic sensus est 1 Chron XXI: 20, 21. ubi vox מלאך *angeli* omnino est retinenda.

§. DXCIX. Praeter hos tristes regni Davidici casus, seu calamitates, cum in ejus tempus adhuc incidisse memoretur *fames* trium annorum, ob Sauli facinus in Gibeonitas, sed a Davide non vindicatum et expiatum, cap. XXI: 1—14. de eo aliquid est dicendum, antequam laetam et ultimam hanc regni Davidici periodum enarrem. Est enim casus nimis notabilis, quam ut ab historiam tractante omitti possit, in primis respectu *temporis*, quo crimen a Saulo in Gibeonitas est commissum, quoque nunc per *famem* David de eo vindicando est admonitus. Facinus Sauli, specioso quidem Zeli populi Israelis praetextu coloratum, vere atrox, et contra juramentum ab Israele olim, tempore Josuae, factum, fuit situm, partim in caede Gibeonitarum, partim ignominiosa expulsione, aut relegatione, ex animo et proposito totam illam gentem penitus exscindendi ortum: sicut c. XXI: 1, 5. clare significatur. *Vir ille* (Saulus) dicunt Gibeonitae, *qui absumsit nos*, *et cogitavit nobis* (scilicet nos penitus delere in animo habuit,) *ejecti simus instar stercoris* (quod proprie dicit שמד, unde ad perditionem gravissimam ac ignominiosissimam transiit,) *ne in ulla tribu Israelis consistamus* (adeoque ubique insectetur nos Saulus,

ut

ut ad internecionem usque deleat.) Hoc sese agere videri voluit Saulus, ut historicus tradit, ex flagrante studio Gibeonitas, Cananaeorum quippe reliquias, delendi, et terram sanctam ab omni devoti populi residuo purgandi, parum curans, se injuste, et contra fidem juratam agere. Luculentum profecto pessimi zeli specimen, in iis quoque conspicuum, qui studio gloriae Dei, ut vel putant, vel praetendunt, acti, alios religionis causa persequuntur.

§. DC. Sed quo tempore hunc furorem effuderit, ex historia, quae de eo nihil tradidit, non liquet. Fluctuant, et secum dissentiunt Interpretes, alii hoc, alii illud, commenti. Sed eos ad characterem regni Sauli hic memoratum, non adcuratius adtendisse, mirari subit. Cum enim hic traditur, Saulum in eo fuisse, *quando zelaret pro Israele et Juda*, clare satis significatur, in priore regni ipsius periodo illud contigisse, quippe cujus character fuit *zelus* pro Israele et Juda, ad populum ab hostibus vindicandum, antequam a malo spiritu fuit adreptus, et suam, domusque, causam magis, quam populi, agere coepit. Duravit vero haec laudabilis periodus usque ad Davidis persecutionem, in populo tutando ac vindicando sita. Cujus indicium prostat 1 Sam. XIV: 47, 48. et in quam ultimo incidit bellum cum Amalekitis, et dein Philistaeis. Hoc ipso tempore, sed postquam a Samuele ultima vice reprehensus, et desertus fuisset, 1 Sam. XV. Zelo suo nimium indulsit, ac Gibeonitas quoque adgressus videtur, forte ut culpam, in Amalekitis parcendis, repararet, et zelum pro Israele ardentius demonstraret: sed nihil pro certo definiri potest.

§. DCI. Inquiramus nunc in tempus *famis*, hic memoratae, et ob neglectam sanguinis Gibeonitarum injuste fusi vindictam, judicio Dei castigatorio inflictae. Vulgata quidem habet sententia, ordinem narrationis tenendum esse, adeoque *famem* post rebellionem Absolomi penitus finitam, et regno Davidis jam pacato, incepisse: sed ea, quod alii jam viderunt, se tueri nequit. 1. Si id voluisset historicus, non indefinite et gene-

raliter, *diebus Davidis*, sed אחרי־כן *posthac*, vel simile quid, ut passim solet, dixisset. Formula, *diebus*, vel tempore *Davidis*, historiam cum superioribus, ordine temporis, non cohaerere demonstrat. 2. Rebellione Absolomi esse hunc casum priorem, vel illud comprobat, quod eo tempore solus Mephiboset, de mascula Sauli prole, superfuerit: uti e calumnia Zibae, qua solum herum suum in suspicionem regni adfectati inducere voluit, c. XVI: 3. colligi potest. Reliqui enim Sauli filii et nepotes hic memorati, si superfuissent, careret utique illa obtrectatio omni specie. Cum enim Mephiboset esset ad regnum ineptior, populus utique ad alios Sauli filios spectasset. Accedit, Simei, dum Davidem adpellat, relate ad *domum Sauli*, *virum sanguinum*, c. XVI: 7, 8. ad hanc ipsam necem filiorum Sauli praecipue respexisse, cum nulla alia Davidi majore specie inputari potuerit. 3. Addi forte potest, filios ac nepotes Sauli hic, tanquam in domo matris adhuc versantes, et liberis carentes, occurrere, quia nulla non tantum uxorum, aut liberorum fit mentio, sed in primis quod mater duorum Rispa suspensorum gesserit curam sola. Mephiboset vero jam diu ante filium habuit c. IX: 12. quod et de aliis praesumendum videtur, maxime si tanto tempore post, sub finem regni Davidis, quo rebellio grassata est, contigerit hic casus.

§. DCII. Accidit vero hic casus, ex mea opinione, α. post regni firmati ac pacati epocham, cui demum convenit phrasis, *diebus Davidis*, nec non traditio filiorum Sauli in necem, denique castigatio ob neglectam facinoris Sauli in Gibeonitas vindictam, quam ante illud tempus vix instituere poterat sed nunc, *pace* gaudens, poterat et debebat. β. Nec tamen diu post eam epocham, 1. quia ante Mephibosetum, in aulam adductum c. IX., contigisse videtur, cum quod, si tot filii ac nepotes Sauli adhuc in vivis essent, rogare vix potuerit, ut fecit, c. IX. 1. *superatne aliquis de domo Sauli? tum* Mephiboset jam filium habuerit, sed hic sine prole occurrant filii Sauli; *tum* denique Davidi responsum fuerit, solum superesse *Mephi-*

etum, de posteritate Sauli. 2. In primam quoque
i Davidis periodum rectius quadrat, quod, fame in-
mox Deum consuluerit, et responsum acceperit: de
ntibus temporibus parum legimus. 3. Accedit, Gi-
videri posse mox apud Davidem de injuria, sibi facta,
questos; quod cum neglexerit, haud diu post per
atligationem ipsum admonitum fuisse. 4. Mitto, vix
babile, Deum filios Sauli diu voluisse relinqui super-
i novos potuissent concitare motus.

II. Tempus itaque huic casui dandum videtur inter-
nter periodum regni firmati, ac amplificati, quae pe-
regni instaurati, etiam per arcae in regiam transla-
ujus historia cap. VI et VII traditur. In quam pe-
uncta, modo prolata, recte conveniunt. Nec obstat
David hoc tempore habuerit Mephibosetum, filium Jo-
ui pepercisse dicitur, cognitum, sed cap. IX., adeo-
hunc casum, ignorasse videatur, superessetne aliquis
Sauli? Fieri enim potuit, ut Mephiboset, hoc domus
admonitus, sese alio, ut latitaret, contulerit. Uti-
avit, cum a Davide fuit requisitus, trans Jordanem,
sed nostro loco videtur in solo patrio degisse, ubi
unt filii Sauli. 2. Quod hoc tam alieno loco, secun-
ram hypothesin, narratur: cum ordinis temporum
vati non desunt alia exempla, maxime cum *adpendi-*
historiae subnectatur, uti in ultimis capitibus libri
Num vero loco opportuno, an alieno, et incuria
um, hic narretur, non inquiro, nec tanti est.

IV. Tempore utriusque casus probabiliter determina-
n alterumve ad historiam illustrandam subjungam ob-
1. Cum Deus Davidi, de ratione et causa judicii,
ali fame conspicui, Deum *interroganti* (quod hic de-
erere faciem Dei) respondet, *propter Saulum*, et *do-*
guinum, quia occidit Gibeonitas; illud non ita est ca-
, sicut solet, acsi *fames*, ad illud Sauli facinus a Deo
um, esset inmissa; quod haud una premitur difficul-

tate, sive *justitiae* judicii in populum, sive temporis tam diu dilati, respectu, sed eo spectavit judicium Divinum, ut *justitiae* neglectus a Davide et Judicibus vindicaretur, et illi divinitus admonerentur de vindicta sumenda; adeo ut peccatum, quod *famem* peperit, non fuerit caedes a Saulo patrata, sed ejus neglecta vindicta. Quod, admissa ellipsi in verbis oraculi divini, clarius enitescet, hac ratione: *propter Saulum, et domum sanguinum, quia occidit Gibeonitas*, et vos illud hucusque neglexistis ulcisci. Quod idem est acsi haberetur, *propter facinus Sauli in caede Gibeonitarum nondum publice vindicatum;* adeo ut *sanguis* iste terrae adhuc incumbat, eamque polluat, et vindictam divinam clamet. Vid. Num. XXXV: 33, 34. Quae judicii divini ratio facilem praebet intellectum, maxime, si addatur, Gibeonitas fuisse de violentia sibi facta, nec reparata, saepe palam conquestos; quod sicut facile praesumitur, ita haud obscure indicatur verbis Davidis ad eos, quibus rogat, quid faciendum velint, ut *benedicant haereditati Jehovae*, argumento, eos ante *maledixisse* populo ac terrae, justitiam divinam inclamantes. Quare vero ipsis a Davide et Judicibus hactenus non fuerit satisfactum, explicari vix potest. Forte, Saulo occiso, et domo ejus repudiata, ulteriores poenas ad Sauli in eos commissum minus esse necessarias judicarunt; esse quoque potest, ut David noluerit domum Sauli punire, ne in propriae vindictae et ultionis suspicionem incideret. Ceterum, ne quis ad id *obhaerescat*, quod per *famem* ipse populus fuerit adflictus, notari velim, *malum* quidem sensisse populum, sed *poenae* conspectum habere potuisse tantum in Davide, supremo judice, ac inspectore tribunalium, et judicibus, qui in populo quoque adflicto puniti sunt; sicut in liberis nonnunquam ipsi parentes. Dici praeterea posset, populum propter alias rationes fuisse hac poena dignum, et judicium famis ipsi hac *occasione* tantum inflictum, ita ut neglecta justitia ansam tantum populum, alias poena dignum, puniendi praebuerit.

§. DCV. 2. Ipsa justitia, qua facinus Sauli vindicatum ac punitum est, sita fuit in *septem* filiorum et nepotum ejus

suspen-

suspensione, ad Gibeonitarum postulatum; quippe quibus, injuria adfectis, *satisfactionis* modus est relictus definiendus. *Dentur nobis*, inquiunt, *septem viri e filiis ejus, ut eos suspendamus in Gibea Sauli electi Jehovae*, in signum scilicet justitiae publicum. Non sine emphasi, minus tamen observata, Saulo epitheton *electi Jehovae* dant, ad Sauli scilicet facinus adgravandum, *cum* quod rex a Jehova constitutus, adeoque ad justitiam exercendam, illud tam injustum commiserit facinus, *tum* etiam durante periodo, qua nondum publice a Deo rejectus erat, et malo spiritu agitatus, id patraverit. Nihil itaque avaritiae studio dederunt Gibeonitae, voluerunt tantum, ut commissum debito modo publice expiaretur, per poenam capitalem domus Sauli, quippe *domus sanguinum*, seu injustae caedis ream. Ex quo colligi posse videtur, nec innocentes fuisse filios ac nepotes Sauli, verum adprobasse ac promovisse hanc persecutionem. Sed nec sine Dei, supremi Judicis populi, directione posteri Sauli fuerunt hac poena adfecti, ut improba Sauli domus exscinderetur: utique judicium Dei in populum mox, sumta hac poena, cessavit. Cum vero ipsa filiorum electio Davidi fuerit reservata, ipse Mephiboseto pepercit ob Jonatanem, et *duos* Sauli filios ex pellice Rispa, *quinque* ejus nepotes, filios Hadrielis ex filia Sauli, tradidit suspendendos. Adpellatur quidem filia Sauli *Michal*, sed vitio librarii, et leg. *Merab*, *illa* enim *Phaltieli* nupsit 1 Sam. XXV: 44. et *haec* Hadrieli, ibid XVIII: 19. Michal quoque sterilis fuit, nec ullam peperit prolem 2 Sam. VI: 23. Confirmat versio Syr., quae habet גרב, ubi legi debet מרב.

§. DCVI. Malis, quibus David et populus variis vicibus castigatus est, tandem cessantibus, antequam successorem suum designavit, eumque instruxit, omniaque, in primis ad Templi aedificationem ab eo faciendam, et sacrorum ordinationem, paravit, incidit in magnam inbecillitatem, partim e senectute, partim aliunde ortam, qua fractis viribus, et nimio frigore, vix calefaciendo, laboravit: cui ut medicina adferretur, vegeta et pulchra, ab aulicis ipsi proposita, ejusque consensu quaesita,

et ipsi adjuncta est puella, adpellata Abisag, et *Sunamitis*, a loco nativitatis *Sunem* in tribu Issacharis, haud procul Gilboa Jos. XIX: 18: 1 Sam. XXVIII: 4. Qua occasione adrepta, Adonia, major tunc filiorum Davidis natu, regnum sibi *ra*puit, excluso Salomone, sed infelici successu; Salomo enim tunc a Davide fuit publice tanquam rex, in locum Davidis, proclamatus. Quae historia 1 Reg. I. narratur, et uno alterove illustranda est observato.

§. DCVII. Rebellioni Adoniae, et coronationi Salomonis praemittitur ab Historico *inbecillitas* Davidis, per puellam sublevata, cum, quod ea ansam regni praeripiendi praebuerit Adoniae, tum, haec ipsa puella ab aulicis, ipsi faventibus, fuerit Davidi stratagemate politico adsociata, ad ejus partes firmandas. Quo facere videtur, quod Adonia ipsam postea uxorem petierit, sed in propriam perniciem. Inbecillitas Davidis e senectute quidem originem repetiit, attamen ejus erat naturae, ut inminui ac sublevari potuerit, viribus per calorem instauratis ac auctis. Quod etiam factum fuisse, sequens docet historia. Cum enim hoc tempore *lecto* haereret adfixus, 1 Reg. I: 47. postea eum pedibus stetisse ac viriliter egisse deprehendimus 1 Chron. XXIX. Fuit itaque inbecillitas nunc major, nec ex sola senectute orta. Cum autem, secundum antiquorum Medicorum placita, nullum fuerit calori senis instaurando aptius habitum remedium adcubitu puellae, uti a Doctis abunde est comprobatum, ea fuit, suasu Medicorum et aulicorum, rege tantum consentiente, adhibita, et regi adsociata, nec qualiscunque, sed *pulchra*, ut honori regis consuleretur, simul forte postea gratior foret Adoniae, quippe cujus fautores jam tunc de ipso rege faciendo cogitarunt, et eo scopo hanc puellam ad hanc dignitatem elevarunt: ut modo observavi. Nollem itaque hoc factum in dedecus Davidis, aut illicitae libidinis signum, rapi, aut carpi, nec aliquid habet a moribus, aut morali doctrina antiqui hujus temporis, abhorrens. Ceterum haec puella non fuit tantum *ministra*, quae regi ministrando, in cibo et potu parando, aliisque officiis, regi utilibus, praestan-

dis,

dis, inservit, ministra quoque honoraria ac familiaris, sicut adpellatur סוכנת, seu *promo-conda*, (radix enim proprie dicit ταμιεύονται, unde recondere in cellam promtuariam, nec non expromere in usum aliorum denotat,) ταμία *cellaria*, προςάτις οἰκία *domi curatrix*, sed et *concubina*, ipsi instar uxoris adsociata 1. quia, regem *eam non cognovisse*, expresse traditur, argumento regi id licuisse, 2. puella dicitur quaesita, quae *in sinu ejus cubet*; quod honeste fieri nec tum poterat, nisi in concubinae conditionem fuisset translata. 3. Addi potest, eam postea ab Adonia petitam mortis ejus causam praebuisse, acsi regnum ambiret: cujus nulla fuisset species, si sola fuisset ministra, de quo mox.

§. DCVIII. Hac puella Davidi ea ratione adjuncta, Adonia cum sociis, qui eam, eo, ut dixi, scopo, Davidi, praetextu specioso, ut ejus valetudo sublevetur, ad hanc dignitatem promoverant, opportunum tempus esse judicavit, rege quippe, ut putabatur, a morte proximo, quo regnum Salomoni, cui David illud destinaverat, eriperet, et sibi vindicaret. Quod consilium, jam ante sumtum, et nunc per sociorum illustrium, ut Joabi, ac Abjataris, adsociationem firmatum, mox exsecutioni dedit, palam in Salomonem conspirans, et se regem gerens: uti 1 Reg. I. narratur. Conspiravit non in Davidem directe, ad eum de throno deturbandum, aut e medio tollendum, sicut ante Absolomus, nec ad illud aliqua cum rationis specie exstimulari, aut praetexere potuit, quippe nunquam a Patre aliqua *tristitia* adfectus, aut laesus, aut reprehensus, uti v. 6. habetur, sed in Salomonem, regem a Davide designatum, adeoque ut consilio Patris se opponeret, et regnum, Salomoni ereptum, sibi vindicaret, quare mitius etiam cum ipso deinceps egit Salomo. Nec specie carebat ipsius praetensio, erat enim tunc filiorum Davidis natu maximus, *pulchritudine* quoque sua regno dignus habitus, denique Patri non odiosus, quin gratus visus, quia nulla unquam inter ipsum et Patrem fuerat dissensio. Ceterum ipsum sese consilio Patris, de Salomone successore futuro, voluisse opponere, ex ipsa satis elucescit histo-

ria. Cum enim illud consilium, licet nondum in vulgus emanasset, ut ex v. 20. patet, Adoniae et aulicis innotuisset, factiones inter eos institutae sunt, aliis Adoniae, aliis Salomoni faventibus. Quare Adonia, deliberatione cum Joabo, supremo duce, et Abjatare Pontifice, fautorum suorum principibus, inita, rem adgressurus, non Salomonem, ejusque socios, sed alios, suae factionis, invitavit ad convivium, regis electioni vel inaugurationi adjungi solitum; illudque celebravit, ad *lapidem Zochelet*, prope *Hen rogel*, seu *fontem fullonis*, propinquum Hierosolymae, ita ut, teste historia, strepitus urbis ibi fuerit auditus: praeterea in confiniis Benjaminis et Judae, Jos. XV. ad ortum versus austrum 2 Sam. XVII: 17.

§. DCIX. Hac publica conspiratione per Batsebam primum, suasu Nathanis, dein ipsum Nathanem regi, lecto adfixo, significata, noxiis simul effectis, in primis respectu Salomonis, qui tanquam regni adfectator neci foret, Adonia regnante, dandus, ut v. 21. habetur, (id enim sibi volunt verba Batsebae, quibus dicit, se et filium fore חטאים *peccatores*, quatenus partim regno, partim vita privandi sint, tanquam adfectati regni rei: quod vers. 12. etiam indicatur,) ob oculos positis, David non tantum publice declaravit, Salomonem sibi successurum, et juramento confirmavit, sed et jussit, ac curavit, ut Salomo solenniter ungeretur, se adhuc vivo, rex Israelis et Judae. Deductus itaque mox Salomo, regio cum comitatu et magnificentia, est ad fontem Gihonem, et a Zadoko Pontifice unctus, et inter summae populi laetitiae signa proclamatus est Rex. Locus, ubi hoc factum est, nostra animadversione dignus, adpellatur גיחון *Gichon* h. e. *ingens aquarum eruptio*; cui alterum nomen שילח *Siloah*, Siloam, respondet, quo fons perennis aquae, ad muros Hierosolymae, vel Tsionis, insignitur, qui ad occiduum urbis erat, e regione altioris tumuli montis Tsionis, in quo palatium erat et arx Davidis versus austrum: ex quo monte hic fluvius scaturivit, et Hierosolymitanis suppeditavit aquas. Ceterum solet hic fons, tanquam emblema perennis successionis domus et regni Davi-

dis,

dis, considerari; uti Jes. VIII: 6. ubi vid. Cl. Vitringa, et ad c. VII: 3. Ex dictis haud obscure elucescit, quare Salomonem ibi voluerit ungi David, non solum, quod magnus ibi soleret hominum esse confluxus, nec etiam, quod loco fontis Rogel, ubi Adonia cum suis versabatur, esset oppositus, et ab eo longe remotus, sed praeterea in signum verae successionis domus, et regni Davidis in Salomone, ejusque posteris. Quibus peractis Adonia cum sociis, hoc audito, terrore correptus est, ac dissipatus, ac Salomo in throno firmatus est, cui ipse Adonia sese submisit, simul reconciliatus est.

§. DCX. Salomone rege facto, cum totius populi consensu, et alterius factionis submissione, David, jam paulo robustior factus, et regno, ab omni parte pacato ac prospero gaudens, sese ante omnia ad regni et religionis negotia rite ordinanda adcinxit, sicut prolixe narratur 1 Chron. XXII—XXVII. Salomonem ipsum, postquam *domus* Dei aedificationem non sibi, quippe bellis nimium implicito, sed ipsi esse a Deo demandatam, quippe pace cum toto populo fruituro, declarasset, necessariis instruxit mandatis, ad hoc perficiendum necessariis, simul, qua ratione omnia ad id paraverit, exposuit, dein convocatis civitatis ac sacrorum principibus, de regiminis ac cultus publici forma tenenda disposuit, omnes ad officia, singulis inposita, probe praestanda adhortatus est. Denique, ut eo fortius ad omnia, sicut in mandatis dederat, recte observanda, constringeret, et memoriae ipsorum consuleret, ac clarius ipsis ob oculos poneret, omnia illa, tamquam a Deo ipsi revelata et injuncta, scripto consignavit, et in tabella depinxit, ac Salomoni in manus dedit, uti cap. XXVIII: 19. traditur, his verbis, quae proferam et exponam; cum minus recte intelligi soleant: *omnia illa scripto, e manu Jehovae* (ejus revelatione et ductu) *dedit* David *Salomoni:* uti recte suppleverunt LXX ex vers. 11. quippe cujus verba in principio, et *dedit Salomoni David*, sese ad omnia sequentia porrigunt. Cum enim ibi dictum esset, *et dedit Salomoni* את תבנית *delineationem*, dein res delineatae essent recensitae, subjungi facile ab historico, cujus verba sunt,

et non Davidis, potuit; *omnia illa scripto e manu Dei*, et suppleri, *dedit Salomoni) propter intelligere faciendum omnia opificia delineationis.* Punctari itaque debent voces עלי השכיל, ut עלי sit particula, ejusdem potestatis, ac על, vel et אל ac ל, etiam pro *ad*, vel *propter*. Quibus peractis in comitiis primariorum regni et Ecclesiae virorum, liberalia adhuc dona in usum Templi ipsi principes Deo voverunt ac consecrarunt, et Deo solenniter pro omnibus gratias egerunt, seseque ad omnia, quae David ordinaverat, praestanda, obstrinxerunt. Quando sacrificio, et laetis conviviis omnia sunt consummata, Salomo quoque Rex denuo *unctus* est, et Zadok Pontifex: Quae 1 Chron. XXVIII et XXIX fuse narrantur, nec aliquid suppeditant hic observandum.

§. DCXI. Restat tandem ultima scena vitae et regni Davidis, quam morti proximus pie, simul prudenter, exegit in colloquio secreto cum Salomone, quem serio et pie de lege Dei, per Mosen lata, adcurate et constanter observanda, quippe a quo perpetua successio domus Davidis, et regni perennitas ac prosperitas, tanquam conditione, pendebat, admonuit, simul instruxit, qua ratione cum Barzillai, benefactoris sui, tempore exilii coram Absolomo, filiis, iis familiariter utendo et benefaciendo, ageret, praeterea sese juste, simul prudenter erga Joabum ac Simei gereret: 1 Reg. II. Ubi difficultatem tantum parit, quod illos non ipse judicaverit, sed illud Salomoni demandaverit, praecipue cum Simei in gratiam receperit, et juratus ipsi poenam mortis remiserit 2 Sam. XIX: 24. et 1 Reg. II: 18. *Joab*, ut ab eo incipiam, in Davidem non tantum commiserat trucidando, contra expressum regis mandatum, Absolomum, quod per belli tempus aliquatenus excusari vel ferri poterat, sed praecipue in eum, qua regem, *duos illustres* duces, Abnerum et Amasam, occidendo, ut 1 Reg. II. expresse traditur, *partim* quod David iiscum erat reconciliatus, partim quod fides Davidis ipsis data esset violata, partim denique quod Davidi, et ejus regno, nota fuerit per haec facinora inusta:

ut ſupra ſuis locis expoſui. Sed et ipſa facinora erant enormia, quibus viros fraudulenter, et tempore pacis, interfecerat, quod 1 Reg. II. *ſanguines belli in pace* dicitur *fundere*, hoſtiliter in pace occidendo. Additur, ipſum *dediſſe ſanguines belli in cingulo et calceo ſuo*, quatenus propria manu eos trucidaverit, ſeque ſanguine innocuo commaculaverit. Quae ſcelera, a quocunque patrata, licet eſſent clamantia, et vindictam, ſecundum legem, et juſtitiam, mererentur, David tamen toleraverat, dilata vindicta, quod opera Joabi in continuis bellis indigeret, longanimitatem quoque praeclaris Joabi facinoribus deberet, denique ipſum, vix ſalva regni pace, ulciſci poſſet: ſed Salomoni commiſit, modo tamen vindicandi ipſius relicto *prudentiae*, cum, quod ſeſe Salomonis regno quoque, Adoniae conſpirationem ſecutus, noviſſime oppoſuerat, tum, Salomonis regnum foret pacificum, quo ſalvo, vindicta ab hoc duce ſumi tuto poterat. Nec tamen caedem Joabi inperavit Salomoni abſolute, ſed totum illud negotium reliquit *ſapientiae* ejus; uti v. 6. diſerte dicitur. Quo ipſo indicatur, ſcelera Joabi per Salomonem eſſe vindicanda, ſi ſtatus aut pax regni permittat, aut requirat. Praeſtitit quoque illud Salomo, qui *Joabum* non occidit, niſi poſteaquam ipſum cum Adonia, qui regnum nondum deſiſtebat affectare, facere comperiſſet: ut ſeq. docent. Nihil itaque hic occurrit adeo carpendum.

§. DCXII. Major videtur in Simei difficultas, quia David ipſi remiſerat poenam, et nunc tamen eam ipſi infligendam velle videtur. Sed David ipſum, non in perpetuum, ſed pro eo tempore tantum ſecurum reddiderat, ut ex 2 Sam. XIX et 1 Reg. II patet, nec niſi hac tacita ſub conditione, ſi in poſterum nullum ſiniſtri in regnum Davidis animi praebeat indicium, ut per ſe patet. Nec ſceleris ipſius vindictam Salomoni injunxit, niſi cum ipſum ſeſe minus fidelem praeſtare animadverteret. Memoravit itaque praeteritum ejus facinus, ut Salomo eum, tanquam domus ſuae antiquum hoſtem, haberet ſuſpectum, et probe obſervaret, praeterea ut tunc et hoc ſcelus vindicaretur, quum nova illud faciendi acceſſiſſet ratio. Quod

itaque dicit David, *eum non habebis insontem*, illud non est absolute, sed conditionate intelligendum, scilicet, ubi, ipsum puniendum esse, *sapientia* tua judicaverit, vel cum novas dederit mali animi suspiciones, non condonabis ei, ut ego feci. Quo sensu ultima quoque capienda sunt verba, *descendere facies canitiem ejus in sanguine ad inferos*. Ex quibus omnibus facile scopum Davidis constat fuisse, Salomonem admonere, ut duos illos viros, gravium scelerum reos, qui regnum ejus turbare possent, adcurate observaret, et ut, si vel minimam ali- de se opinandi praeberent ansam, eos morte adficeret, atque sic scelera simul in iis vindicaret, ad animum revocans, Deum rem tunc ita direxisse, ut punirentur: sicut David 2 Sam. III: 39: dixerat, *retribuat ei Jehova secundum malum, quod fecit*. Voluit itaque David, ut concludam, ut Salomo *justitiae*, simul *paci* regni, consuleret, nec turbones illos amplius, ut ipse fecerat, ferret.

§. DCXIII. Hac ratione cursum vitae exegit David, cum 40 annos et 6 M. regnasset, 2 Sam. V: 4, 5. et 1 Reg. II: 11. scilicet una cum Salomone, sub finem vitae ipsi adsociato, et regnum reliquit pacatum ac prosperum summo gradu. Praestitit vero sese virum vere pium, gloriae Dei ac legis studiosissimum, simul strenuum et prudentem in bello, ac regni administratione ducem ac regem; populorum vicinorum hostilium debellatorem, et regni pomoeria longe lateque extendentem; denique artis poeticae ac musicae peritissimum, et, quod maximum est, Spiritus S. ductu in carminibus pangendis praeditum, et eo nomine insignem, ac per Ecclesiam omnis temporis celebratissimum Prophetam: virum itaque magnum et Deo dilectum, multis bonis ac promissis cumulatum, e cujus quoque lumbis Messias nasceretur, qui regnum ejus consummaret et aeternum redderet. Quae omnia cum ex historia, supra tradita, Psalmis ejus, et disertis testimoniis Script. S. satis constent, duobus elogiis, in Script. S. obviis, contentus ero, ne prolixior sim. *Prius*, quod in oculis habeo, pro divino testimonio accipi debet, quod ipse Deus spiritui ejus poetico ac prophe-

prophetico, quo actus fuit, praebuit, quoque simul carminibus [illegible]stitutis ejus autoritatem dedit; sicum illud est in *prologo* [illegible]mae revelationis Davidi, jam morituro, factae, 2 Sam. [illegible]III: 1, 2. quare *ultimorum verborum* Davidis nomine venit. [illegible]detur autem ipsi contigisse haec revelatio, et ab ipso pro[illegible]a, posteaquam Salomo altera vice fuit inauguratus, et in reg[illegible]o confirmatus 1 Chron. XXIX. cum ad eum primo, ac [illegible]mbratico sensu pertineat, ipseque a morte esset proximus, [illegible]cut Patriarchis et Mosi contigit. Pronunciavit vero David [illegible]tima ea verba in *ecstasin* raptus, cujus in prologo clarum [illegible]stat indicium, et hinc est, quod de se adeo magnifice loquatur, non facturus, si compositae fuisset mentis, adeo ut pro divino agnosci debeat testimonio, ut modo observavi: fuit enim tunc in *spiritu*, ac quod sibi fuit inspiratum elocutus est. *Prologus*, quem hic tantum intendo, ita sonat, v. 1, 2. *Inspiratum Davidis, filii Isai, inspiratum viri constituti eminentissimi*, (hunc enim sensum continet phrasis הקם על. Vox enim על est nomen, et *summum*, *excelsum*, designat, et verbum נאם proprie *submissiorem* dicit vocem, inde *insusurravit* inspiravit, de viro divinitus inspirato usurpari solet.) *Spiritus Jehovae locutus est in me* (ב enim non est *per me*, sed *in me*, et immediatam inspirationem continet,) *et sermo ejus super lingua mea*, scilicet, sicut antea, ita et nunc. Reliqua, quae *verbum* Domini, ad ipsum nunc prolatum, vers. 3 et 4. et *verbi* istius confirmationem ac illustrationem, ipsi in spiritu factam vers. 5—7. comprehendunt, mittere quidem possem, quia ad scopum directe non faciunt, sed cum ultima Davidis verba sint, et ad ipsius domusque ejus peculiarem ad Deum relationem illustrandam multum conducant, aliqua quoque luce, post virorum, ipsius quoque Vitringae in comm. Belg. ad h. l. lucubrationes, indigeant, mentem meam paucis exponam.

§. DCXIV. Post prologum, v. 1, 2. de quo egi, occurrit α. verbum Dei ad Davidem in ecstasi delatum, vers. 3, 4. β. ejus confirmatio et illustratio, a Davide ipso in spiritu facta, v. 5—7. α. In priore parte praemittitur verbum Jeho-

vae ipsi esse factum, his verbis: *dixit Deus Israelis mihi, petra Israelis sermonem protulit:* quorum sensus non est, ut putatur, aut revelationem divinam sibi in genere fuisse factam, aut promissum et aliis et sibi antea a Deo datum, sed sibi, nunc in ecstasin rapto, hoc verbum, mox memorandum, contigisse, Deum itaque haec verba proferentem a se auditum esse. Qua ratione nimia vitatur tautologia, quae hic foret, si nihil aliud, ac revelationem divinam sibi esse factam, diceretur: praeterea ipsa verba, *dixit Deus Israelis* etc. illud indicant. Aliud enim est, *spiritus in me locutus est;* aliud, *mihi*, et de me *dixit* Deus; uti hic occurrit. Prius inspirationem continet, sed posterius aliquod *dictum*, et *promissum* Dei, nunc ad ipsum delatum. Denique, cum mox subjungitur *dominatorem inter homines oriturum* etc. illud ad Davidem, et non ab ipso esse prolatum, facile perspicitur, maxime cum ipse de se loquens v. 5. alio modo instituat sermonem: de quo mox. Ex quo simul eluceffit, promissum intelligi, non antea, sed hoc ipso tempore ipsi factum, cum, quod tale quid antea non legatur a Deo dictum, tum, structura orationis eo ducat, ut nunc illud Davidi evenisse, statuendum sit.

§. DCXV. Argumentum verbi et sermonis Dei ad Davidem ita habet, *Dominator in homines justus, dominator timoris Die, et instar lucis matutinae orietur, instar solis matutini sine nubibus, ex splendore ex pluvia herba tenera e terra orietur.* Promittitur Davidi *dominator hominum*, qui a laudabilibus qualitatibus justitiae, aequitatis, et timoris Dei describitur, tanquam quas ipse haberet, et in regni administratione demonstraret. In quo nihil est obscuri, et Interpretes bene versati sunt. De hoc vero dominatore dicitur, eum *exoriturum* esse, et quidem instar lucis et solis, matutino tempore sereno, et innubili. Interpretes nexum et structuram sermonis minus recte expediverunt, quia verbum יזרח *exorietur*, cum sole conjunxerunt, non observantes, illud ad regem pertinere, et v. 3. fin. supplendum esse, ante שמש *solem* repeti debere particulam similitudinis, quae est in voce כאור *instar lucis*, hac ratione: *dominator*

minator — — — exorietur, *et instar lucis matutinae exorietur, instar solis mane sine nubibus.* Comparatur itaque ortus dominatoris cum luce matutina, cum sole matutino sine nubibus; et utrobique solis ortus cum variatione, et gradatione exprimitur. Quod enim modo *lux matutina*, illud mox *sol matutinus*, variationis ac emphaseos ergo, adpellatur, addita *sine nubibus*, ut de solis ortu sereno et innubili cogitaretur. Traditur mox effectus ortus hujus regis instar solis, eadem servata metaphora, *ex splendore ex pluvia herba de terra* exorietur, eodem verbo e superioribus repetito, per facillimam et usitatam satis, ellipsin. Herbae autem copia a *splendore* et *pluvia* derivatur, vel *post pluviam*, quod cum praecedente phrasi solis matutini *sine nubibus* est convenientius, nisi per pluviam intelligatur *ros*, quod huc egregie quadraret. Vid. Ps. CX: 3. Quicquid sit, splendor et pluvia, tanquam ordinaria copiosae herbae et graminis media causalia, apte junguntur: ut et alibi fit.

§. DCXVI. Sensus itaque oraculi est 1. Davidi, post mortem, oriturum esse regem, qui summa cum autoritate, sed juste et pie, sit dominium inter homines exerciturus. 2. Regem cum regno fore, sicut justitia et sanctitate illustrem, ita felicem, prosperum, et pacificum, simul longe lateque regnaturum; quo solis matutini sine nubibus emblema recta ducit. Denique 3. hujus regis directione et cura, per singularem Dei benedictionem, populum valde multiplicandum esse, simul laetissime acturum, omnibusque bonis ditandum. Quod herbae ortus per splendorem et pluviam expingit. Vid. Ps. LXXII.

§. DCXVII. Messiam per hunc regem, quod plurimi statuunt, intelligendum esse, haud una evincit ratio; cum criteria Messiae hic sese aliqua manifeste prodant. *a. Dominator*, et non rex simpliciter, adeoque αὐτοκρατορικὸς, dominante autoritate propria praeditus, adpellatur, nec *b.* in Israele, sed in *hominibus* באדם, adeoque gentium aeque ac Israelitarum, *c.* dominator eximie justus et pius, *d.* denique qui instar solis sereni foret. *e.* Addatur, in alium ac Messiam non quadrare, quod

David, in ecstasin raptus, de illustri loquatur persona, quodque promissum et dictum Dei ipsi in specie memoretur factum; unde manifestum est, de longe illustrissima hic sermonem esse persona, nec nihili est, digitum ad promissum cap. VII. Davidi factum, intendi, quo sequentia etiam ducunt. Attamen, Salomonem ejusque regnum, tanquam Messiae illustrissimum typum, simul intendi, autumaverim; quemadmodum etiam fit 2 Sam. VII. et Ps. LXXII. Nec ab ipso, ejusque regno aliena sunt, quae hic traduntur. De quo hic fusius agere non licet; feci quoque ad l. cit. et Ps. CXXXIII. Accepisse itaque statuamus Davidem, in ecstasin raptum, Salomone jam in regno firmato, promissum de Messia, ejusque typo Salomone, ejusque regno laudabili, prospero ac pacifico, adeoque confirmationem promissi 2 Sam. VII.

§. DCXVIII. *B.* Hoc oraculum cum David in ecstasi accepisset, et evulgasset, ipse per spiritum uberius hoc promissum illustrat et confirmat *a.* v. 5. ex superiore promisso c. VII. *b.* ex opposita inproborum sorte: v. 6, 7. Prius ita habet verbotenus v. 5. *quia non sic domus mea cum Deo, quia foedus aeternum posuit mihi, ordinatum omni parte et custoditum, quia omnis salus mea et delectatio, quia non germinare faciet.* Quae in principio et fine magna laborant difficultate, intermedia autem in facili sunt; quippe quae ad foedus, seu promissum de perenni domus Davidis duratione, spectant. De quo aliqua ad c. VII. supra monui. Dicitur autem hoc promissum *aeternum*, quatenus perpetuam domus regiae perennitatem comprehendit, *ordinatum in omni*, seu omni parte sapienter instructum, respectu mediorum et finium, variorumque fatorum; quae ad promissi inplementum conspirant omnia, denique *custoditum*, quatenus firmum, et potente Dei manu custoditum est, juramento quoque Dei sancitum: uti quoque est Ps. LXXXIX: 36.—Denique in Deo declarat summam suam *salutem*, et *delectationem* esse sitam. Sed *primum* membrum, *quia non sic domus mea cum Deo*, et ultimum, *qui germinare non faciet*, varias peperit interpretationes; quas, brevitatis ergo,

go, non proferam aut refellam, meam opinionem explicuiſſe contentus.

§. DCXIX. Secundum quam *primi* et *ultimi* membri verba ſecum ſunt conſtruenda, per verba media elegantiae et emphaſios cauſa a ſe invicem ſejuncta, hoc ſenſu: *quia non ſic domus mea cum Deo*, — — *quod non germinare faceret* h. e. domus meae non ea eſt apud Deum conditio, ut eam ſterilem faceret, et eradicaret, prolemque producere, aut florere, inhiberet. Quod itaque dictum ei erat, *dominatorem* ex ipſo oriturum, illud a ſe firma fide adſumi, declarat, perennitatem domus ſuae memorando, ſine qua Dominator ille oriri non poterat. Adfectui vero loquentis, et elegantiae ſermonis adſcribendum eſt, quod haec ſententia fuerit interrupta, et poſt quaedam intermedia demum plene pronunciata. Eſt itaque in ultimo membro repetendum primum: hoc modo. *Quia*, vel *profecto*, *non ſic domus mea cum Deo*, *quia mihi foedus aeternum poſuit*, — — — ipſeque *omnis mea ſalus et delectatio eſt*, non ſic, inquam, eſt domus mea cum Deo, *quod eam non germinare faceret*, ſeu aliquo tempore eradicaret, aut florere ſuo judicio prohiberet etc. Intermedia verba rationes continent et fundamenta, quibus adſeveratio innititur de domo non privanda germine. Quae duo ſunt, unum eſt promiſſum Dei, hic *foedus* dictum, de quo ſupra actum eſt, alterum vero fides et pietas Davidis; quae permittere non poterat, ut domus ejus interiret, ſed potius benedictionem, Dei amantibus in mille generationes adſignatam Ex. XX., requirebant: quo verba refero, *quia omnis ſalus mea*, *omne deſiderium meum*, ſcilicet eſt *Deus*, quocum dixerat domum ſuam eſſe, et qui foedus ſibi poſuerat aeternum; adeo ut declaret David, ſummam ſalutis et beneplaciti ſui eſſe Deum. Quae luculenta eſt fidei et ſpei teſtificatio a moribundo facta, inſtar Jacobi Gen. XLIX. *ſalutem tuam exſpecto Jehova!* ſic et ſaepe alibi Deum adpellavit ſalutem ſuam in Pſalmis, uti conſtat. Dictis robur addit, quod Deus, hoc ipſo הִצְמִיחַ *germinare facere* verbo, et alibi dicatur, facturus, ut *germinet domus* Davidis, ipſe quo-

que Messias propterea eximie titulo *germinis Davidis* insignitur, Jer. XXIII: 5. XXXIII: 15. Ps. CXXXII: 17.

§. DCXX. *b.* Ultima pericopa, quae, sub emblemate spinarum, quae non manu colliguntur, et in societatem admittuntur, sed violenter abscinduntur et igni absumuntur, absque ut crescere aut multiplicari sinantur, miseram et exitiosam improborum sortem depingit, v. 6, 7. moras non injiciet, cum ab interpretibus satis sit illustrata. Tantum addo, ultimam vocem v. 7. בַּשָּׁבֶת, si non ex vers. sequente irrepserit, vel legendum non sit, litteris transpositis בְּבֹשֶׁת in *ariditate strepera* et consternatione confusa, quae originaria potestas est verborum בּוֹשׁ, בשש et יבש, et spinarum combustioni apte respondet, vertendam esse *in cessationem plenariam*, seu totale et irreparabile excidium. Verbum שָׁבַת a propria *figendi*, seu pangendi potestate, indeque orta generali *quiescendi*, sedendi significatione, transiit in peculiarem usum prostrationis et desolationis totalis, ubi omnia silent, et inmobiliter jacent; uti ex. gr. Ps. VIII: 3. CXIX: 119. Jer. XXXVI: 19. Thren. I: 7. Ez. VI: 6. XXVI: 24. XXX: 10. Hos. I: 4. Am. VIII: 4. Ceterum, cum haec pericopa ad domum Davidis, in perpetuum germinaturam, donec Messiam produxerit, pertineat, ut ex dictis liquet, facile colligitur, Davidem hic 1. sortem suam opponere inpiorum sorti, adeoque indicare, secum aliter ac cum Saulo, aliisque inprobis esse agendum 2. hostes violentos et inprobos, domus suae et regni in genere in oculis habere, et eo sensu ad regni Messiae hostes, ac persecutores, quoque extendi haec posse. Quod verbo suffecerit tetigisse.

§. DCXXI. *Alterum*, quod in oculis habeo, elogium est, quo David vir adpellatur *secundum cor* Dei, qualem a Deo, Saulo rejecto, quaerendum, et ei substituendum esse declarat Samuel, 1 Sam. XIII: 14. et in Davide invenisse legitur Deus ib. cap. XVI. et Act. XIII: 22. Cui convenit, quod David *quicquid rectum fuit in oculis Dei fecisse* traditur, excepto tantum *in causa Uriae* 1 Reg. XV: 5. Quibus phrasibus non

omni

omni numero perfecta sanctitas, puritas moralis, denotatur, qualem infirmitas humana non admittit, nec David sibi adtribuit, aut praestitit, ab inprudentia et temeritate, adfectuumque inpetu non inmunis, nec Deus in rege Israelis, favoris sui objecto, ita requirit, ut favore et gratia sua indignum respiciat, et rejiciat; sed significatur in genere, Davidem, secus ac Saulum, cui loco citato opponitur, sincere et constanter legem et voluntatem Dei, ipsi per prophetam, aut alio modo notificatam, observasse in regno juste et scienter administrando, tuendo, defendendo, firmando, religione vera exercenda, ac promovenda, adeoque verum sese praestitisse *vicarium* Dei, et favorem Dei constanter retinuisse: denique sibi a gravioribus peccatis et criminibus sedulo cavisse, excepto adulterio et homicidio semel commisso, sed seria poenitentia quoque reparato, et favore Dei recuperato. Qualem qui se praestat, is dici, stylo Script. S., potest *virum* agere *secundum cor* Dei, convenienter scopo et voluntati Dei. Quod pluribus demonstrare ac illustrare possem, si necesse foret, aut hujus esset loci.

§. DCXXII. Persequamur nunc historiam Salomonis usque ad hujus periodi finem. Davide mortuo Salomo mox sese ad regnum suum firmandum, ac sanguinem a Joabo fusum vindicandum, adeoque ultima Patris monita exsequenda, adplicuit: justa ipsi occasione et causa Adoniam, Joabum, et Simei, malae fidei viros, occidendi, ac Abjatarem relegandi, ab Adonia praebita, cui reliqui adhaerebant, *concubinam* Davidis in uxorem petente, in signum juris sui in regnum; quo haud obscure propositum regni, si pote, sibi vindicandi, patefecit: uxorem, seu concubinam, Regis mortui qui volebat, is regnum quoque velle tunc censebatur, uti supra, in casu Isboseti ac Abneris 2 Sam. III. vidimus, jus quidem suum in regnum ipse Adonia declaravit, sed propositum, dum Abigalem petiit, texit. Verum Salomo pro sua sapientia illud facile detexit, adeoque ipsum jure privavit vita, ut regnum suum stabiliret, alias per novas factiones facile turbandum. Etsi enim Adoniae petitio per se poenae mortis non sufficiebat, cum tamen ipse in Sa-

omonem antea palam conspiraverat, factum ejus, in illis circumstantiis consideratum, mortis poenam ab injustitia liberavit, et ad regni securitatem fecit necessariam; maxime, si, Adoniam ea conditione fuisse a Salomone in gratiam receptum, addatur, ut a rebus publicis abstineret, et domi se contineret: c. I: 53.

§. DCXXIII. Adoniae caedes secum traxit eam Joabi, ac relegationem Abjataris Pontificis, e domo Eli, quia res ipsi fuit cum Joabo et Abjatare, uti v. 22. membro ultimo indicatur his verbis: *et ipsi*, et *Abjatari*, *et Joabo* h. e. res ipsi cum iis est. Pontificem, utpote personam sacram, qui et Davidi alias semper fidus fuerat, in vita reliquit, et *munere* tantum abdicavit, sicut Eli antea fuit denunciatum, 1 Sam. II., sed *Joabum* e medio sustulit, licet in conspiratione Absolomi Davidi fidum, quia nunc in partes Adoniae transierat, et Salomoni sese infestum praestabat: uti v. 18. habetur. Adripuit vero hanc occasionem Salomo, ut truculentas Joabi caedes vindicaret, et terram, regnumque, a sanguine fuso purgaret. Denique novae hujus conspirationis Adoniae occasione, Salomo ad veterem illam Absolomicam adplicuit animum, et Simei, viro suspecto, limites posuit, ne res novas moliretur, egressum Hierosolymae ipsi sub poena mortis interdicendo, ipsumque juramento voluntario ad id observandum adstringendo. In quo, sicut justitiae nihil adversum egit, ita paci ac securitati regni sui bene consuluit. Cum vero Simei, occasione fugae servorum suorum, sese in urbem Philistaeorum Gath contulisset, adeoque interdictum regis, et proprium juramentum violasset, sive per casum hunc domesticum se excusari posse, sive discessum suum, propter brevitatem temporis, manere posse occultum putaverit, Salomoni justa fuit praebita ansa, vetera ejus scelera puniendi. Fieri enim potuit, ut Simei, praetextu fugae servorum, inire cum Philistaeis voluerit societatem contra regnum Salomonis, vel saltem id de ipso suspicandi dederit occasionem.

§. DCXXIV. Regno ab aemulis et suspectis viris liberato, Salomo,

Salomo, ad ulteriorem regni firmationem ac pacem, societatem cum rege AEgypti, qui solus videbatur inter vicinos populos eam turbare posse, iniit, filia ejus ducta uxore, cum dote *Gazeris*, urbis limitaneae Ephraimitarum ad austrum, Jos. XVI: 3. Jud. I: 29. quam Pharao Cananaeis eripuerat, incertum quare, et quo tempore, simul combusserat; nunc Salomoni *dotis* loco dedit, 1 Reg. IX; 16. qui postea eam reaedificavit ac munivit, ut ibi narratur, faciebat enim ad regnum tutandum, et usui esse poterat exorto bello; ut Jos. Ant. VIII: 6. tradit. Ex quo colligi potest, Salomonem per has nuptias firmationem regni in oculis habuisse; quo etiam spectat, quod Salomo *adfinitatem cum Pharaone*, rege AEgypti, *contraxisse*, expresse dicatur c. III: 1. Nuptias illas mox in principio fuisse initas, series narrationis docet, et ex eo firmatur, quod ante omnem ejus aedificationem id fuisse factum, addatur. Ceterum, licet, eam *proselytam* fuisse factam, non legatur, nec probabile sit, cum in *arce* Davidis postea non habitaverit, quia *locus iste*, *per arcae praesentiam*, fuerat quasi *sanctificatus*, 2 Chron. VIII: 3. attamen non aliena videtur a populo Dei, et ejus cultu fuisse, quin utrumque venerata: utique Salomoni id non fuit vitio versum, nec illius in gratiam idola AEgyptiaca introducta sunt, nec inter נכריות *alienigenas* refertur, sed ab iis potius distinguitur c. XI: 1. ubi Salomo dicitur *amasse mulieres alienigenas*, et *filiam Pharaonis* h. e. praeter eam, ut jam est observatum.

§. DCXXV. Quibus omnibus peractis, regnum suum jam firmatum, solenniter *initiavit*, auspiciis a Jehova sumtis, per sacrificia in colle Gibeonis oblata, qua occasione ab ipso Deo, ipsi in somnio viso, confirmatus, et singularibus promissis mactatus est, 1 Reg. III. et 2 Chron. I. Ex variis excelsis, in quibus sacrificari adhuc, ante Templum aedificatum, licite solebat, elegit illud *Gibeonis*, quia *magnum* illud erat 1 Reg. III: 4. non tantum amplum et altum, sed et illustre ac celebre, ob *Tabernaculum* Mosis ibi positum 2 Chron. I. ex quo locus 1 Reg. III. est supplendus, vel explicandus, sed et illud elu-

cescit, sacrificium hoc fuisse admodum solenne, praesente universo populo, adeoque et eo spectasse, ut regnum initiaretur, ac benedictio divina super eo inpetraretur. Cujus indicium quoque in *visione* Regis nocturna sese offert. Nihil ergo hic egit Salomo, quod reprehendi possit. Praeterquam enim, quod excelsa hoc tempore non essent illicita, quo nullus locus, a Deo electus, obtinebat post Siluntem desertam, ante Templum, qualis in lege erat definitus, Deut. XII: 5. nullus locus, praeter hunc, erat aptior, quia ipsum Tabernaculum, et altare aeneum Mosis ibi erat, 2 Chron. I. ipse quoque Jehova sese ibi praesentem sistebat; uti 1 Chron. I: 6. traditur expresse. *Et obtulit Salomo ibi super altari aeneo, coram Jehova, qui erat in tentorio conventus.* Ultimae enim voces illae non sunt cum altari aeneo construendae, cum antea jam dictum erat, *ibi* fuisse altare, sed cum *coram Jehova*, ut, ipsum ibi *coram* Jehova offerre potuisse, indicaretur, quia ibi sese nunc praesentem sistebat. Cum itaque Salomo 1 Reg. III: 3. dicitur, *dilexisse Jehovam ambulando in statutis Davidis*, רק *tantum in excelsis* sacrificasse, particula illa exceptiva *tantum* non ad dilectionem Dei, sed *ambulare* in *statutis* Davidis referri debet, adeo ut sensus sit; Salomonem curasse, ut statuta Davidis in regno suo locum habeant, excepto sacrificiorum loco: quatenus ipse locum Tabernaculi elegit, David vero *Arcae* in Tsione, quod utrumque licebat, cum neuter locus a Deo hucusque esset *electus* pro unica sede religionis. Quid? quod ipse David, tempore grassantis pestis, voluisset hunc ipsum locum Tabernaculi adire sacrificii causa, sed metu gladii Angeli absterritus, non fecit, 1 Chron. XXI: 29, 30. ut supra suo loco exposui.

§. DCXXVI. In visione nocturna, quae Salomoni hic in somnio contigit, cum Deo sibi sermones conferere visus est, quibus Deus ipsi potestatem dedit petendi, quid velit, ut animus ejus exploraretur: ipse unice *cor audiens* (sapiens et peritum) supplicavit *ad judicandum populum* Dei, *ad discernendum inter bonum et malum* (scilicet, ut causas qualescunque, et lites

et solide definire queat, simul vera in omnibus rebus et iis gaudeat sapientia ac prudentia.) Urget petitionem od in locum Davidis, qui tanquam Angelus Jehovae ceus est, *cognoscens bonum et malum* 2 Sam. XIV: 17, 20. 28. et *populum manuum suarum prudentissima directione* e dicitur Ps. LXXVIII: 72. successerit, ut se ei similem eat 2. ipse *puer parvus* erat (non aetate, habere enim o annos potuit, sed prudentia et experientia, *instar* talis, ut sit נער) *ingredi et egredi nescius* (suo scilicet arbi- ab alio itaque ducendus, in regno administrando.) 3. De- *populus Dei* esset Israel, cujus rex erat, adeoque sapi- et prudenter, ac secundum voluntatem Dei, regis su-, gubernandus, ac judicandus, 4. populus quoque erat *ossissimus*, cui ipse unus erat praepositus, inspector et

DCXXVII. Placuit Deo ejus petitio, licet in somnio a, quia de internis animi adfectionibus, sese in somnio estare subinde solitis, testabatur, similiumque petitionum, lante frequenter factarum, signum erat et effectum. Pro- ipsi *sapientiam*, qua omnibus, *ante* et *post* ipsum, praesta- i. e. summam; est enim proverbialis locutio, non nimis enda: vid. 2 Reg. XVIII: 5.— et XXIII: 25. et conf. . V: 9. de quo postea. Addidit Deus, tanquam ἐπιμετρον, uid ipsum, ac regnum reddere poterat fortunatum, ac ce- imum, *divitias* scilicet, *gloriam*, *securitatem*, et, si legem bservaret, *longaevitatem*. Huic somnio ubi ab historico igitur, *Salomo evigilavit et ecce somnium!* significari vide- llud non qualecunque, sed singulare fuisse, summa dignum dversione, simul ipsi, cum evigilasset, adhuc praesens, et alte inpressum.

DCXXVIII. Auspiciis ita a Deo sumtis, et Hierosoly- redux, coram arca adhuc supplicavit, ac sacrificia, in animi signum obtulit, ac ministros regio excepit, pro , epulo; sed et illustre mox sapientiae ac justitiae dedit nen, in duarum meretricum, quae in una domo solae

pepererant singulae filium, sed quarum una casu filium morte perdiderat, de infante *vivo*, cujus sit, contendentium, causa dijudicanda. Cum enim *vivum* jussisset secandum in duas partes, inter matres distribuendas, et una illarum intercessisset, ei vivum adsignavit, ex visceribus amoris ac misericordiae ejus motis prudenter matrem dijudicans. Quod judicium eo scopo fuit ab Historico memoratum, ut de sapiente ac justa regni administratione ex hoc specimine colligeretur, simul ratio daretur tranquilli, et bene ordinati status populi, sub regno Salomonis. Quo ultima tendunt verba, populum coepisse *revereri* Salomonem, tanquam divina praeditum sapientia, ad *jus faciendum*.

§. DCXXIX. Praeterea statum regni ordinavit respectu munerum et officiorum, quae recensentur cap. IV. ubi 1. tres occurrunt *scribae*, quorum unus Azaria fuit, filius Zadoki Pontificis; vox enim *Pontificis* ad Zadokum omnino pertinet, nec Azaria Pontifex, sed scriba, fuit. 2. Unus a *commentariis Josaphat*, publicis monumentis condendis praefectus. 3. Dux exercitus Benaja. 4. Duo Pontifices Zadok et Abjatar, sed *ille* verus et re, hic nomine et titulo tenus, quippe a munere jam remotus, c. II: 26, 35. Quo observato omnis evanescit difficultas. 5. Azaria, filius Nathanis, praefectus curatorum annonae, qui mox recensentur. 6. Zabud, filius quoque Nathanis, *sacerdos socius* Regis h. e. intimioris admissionis, et in regni administratione quasi *vicarius* regis; eam enim significationem hic, ut alibi, habet vox כהן, quare additur *socius regis*. 7. Achisar domus regiae praefectus, et 8. Adoniram *tributi*, ac *mercenariorum* praefectus: utrumque enim vox מס denotat. Reliqua, ad Salomonem, ejusque regnum et opera, pertinentia, cum non hujus, sed sequentis sint *periodi*; pergere nunc licet ad *secundam* tractationis partem, quae est

CHRONOLOGICA.

§. DCXXX. Duratio totius periodi ab *exitu* Israelis ex AEgypto,

AEgypto, usque ad *Templum* Salomonis fundatum, ex supra, in tractatione historica, disputatis facile conficitur: quare annos singularum periodi partium in tabella simpliciter exhibebo.

1.	Mora Israelitarum in deserto - - -	40 -
2.	Principatus Josuae et seniorum usque ad primam servitutem - - - -	43 -
3.	Periodus Judicum usque ad mortem Eli - -	450 -
4.	Inde ad initium Samuelis - - -	20 -
5.	Inde et pro Samuele solo - - -	12 -
6.	Inde pro Samuele, et Saulo - - -	40 -
7.	Pro Davide - - - - - -	40 -
8.	Salomone - - - - - -	3 -
	Summa	648 -

Quae chronologia, sicut ex supra demonstratis sponte sese offert, et commendat, ita ulterius confirmatur 1. ex Act. XIII: 20. ubi periodo judicum usque ad Samuelem quoque, uti nostra habet hypothesis, dantur anni 450, 2. ex comparatione cum aliis hypothesibus, in primis respectu chronologiae Judicum: in qua constituenda Docti sibi nimium indulserunt, sive annos *servitutum* computo eximendos velint, sive varios synchronismos admiserint, uti Usserius, Marshamus et alii, de quibus supra suis locis egimus.

§. DCXXXI. Sed quid faciemus loco classico hanc in rem, 1 Reg. VI: 1.? ab exitu enim Israelitarum ex AEgypto usque ad Templum Salomonis fluxisse dicuntur anni 480; cum ex nostra hypothesi numerentur 648. Nec nostra sola, sed et aliorum hypotheses huic numero 480 repugnant. Docti varie hic instituerunt, ut cum rationibus suis chronologicis in concordiam redigant: quorum aliquam dabo notitiam. a. Sunt qui terminum a *quo* latius explicandum esse censent, ita ut phrasis *exitus* Israelis ex AEgypto *ingressum* in Cananaeam involvat, ut Petavius, imo quietem quoque *arcae* foederis in Cananaea, uti Abramus in Pharo, qui toti periodo tribuit

 annos

annos 519. Sed 1. si id voluisset scriptor, *ingressum*, vel *arcae* quietem, memorasset, quod aeque facile potuisset. 2. Licet phrasis *egressus* ex AEgypto latius sumi queat, non potest tamen, ubi *terminus a quo* figitur, et epocha inde ducitur: nec ullum ejus exstat exemplum. 3. Minus לצאת, cum praef. ל ita capi potest; cum latiorem usum tantum admittat cum praef. ב: quod Script. S. legenti sese sponte sua offeret. *β.* Nec aliis res melius successit, qui historici scopum fuisse autumant 1 Reg. VI: 1. non *totum* tempus ab exitu ad Salomonem definiendi, sed eorum tantum annorum, quibus Israel liberum egit populum sub Mose, Josua, Judicibus, et Regibus, summam tradendi, annis servitutum plane neglectis: uti, praeter alios, uterque Vossius et Pezronus; cum non *qualitates* temporum, sed ipsa tempora, in chronologia conficienda, in censum veniant, nec hic aliquod indicium insoliti hujus moris, durationem periodi tradendi, occurrat. *γ.* Alii denique multa commenti sunt ad chronologiam, in primis Judicum decurtandam, varia usi methodo, ut cum hodierna lectione 1 Reg. VI. eam in concordiam redigant. Sed infelici quoque successu; uti in historia, supra tradita, ni fallor, evictum est.

§. DCXXXII. Nihil itaque superest, quam ut descriptorum incuria mendum statuatur in numeros 1 Reg. VI. irrepsisse, quo varii Docti quoque inclinarunt, licet in vera lectione constituenda secum dissentiant. Serrarius utique legit 680, Perizonius vero 580, Vignolius 648, sicut jam olim ipse Josephus. Quae postrema sententia nobis etiam adprobatur, adeo ut vera lectio sit, si vocibus plenis sit exprimenda, בשמנה וארבעים שנה ושש מאות שנה 48 *annis*, *et* 600 *annis* seu 648. Unde unde etiam hodierna lectio fuerit orta. Negari utique amplius nequit, numeros haud uno in loco fuisse vitiatos, sicut facile fieri potuit, maxime postquam *litterae* numerales in usu fuerint: stare non posse lectionem Masorethicam, vel id demonstrat, quod cum chronologia nullo modo conciliari queat, nisi arbitrariae non solum, sed et violentae adhibeantur hypotheses. Accedit, vel vitium Act. XIII. in duratione periodi

Judicum

Judicum, vel in nostro loco esse statuendum; sed sana est lectio Act. XIII. ut ex dictis patet. Nec nova, sed antiqua valde, est opinio de loco 1 Reg corrupto, cum Josephus, aliique veteres, passim ab hoc loco discesserint, nec ejus in Chronologia rationem habuerint.

Tertia pars tractationis de populis vicinis et aeris illustrioribus.

§. DCXXXIII. Historiae Israeliticae cum subjungere, ad ejus quoque illustrationem, soleamus notitiam populorum vicinorum, aut quibuscum Israeli res fuit, traditiones quoque Gentilium, nec non aeras praecipuas, sive sacras, sive exoticas, quae in periodum, de qua agimus, incidunt; initium sumam hujus tractationis a Moabitis, Ammonitis, Idumaeis, et Philistaeis, quorum arctior fuit ad Israelem relatio; sed eo brevior ero, quod Comment. Cl. Vitringa ad Jes. in omnium manibus est, quem maxime commendo, qui satis adcurate suis locis de iis exposuit, *Moabitarum* progenitor fuit Moab, filius primogenitae filiae Lothi, ex incestuoso concubitu cum Patre, mentis prae vino pro eo tempore minus compote, saltem inscio aut non advertente, ac ad animum revocante, prae libidine exaestuante, quacum concumberet, conceptus mox post Sodomae et vicinarum urbium subversionem, quando nemo putabatur superesse, ex quo familia posset propagari, adeoque talem concubitum, tanquam in statu naturali, non adeo turpem esse habendum censebatur, Gen. XIX. Qui nomen מואב accepit a matre, non quod *ex Patre* natus esset, sed, quod honestius est, simul vocis formae conjunctius, quod maxime fuerit a matre *desideratus*, a rad. itaque יאב vel ואב *intensissime* aliquid *anhelare*. Sedes habuerunt antiquissimas ad ortum maris mortui, et fluvii Jordanis, scilicet a fine australi maris, seu Tscare, trans torrentem *Zered* et *Arnonem* fluvios, qui uterque in hoc mare influit, *ille* versus austrum, *hic* versus septentrionem, usque ad fluvium *Jabok*, qui infra lacum Tiberiadis in

 Jordanem

Jordanem ſe exonerat. Quae optimi ſoli erat regio, in primis pars *campeſtris*, nomine *campeſtrium Moabi* nota in Script. S: Eripuerunt autem Moabitae hunc tractum antiquioribus incolis giganteae ſtaturae et fortitudinis, quos propterea אימים *Emim* adpellarunt, quaſi dicas, *ignem*, aeſtum, *fumum* terribilem ſpirantes, adeoque viros formidinis bellicae, bellatores terribiles, a rad. אים proprie *arſit*, *aeſtuavit*, fumum aeſtuantem excitavit. Vid. Deut. II: 10, 11. Sed antiquas haſce Moabitarum ſedes coarctarunt deinceps *Amorrhaei*, *qui montana Judaeae* antiquitus inſederant in Cananaea, Num. XIII: 29. Sed inde egreſſi, et Jordanem tranſeuntes, Moabitas eo tractu expulerunt, qui inter Jabokum et Arnonem interjacet, rege Sihone Num. XXI: 26. quando terminus Moabitarum ſeptentrionalis factus eſt *Arnon*. Quo in ſtatu eos deprehenderunt Iſraelitae, in Cananaeam tendentes, qui, itinere in ortum flexo, eorum terras circuierunt, et Amorrhaeos, hoſtiliter ſe invadentes, ſuperarunt, expulerunt, et terras eorum ſibi in perpetuam vindicarunt poſſeſſionem, licet poſtea, cum regnum Ephraimitarum debilitatum erat, inſigniores urbes trans Arnonem recuperarint.

§. DCXXXIV. Hiſtoriam eorum antequam, relate ad Iſraelitas, tradam, de eorum *religione* paucis exponam. Adpellatur eorum idolum בעל פעור *Baal-peor* Num. XXV: 3. Pſ. CVI: 28. nec non כמוש *Camoſch* Jer. XLVIII: *Prius* nomen *Dominum montis Peor* denotat, quia in eo fuit praecipue cultus: eſt enim nomen montis, Num. XXIII: 28. et, Baales vicinarum gentium nomina a *montibus* ſaepe accepiſſe, conſtat. *Poſterius* vero *celerem* et feſtinum deſignat, ut ex lingua Arab. patet. Quae nomina, cum in *ſolem*, apud orientales nomine *Baalis* coli ſolitum, recte quadrent, Deaſtrum ipſorum fuiſſe *ſolem*, recte ſtatuitur; ſicut Ammonitae, ejuſdem originis, quoque fecerunt ſub nomine *Molech*, vel *Milcom*, qui *dominus coelorum* (בעל שמים) adpellatur, et cum *Camoſcho* Moabitarum eodem ordine recenſetur, 1 Reg. XI: 33. imo confunditur Jud. XI: 24. Accedit, Herodotum in hiſtoria Cambyſis lib. III. tradere,

tradere, Arabes, ad quos Moabitae, Ammonitae, Midianitae, ac qualescunque Scenitae pertinent, duo colere tantum numina, *Dionysum* et *Ouraniam*, seu Solem et Lunam, illum ὀροτάλτ h. e. ignem, lucem sublimen, hanc *Alilat*, excelsam, adpellari. Phrasis vero *copulare sese Baali* Num. XXV: 3. et alibi, videtur tantum ritum aliquem exprimere, quo Israelitae aliqui sese ejus cultui adjunxerunt, ut placerent *amasiis* suis, seu foeminis idololatricis, quae virginitatem, vel pudicitiam, in gratiam Baalis dabant vitiandam.

§. DCXXXV. Dum Israelitae in campestribus Moabi, terram Cananaeam petentes, versarentur, Balak, rex Moabitarum, iis per Bileamum nocere quidem tentavit, sed in proprium damnum, ipso Bileamo benedicere Israeli, tristia simul fata Moabitis denunciare, compulso Num. XXII. De quo supra in historia morae Israelitarum in deserto egi. Deinde Israelem, in Cananaea jam stabilitum, adgressi sunt, et subjectum tenuerunt 18 annos, quando per Ehudem oppressi sunt, magnaque clade adfecti, ut supra suo loco quoque exposui. A quo tempore sese diu hac parte tenuerunt, quantum constat, quietes, Israelem nec vexantes, nec ab eo infestati; quin amice inter se ac concorditer agentes. Cujus notabile exemplum historia reliquit in Elimelecho, ejusque uxore Naomi, prae fame in terra Moabitica versantibus; et duobus eorum filiis, uxores Moabiticas ducentibus, quibus mortuis, una earum Ruth, Naomi in Cananaeam secuta, dein nupsit Boaso, progenitori Davidis. Quae historia in libro Ruth exstat, ideo libris canonicis inserto, ut genealogia Davidis conservaretur integra, nec notabilis hic familiae ejus casus oblivioni traderetur. De *tempore*, quo hic casus contigit, nihil certi, nisi in genere, definiri potest. Incidisse in periodum Judicum Israelis, ex c. I: 1. quidem constat, sed *quando*, et sub quo *Judice*? non additur: nec in ipso libro aliquod occurrit definiti temporis criterium. *Fames* quidem memoratur, sed de tempore et occasione nihil additur, nisi quod non ab hostilibus invasionibus, ut nonnulli putant, sit repetenda, verum a Deo inflicta, cum

a Dei *viſitatione* ejus ceſſatio derivetur, c. I: 6. argumento, eam *pluviae* defectui acceptam eſſe referendam. Forte ex genealogia c. IV: 18. aliquid adcuratius erui poſſet, ſi ejus decurtatio incipere ſtatuatur cum *Salma* v. 20. Utique inperfectam eſſe recenſionem generationum, dubium mihi non eſt, quod jam obſervatum eſt. Tempus a Nachſone, qui princeps Judae fuit tempore Moſis Num. VII: 12. uſque ad Iſai, patrem Davidis, qui tempore Sauli ſuperfuit, longius eſt, ut facile patet, quam ut duabus ſuppleri poſſit generationibus. Ratio, quare poſt Salmam generationes aliquas intermedias ſtatuam, diſcrimen nominum *Salmae* et *Salmonis* facit, ſive ſtudio fuerint, incerta de cauſa, nonnullae omiſſae, ſive vitio et incuria librariorum, qui, litterarum ſimilitudine decepti, oculos a Salma ad Salmonem verterunt. Repetitur quidem 1 Chron. II: 11. *Salma*, ſed, niſi *Salmon* legi debeat, vicina tantum fuiſſe nomina arguit. Quo admiſſo, duae tantum generationes inter Boaſum et Davidem fuerunt: unde aliquid, licet adhuc in genere, de tempore hujus caſus determinari poſſet. Sed nihil definio.

§. DCXXXVI. Sed haec Hiſtoria Ruthae notabilior eſt, quam ut ſine aliqua illuſtratione, qua adhuc indiget, eam ſilentio tranſeam. Faciam tamen ut brevis ſim, obſervatis pure philologicis miſſis. Complectitur libellus *quatuor* ſingulares caſus totidem capitibus, ad quos obſervata quaedam eo dabo ordine. *Prima* pars libelli hiſtoriam Ruthae Moabitidis continet, in familiam Iſraeliticam inſertae, et in Cananaeam Bethlemum tranſlatae cap. I. Cujus occaſionem *remotam* praebuit copulatio duorum filiorum Elimelechi *Ephrataei Bethlechemitae*, (h. e. ex territorio non tantum, ſed ipſa urbe Bethlehem: Ephrata enim videtur nomen eſſe territorii, et agri circumjacentis, unde Bethlehem Ephrata adpellatur in tribu Juda, ut ab alia ejus nominis in tribu Ephraim diſtinguatur) et Naomi, in terra Moabitica, famis ergo in Cananaea, per decem annos degentibus, cum duabus foeminis Moabiticis, Hophra et Rutha: cujus rei ratio reddi nequit, niſi forte, ut Naomi, mortuo marito, melius

ius in terra peregrina sustentaretur; cujus conjecturae videtur aliquod indicium exstare v. 8. ubi Naomi, uxores eas et erga maritos, et erga se, benignitatem exercuisse agnoscit, et celebrat, quod eo recte refertur; vid. et c. II: 11. Eam enim in pauperrimam fuisse delapsam conditionem, ex hoc et seq. capite facile elucescit. *Proxima* vero occasio quaerenda est in firmo Ruthae proposito matrem, post mortem viri sui, sequendi in patriam: sicut fecit, altera nuru, aeque vidua, eam in itinere deserente. Videntur vero nurus sese in initio comites socrui dedisse in itinere, eo scopo, ut eam in ipsam Judaeam comitarentur, uti ex v. 7. colligitur, et quod eam se deserere nolle dixerint, v. 10. Cum vero eam viderentur sequi velle spe novarum nuptiarum cum filiis, ex Naomi adhuc nascituris, secundum legem leviratus de fratris defuncti vidua ducenda a fratre superstite, sive ista consuetudo inter Moabitas etiam fuerit, sicut ante legem Mosis etiam inter Israelitas, ut ex historia Judae patet, sive ritus Israeliticos adoptaverint, Naomi vero hanc spem ipsis eripuisset, nolens quoque eas eorum filiorum, si qui adhuc nascerentur, causa *torqueri*, *ne sint viro*; v. 13. (verbum enim עגן proprie est *torsit*, ut ex Arab. lingua liquet, unde עֻגָה *placenta*, proprie torta, unde, ut Lat. *torquere*, ad tristitiam transiit) una eam deseruit, sed altera Ruth, sub spe contra spem, sequi statuit. Cum vero Naomi, post Hophrae discessum, Rutham eo quoque compellere pergit, illud explorandi animum ejus gratia magis, quam ut mansisset eam discedere, factum autumaverim, adeo ut Ruthae perpetuum comitatum noluerit, nisi omnibus rebus bene ponderatis, et molestiis, quae ipsi accidere possint, probe ad animum revocatis, ne postea ducatur poenitentia, in primis quoque quoad religionem patriam, cui plane debeat renunciare. Hoc animo eam haec Ruthae proposuisse, ut credam, facit, cum amor ejus erga Rutham, tum pietas, et religionis studium: quibus salvis utique serio suadere non poterat Ruthae, ut sociam sequatur, quam dixerat ad *Deos suos* revertisse. Vo-

luit quidem Naomi Rutham sociam, sed spontaneam, et contra omnes molestias obfirmatam, simul veri Dei, missa omni idololatria, cultricem. Quem animum ut exploraret, et Rutha explicaret, dixit ei, *revertere post fratriam tuam*, acsi dixisset, sequere et tu eam, licet, et melius tibi est, nonne? quid mihi miserae, orbae et pauperculae, adhaeres? vide quid facias, et num ad omnia sis parata.

§. DCXXXVII. *Secunda* pars libri, cap. II. singularem, Deo rem ita dirigente, enarrat modum, quo Boazo, viro diviti, sed pio, et arctissimo vinculo cum familia Elimelechi connexo, innotuit non tantum, sed et summum ejus adepta est favorem, in eo situm, quod in ejus agro solo spicas, ad socrus sustentationem collegerit, non una aut altera vice, sed pluribus vicibus, et constanter: uti v. 7. recte intellecto, indicatur, his verbis; ut verti debent, *hic habitare ejus*, *parum domi* h. e. *hic* in agro habitat (זה est pro בזה, ut Num. XXII: 19.) *domi parum*, scilicet est, manet, *habitat*, ex superiore facile supplendum. Unde recte colligitur, Rutham non tunc primum collegisse spicas, cum Boazo innotuit, sed illud jam plus una vice fecisse; quod ex verbis praecedentibus firmatur, et *venit* et *stetit* (verbum עמד denotat, in opere esse constantem, sine interruptione, et cum impetu ei incumbere: non ergo תעמר *spicas collegit* ei est substituendum, ut non nemini visum est) *a tunc* (scilicet a quo tempore primum licentiam id faciendi petiit,) *mane et usque ad nunc* (h. e. ab omni mane constanter ad hunc usque diem, absque ut fere domi versetur, ita ut hic habitare censeri possit. Quod vero ad benevolum Boazi in eam adfectum adtinet, ipse non solum in agro suo spicas colligere permisit, sed in eo solo ut id faceret jussit, simul, quod plus est, addit, v. 9. *et etiam ne abeas hinc*, *sed hic ancillis meis adhaerescas*; quo significatur, eam non mox, collectis spicis, abire debere, ut moris erat, sed cum ancillis manere, ac edere et bibere; ut v. 10. habetur. Denique ipsam a beneficentia erga matrem laudat, et quod patrios lares ac Deos reliquerit, ac populo Israelis se adsociaverit,

ſociaverit, et *ſub alis Jehovae* fiduciam collocaverit; qua phraſi ad maritum, quem amiſerat Ruth, reſpicitur, et indicatur, Jehovam ejus loco futurum, ſimul curaturum, ut novi mariti alis obtegeretur, vid. c. III: 9. et Ez. XVI: 8. Ceterum, licet caſu dicatur in agrum Boazi delata v. 3. his verbis per parentheſin, quod obſervo, inſertis, et *obtigit caſus ejus*, haud unum tamen divinae directionis ſeſe prodit indicium, qua Deus Rutham ad hunc agrum deduxit, ipſum Boazum eo ipſo tempore eo miſit, denique animum meſſorum, maxime Boazi, ad eam ſingulari modo flexit.

§. DCXXXVIII. *Tertia* pars, cap. III. artem enarrat, a ſocru ſuggeſtam, qua viam ad nuptias cum Boazo ſtravit Rutha, in eo ſitam, quod tempore hilaritatis ſeſe noctu ad pedes Boazi, poſt lautiorem coenam recumbentis, depoſuerit, eumque de nuptiis verecunde interpellaverit, eo cum ſucceſſu, ut in vota ejus conceſſerit, hac conditione, ſi propinquior eam redimere, ſibique ſumere uxorem, recuſaret. Quae ſingularis eſt hiſtoria, non e noſtris, ſed hujus temporis moribus dijudicanda, nec tamen ex hujus temporis conſuetudine in genere, ſed relate ad ſtatum Ruthae et Boazi. Puellis utique tali via licitum fuiſſe ad nuptias convolare, nec Legi, nec bene conſtitutae civitati convenit. Sed hic alius fuit, et peculiaris caſus, ex Goelis ac Leviratus conſpectu, exponendus. De quo ut rectius, et in meliorem partem, quod aequitas, ut faciamus, requirit, judicetur, ſequentia velim adverti. 1. Rutha nihil, niſi conſenſu non tantum, ſed ſuaſu ſocrus egit, adeoque obedientiae et reverentiae erga eam limites non migravit. 2. Nec ſocrus nec nurus ſordidam intendit mercedem, aut libidinoſum commercium, ſed honeſtas nuptias; v. 1 et 9. 3. Ipſum Ruthae factum a pietate, ac benignitate laudavit Boaz, vir gravis et pius, ut ex cap. II. patet, in primis v. 11, 12., imo Rutham ingente ornavit encomio, quod optimis eſſet moribus, et vitae probatae, v. 10, 11. 4. Quaeſitae porro ſunt nuptiae legitimo jure, quod cognatio Boazi cum viro defuncto praebebat, adeoque ex pio et laudabili propoſito

 ſemen-

ſemen defuncto ſuſcitandi. Quod ejuſmodi viduabus non tantum licebat, ſed exigi quoque a ſuperſtite cognato, vel fratre, poterat, uti conſtat. Hac parte itaque Rutha culpanda non eſt, quod deſiderium ſuum Boazo ſignificaverit. 5. Artes, quibus uſa eſt, eo tendebant, ut Boazo facilius perſuaderet nuptias, indeque videntur ortae, quod vel ipſe fuerit ad illud officium defuncto praeſtandum in principio minus inclinatus, vel lex, de fratre defuncti tantum loquens, illud ad litteram non requirat, benigna tantum interpretatione admittat, et pro laudabili habeat. Duo autem concurrerunt, ad Boazum permovendum apta, circumſtantiae, et pietas Ruthae erga defunctum. Erat enim, per circumſtantias temporis, hilari animo Boaz, per cibum et potum copioſiorem, teſte hiſtoria. Pietas Ruthae ab ipſo Boazo fuit agnita et celebrata, v. 10. ubi dicit, *pietas tua poſterior eſt priore major: prior* fuit, qua matri adhaeſit mariti defuncti cauſa, *poſterior*, qua, miſſis juvenibus, nuptias ſenioris ambivit, nullo alio ſcopo, quam ut defuncto ſemen ſuſcitaretur. Hactenus itaque nihil, a moribus ſui aevi alieni, commiſit Rutha. Sed 6. quid eo fiet, quod Boazo ſeſe tam prope per noctem junxerit? Cum nuptias licite potuerit et honeſte cum eo quaerere, in eo non videtur adeo culpanda, quod aptiſſimam inſtiterit viam, modo nihil turpis aut illiciti commiſerit, quale quid non erat, Boazum opportuno tempore et loco convenire: ſicut fecit, et Boaz ipſe laudavit. Periculum quidem carnalis commercii incurrit, ſed, ne ab ipſo, viro gravi, et ſenioris aetatis, tale quid metuendum non eſſe, dicam, illud ipſum, ſi ſcopo conjugii fiat, a moribus hujus temporis non adeo abhorrebat. Sed non accidit, cum Boaz ipſam de propinquiore Goele admonuerit. Voluit autem Boaz factum illud occultari, cum propter propinquiorem illum, tum ne ſiniſtris obnoxium eſſet ſuſpicionibus.

§. DCXXXIX. Promiſſo qua ratione ſteterit Boaz, ſibique Rutham acquiſiverit uxorem, *quarta* libelli parte, cap. IV. refertur. Ubi illud ſingulare occurrit, quod nuptiae cum Rutha

connectantur

connectantur cum redemtione agri, ita ut Goel, qui agrum redemit, etiam eam debuerit ducere: cum Goelis, nec Leviratus lex, Lev. XXV. et Deut. XXV. illud exigat: non *prior*, quia possessionum redimendarum tantum meminit, non *posterior*, quia de Goele non agit, sed fratre defuncti, nec frater defuncti fuit Boaz: qui etiam ad id non erat obligatus, secus ac frater defuncti; accedit, *calcei exutionem* hic non a lege, sed a consuetudine repeti, quae quoque hic a vidua non est facta, nec cum sputo ejus in faciem conjuncta; uti in leviratu, si frater recusaret. Sed, licet ex neutra lege exponi queat hic casus, videtur tamen ex utraque lege conjuncta fluxisse, et de utraque quid participasse. Casus fuit singularis, nulla lege definitus, sed ex commoda illarum legum interpretatione introductus. De quo ut rectius judicetur, casus in clariore luce est collocandus. 1. Duae hic occurrunt viduae, una provectior, altera junior aetate, ad sobolem defuncto suscitandam apta. 2. Bona defunctorum ad matrem et nurum erant devoluta pro ususfructu, et ab iis ad sustentationem suam alienari poterant. 3. Venditione ea ratione a Naomi, in cujus potestate erat nurus, facta, propinquorum erat ea redimere in usum pauperum viduarum. 4. Cum autem duo erant propinqui, qui Goeles erant, alter altero propinquior, usu obtinuit, ut qui viduam defuncti ducere voluerit, potiore gaudeat jure. 5. Adcessit denique, pietatem, et commodam legis de fratria interpretationem postulasse, ut vidua, quamdiu defuncto possit suscitare semen, agrum ita possideat, ut cum marito defuncto reservet, ad nomen ipsius propagandum, adeoque alienari non possit, nisi sub conditione, quae sine vidua praestari nequeat. Unde agri cum vidua conjunctio in casu redemtionis fluxit. Ager erat mariti defuncti, et licet a vidua possideretur, manebat tamen ejus, et nomen ejus erat super eo nominandum. Quando itaque vidua superesset, quae liberos parere poterat, ager non poterat commode alterius fieri, nisi simul vidua, ad nomen defuncti conservandum, duceretur.

§. DCXL. Postremum illud ex hoc et praecedente cap. clare

 elucescit,

elucescit. Naomi enim et Ruth sese, in petitione quoque nuptiarum, fundant in lege redemtionis; nec alia ratione Boaz cum altero propinquiore egit. Nuptiae itaque ab agro redimendo repetuntur, et non directe a lege de fratria ducenda, quae ad agri redemtionem nullam habet relationem; quare alia lex in subsidium vocata est, fundata in obligatione ad fratri semen suscitandum. Cum itaque ager defuncti esset redimendus, qui viduam, proli proferendae aptam, reliquerat, pietatis erat agrum sibi sine vidua non comparare, ut sic defuncti memoria propagaretur. Qui tamen nexus, cum ex lege non haberet originem, poterat quis legitime se excusare, et alteri jus redimendi cedere, qui hanc defuncto praestare volebat pietatem. Imo vero jus redimendi ad eum, qui viduam sibi adsociare volebat, devolvebatur; uti supra observavi. Agrum defuncti redimere lex jubebat, sed agrum sine vidua sibi non comparare, pietatis erat in defunctum, nulla vero obligatio: quare Ruth ad Boazi vota consequenda usa fuit, ut supra habuimus, arte, jus autem redemtionis ad eum pertinere, qui hac pietate defungi volebat, consuetudo et aequitas postulabat. Id quod ex colloquio duorum propinquorum facile eruitur.

§. DCXLI. Rogat propinquiorem Boaz, velitne agrum redimere, nec ne? v. 4. his verbis, quae, ut legi et verti debent, proferam: *et, ego dixi* (seu *promisi*, c. III: 12.) *me auribus tuis revelaturum* (rogando scilicet et monendo) *dicendo: ecce* (pro הנה *ecce* irrepsit, quod facile fieri potuit, קנה *compara*, cui hic nullus locus est) *coram sedentibus et populi mei senioribus, si redimes; aut si non redimes* (pro יגאל *redimet* leg. תגאל *redimes*, ut facile cernitur, et Piscator jam observavit) *indica mihi, ut norim.* Cum vero respondisset, *se velle redimere:* suum de Rutha ducenda interponit propositum Boaz, declarans, nisi et ipse id velit, ipsum jure redemtionis excidere: v. 5. his verbis, ita legendis et capiendis: *et dixit Boaz, quo die comparabis tibi agrum e manu Naomi; etiam Rutham,* (pro מאת enim leg. גם את, uti v. 10. *a Rutha* enim abhorret ab hoc loco) *Moabitidem, uxorem defuncti comparasti* *mihi*

mihi (קניתי, pro quo marginalis lectio habet קנית, recte sumitur pro קנית לי *comparasti mihi*, et *mihi* emphatice abundat, ut saepe alias: sed hic simul indicare potest, Boazum id in animo habere, ita ut idem sit, ac *meo loco*, quia ipse facere volui.) : Cum hac conditione se agrum redimere non posse regessisset propinquior, adeoque juri suo cedere, illudque in Boazum transferre, solenni ritu *calcei* exuti, et emtori traditi, confirmavit. Qui ritus cum simili in casu leviratus repudiati non est confundendus, cum vidua ibi calceum fratri defuncti detrahebat, simul in ejus faciem conspuebat, cujus hic nullum est indicium, sed pro consuetudine habendus, cujus usus fuit in omni contractu seu permutatione: ut diserte traditur. Rectius itaque pro solenni ritu traditionis praedii, et pignore ejus, habetur, quo quis declarabat, et obsignabat, se jure suo in agrum, vel possessionem, se *exuere*, sicut *calceo* suo, illudque tradere alii. Quem eundem conspectum, sed cum ignominia conjunctum, cum habuerit in lege leviratus, inde censeri posset desumtus, et ad omnes permutationes translatus, demta infamia. Sed forte antiquior est, cujus simile quid in eo fuit conspicuum, quod in signum loci, Deo sacri, *calceus* fuerit exutus, ut in Mose Ex. III: 5. et Josua Jos. V. exempla sunt, adeo ut eo ritu fuerit indicatum, homines jus in eum locum cedere debere Deo.

§. DCXLII. Boaz, hac ratione in agri et Ruthae possessionem legitime inmissus, publicis gratulationibus est et benedictionibus celebratus a civibus Bethlehemiticis ob singularem pietatem, v. 9—12. Ubi illud notari meretur, Rutham ab ipsis dici a Boazo adsumtam, *ut nomen defuncti suscitaretur super haereditate ejus*, v. 10. Quo nomen defuncti, respectu *agri*, qui ejus maneret, esse conservandum, significari videtur, ita ut in tabulis et recensionibus agrorum foret, et adpellaretur, *ager Machlonis*, quod fuit nomen defuncti, id quod per filium, ex Rutha procreandum, efficeretur, qui *agri* respectu diceretur *filius Machlonis*: dico, *agri* ratione habita, non sine causa, cum in publicis populi recensionibus, non Machlonis, sed Boazi

Eeee 2 foret,

foret, qui ex Rutha nasceretur; uti ex tabula genealogica quoque v. 18 liquet. Per legem leviratus primogenitus filius de nomine defuncti adpellabatur, sed hoc in casu singulari filius gerebat nomen Patris naturalis, quo ex gr. *filius Boazi* vocabatur, sed defuncti nomen respectu possessionis, et in illis tabulis videtur gessisse, ut cum ex eo liquet, quod nominis defuncti suscitatio ad haereditatem restringatur, tum quod Obed filius Boazi dictus fuerit, et non Machlonis, tum denique Boazi nomen quoque per filium dicatur *nominandum*, et propagandum, v. 11, 12. Quod in casu leviratus locum non habebat. Optant autem cives, inter alia, v. 14, ut Boaz *robur faciat in Ephrata, et nomen nominet in Bethlehem* h. e. opes et potentiam amplificet, et *nomen* suum per filium reddat perpetuum, ac celebre, quod mox, filio procreato, dicitur v. 14. *nomen Goelis esse nominandum in Israele*, scilicet Boaz, qui liberis carens, nomen suum reliquit per *filium*, ex Rutha, quam singulari pietate, tanquam Goel, sibi cum agro adoptaverat, natum. Verbum קרא de successione familiae, et filiis, in quibus nomen Patris nuncupatur, adhibetur, uti Gen. XXI: 12. Jes. XIV: 20 et alibi. Quo eadem tendit gratulatio et benedictio, a foeminis Bethlehemi, post filium natum facta: quae nos non detinebit. Illud tantum observo, nomen filio ab illis fuisse convenienter gratulationi, Naomi factae, inpositum עובד *Obed*, quasi dicas *servientem*, et ministrantem, relate ad Naomi, cujus rei respectu etiam *ipsi*, in solatium ejus, dicitur natus. Sic filius legitur *ministrare Patri*, Mal. III: 17. Sed et in civium ac foeminarum Bethlehem. gratulationibus, et benedictionibus omen, et praeludium aliquod, celebritatis hujus domus, postea futurae, sese offert; quod in Davide, inde orto, inpletum esse constat. Quo etiam ducit, quod historicus, cum memorasset filium illum fuisse *Obedem* nuncupatum, subjungat, v. 17. *ipse est Pater Isai, patris Davidis*: et genealogiam Davidis recenseat: de qua supra quaedam monui.

§. DCXLIII. Progressu temporis qua ratione Saulus injurias, tempore oppressionis Philistaeorum vel Ammonitarum, Israelem

infestan-

infestantium, ab iis acceptas, ut vindicaret, et regnum firmaret, *Moabitas*, in ordinem redegit, 1 Sam. XIV: 48. David vero penitus prostravit, et sibi subjecit 2 Sam. VIII. cum ex superiore historia Sauli et Davidis constet, ad Ammonitas pergo. *Ammonitae*, quorum progenitor ex altera natu minore filia Lothi, cum patre eadem ratione concumbente, natus et בן-עמי *filius populi mei* dictus fuit. unde posteri בני-עמון *filii ingentis populi*, (terminatio enim ון multitudinis est nota) Gen. XIX. sedes habuerunt ad ortum Arnonis, ita ut Jabokum adtigerint, qui terminus eorum dicitur, vid. Num. XXI: 24. Deut. II: 37. Quas etiam, sicut Moabitae, fratres et vicini eorum, eripuerunt gigantei generis hominibus, quos ob proceram staturam, et formidabilem virtutem, זמזמים *Zamzummeos*, ut ex ling. Arab. patet, adpellarunt Deut. II: 20, 21. Metropolis eorum fuit *Rabba*, seu *magna* et principalis, Deut. III: 10. 2 Sam. XI: 1. 1 Chron. XX: 1. Ptolemaeo Rabbat-Ammon dicta, et postea, a Ptolemaeo Philadelpho, nomen tulit *Philadelphiae*, in confiniis Peraeae et Arabiae Vid. Euseb. in Ιαβωκ et Hieron. ad Ez. XXV. Ejusdem quoque Deastri ac Moabitae fuerunt cultores, ut modo vidimus, *solis* scilicet, nomine Molech, vel Milcom, *regis et domini coelorum*. Gravi oppressione vexarunt Israelitas, Transjordanenses non tantum, sed et cisjordanenses, a quibus populum vindicavit Jephta; ut in historia Judicum habuimus. Qua ratione Saulus eos adflixit, 1 Sam. XIV: 48. dein David 2 Sam. X. XI., qui eos plane subegit, supra quoque suis locis narratum est.

§. DCXLIV. Succedant *Idumaei*, conjunctiores adhuc Israeli, ab Edomo, filio Isaaci, et fratre Jacobi, *Esavo*, oriundi, et inde adpellati. Nomen עשו *Esau* mox a nativitate tulit, quia *pilis coopertus* fuit natus Gen. XXV: 25. Radix enim עשה proprie est *texit*, *cooperuit*: Philo Jud. Leg. alleg. l. III. vertit δασυς, quae vox etiam ipsi in alio loco, *de congr. quaer. erud. causa*, ubi δρυς legitur, restituenda est. *Edomi* vero cognomen, quod *rubrum* colorem, sed saturum, ad ni-

grum vergentem denotat, non tulit, licet אדמוני *intense rufus* fuerit natus, nisi postquam pultem *rufam* Jacobi, quam lassus a venatione ardenter petiit, ab eo, pro *jure* primogeniturae, emisset Gen. XXV: 30. Quo jure deinde penitus excidit per Jacobum Gen. XXVII. uti in historia Jacobi suo loco exposui. Hic observo, ipsum *primogenituram*, quo tempore eam vendidit, quidem sprevisse, sed postea, poenitentia ductum, cum benedictionem paternam, ei adnexam, in Jacobum vidisset translatam, odio suo in fratrem adeo indulsisse, ut necem ei intentaverit, sed cui postea quoque renunciavit, fratre in gratiam recepto, ut ex historia Jacobi, supra tradita, constat. Ex quo de indole Esavi judicium ferri poterit, forte paulo favorabilius, quam vulgo solet. Utique eum non autumaverim adpellari *fornicatorem*, aut *profanum* Hebr. XII: 16. sed tantum *primogeniturae*, cibi causa, *venditorem*, debet enim ἢ *aut* ex praeced. repeti, ut sit ἢ ὡς, *aut sicut Esau.*

§. DCXLV. Posteritas ejus ex duplice schedula exhibetur, Gen. XXXVI. *priore* antiquioris, sed *posteriore* recentioris temporis. In priore ipse Esau adpellatur *Edom*, sed in posteriore *pater* Edomi h. e. populi Edomi, seu Idumaeorum: qui diversus vocis usus diversos quoque arguit autores. *Prior* vers. 1—8. continet, 1. filios et nepotes Esavi, in Cananaea natos, antequam fixas posuerat sedes in terra Seir: fixerat quidem tentoria in ea ante mortem Isaaci, teste historia occursus Jacobi ex Mesopotamia redeuntis, sed nondum *fixas* ibi sedes habuit, vivo Isaaco, tanquam in terra sua, 2. discessum plenarium procul a facie Jacobi, quia nimia opum et pecorum copia propinquitatem eam non ferebat. *Posterior* schedula v. 9—fin. recentioris temporis comprehendit pericopam, post Mosen insertam, quae regum contexit catalogum, usque ad regiam Majestatem in Israele ortam, ut liquet ex v. 31. Occurrit autem in ea 1. filiorum et nepotum Esavi, in specie *Phylarcharum*, catalogus, v. 9—19. Per *duces* enim intelligendi sunt *Phylarchae*, φύλαρχαι, patres familiarum, penes quos fuit summa rerum, sive contemporanei fuerint, sive non,

quales

quales tempore exitus Israelitarum ex AEgypto adhuc fuerunt in Edomo, Ex. XV: 15. 2. Inseritur genealogia *Seir* Horonitae, qui ante Esavum illum tractum possedit et tempore Esavi, una cum ipso, ibi adhuc sedes tenuit; sed cujus posteritas postea ab Esavitis est expulsa: ut mox videbimus. 3. Catalogus sequitur Regum Idumaeorum, usque ad aetatem autoris schedulae, qui tempore *regni* in Israele orti vixit; v. 31—39. Qui reges fuerunt electivi, ut vel ex eo patet, quod *extraneus* inter eos locum habeat, v. 37. 4. Denique subjungitur catalogus *Ducum*, non qui post reges inter Idumaeos fuerunt, sed una cum ipsis, ita ut, regibus subordinati, singuli suas rexerint familias v. 44—fin.

§. DCXLVI. Montanum *Seir*, a Seir Horita sic adpellatum, Horitae enim ante Esavitas illud incoluerunt, Gen. XXXVI: 20. Deut. II: 12. est tractus montanus ad austrum Canánaeae, sed primitus ad ortum quoque aliquatenus sese porrigens, usque ad fluvium Zered, uti ex eo colligi posse videtur, quod Jacobus, nondum fluvio Jaboko superato, e Mesopotamia rediens, legatos jam miserit ad fratrem Esavum *in Seir* Gen. XXXII: 4. Insederunt hunc tractum in principio Horitae et Esavitae simul, et *hi* primum pro tempore, ut quum Jacobus Esavo obviam factus est, c. XXXIII: 16. dein mortuo Isaaco in perpetuum c. XXXVI: 6, 8. qua ratione loca illa facile conciliantur: sed progressu temporis, forte haud diu ante exitum Israelitarum, Horitis expulsis, sibi in possessionem totum tractum vindicarunt. Deut. II: 12. Quo in statu eos offenderunt Israelitae, qui, transitu per terras illas negato ab Esavitis, longo facto circuitu in terram Moabiticam venerunt. Num. XX. Ceterum tractus hicce, sicut fertilis valde fuit, ut Gen. XXVII: 39. Jacob in benedictione sua ipsi promisit, ita montibus, ac fortalitiis in iis positis, munitus erat ac *tutus:* Obadj. 3, 4. Quorum praecipuum erat בצרה *Botsra*, metropolis Idumaeae Jes. XXXIV: 6. Jer. XLIX: 13. Am. I: 12. probe distinguenda ab urbe cognomine Moabitidis. sita in Moabitide versus septentrionem, quae postea nomine [illegible]

 Bostrorum

Bostrorum inclaruit. Denotat autem nomen arcem *munitam*, sive in arduo loco sitam. Sicut arcem Carthaginis Poeni *Botsram*, Gr. εὔςραν adpellarunt. Celebratur etiam תימן *Teman*, Jer. XLIX: 7, 20. Am. I: 12. regio Idumaeae, a filio Eliphazi, et nepote Esavi, sic dicta Gen. XXXVI: 14. quae vox pro austro aliquando sumitur, sicut ad *austrum* quoque Cananaeae fuit Idumaea. Esavitae, licet Israelitis transitum per terras suas negarint, sese, temporibus Judicum, eorum rebus inmiscuisse non leguntur, sed tempore Sauli inter *hostes* populi Israelis numerantur, et ab ipso in ordinem redacti sunt, 1 Sam. XIV: 47. a Davide vero gravia passi, maxime postquam *praesidia* ejus deleverint, quando a Joabo sunt ad internecionem fere deleti, 2 Sam. VIII: 13— et 1 Reg. XI: 16. *Occisi* enim illi, quos Joab sepultum ivit v. 15. fuisse videntur praesidiarii Davidis, in Edomo positi, postquam eos praelio devictos subegisset, 2 Sam. VIII. quorum in vindictam ibi grassatum adeo terribiliter Joabum fuisse probabile est. Qua ratione vero Hadad Idumaeus, qui evaserat, Salomoni sub finem ejus se opposuit, et regnum rursus condidit, ad sequentem periodum exponam, sicut reliqua ad Idumaeos pertinentia, suis locis. Ceterum, quod ad Jer. XLIX: 10. jam observavi, singulare est, nusquam in Script. S. Idumaeis inputari idololatriam, nisi semel in genere, 2 Chron. XXV: 14. silente autore libri Regum, sive tunc maxime invaluerit eorum Idololatria, sive veri Dei *simulacra* tantum intelligantur. Joseph. Ant. XV: 7. memorat eorum Deum, dictum κοζε, *Goze* Ruffino.

§. DCXLVII. *Philistaei*, quibus infestiores et formidabiliores hostes non habuerunt Israelitae, quorum notitiam nunc paucis tantum dabo, adpellantur populi, qui tractum Cananaeae maritimum australem, Cananaeis ereptum, occupatum tenuerunt, sicut Phoenices septentrionalem. Medium vero Cananaeae erat totum *montanum*, longe ab austro usque ad confinium Galilaeae protractum, cui utrinque, ab ortu et occasu, subjecta erat planities. in occidua planitie, ad littus maris mediterranei protensa, שפלה *Schepua* adpellari solita, Philistaei *quinque* habuerunt

urbes

urbes primarias; quarum extremae erant *Gaza* et *Accaron*, illa versus *austrum*, haec *septentrionem*; de Gaza satis constat, et de Accarone illud inde colligitur, quod Philistaeorum regiones ducantur Jos. XIII: 3. a *Sichor*, ad AEgyptum spectante, ad *Acronem* versus septentrionem, et in limite boreali Judae ponatur ib. XV: 11. Intermediae sunt *Ascalon*, proxima Gazae, duabus *leucis* tantum inde distans, teste Brocardo, nec a mari multum dissita, *Asdod* seu Azotus, a mari paulo remotior, inter Jamniam et Ascalonem, denique *Gata*, quatuor leucis ab Asdodo, quacum et Jamnia conjungitur, 2 Chron. XXVI: 6., urbs *regia* dicta 1 Sam. XXVII: 5. quae alias habuit subjectas, inter quas Tzicklag. Habuerunt singulae hae urbes suos reges, dictos satrapas Jos. XIII: 3. singulae etiam sua numina tutelaria propria. Gazae colebatur *Marnas*, seu hominum dominus et rex, מר אנוש, Jupiter Cretensis, Accaronitarum Deus erat *Baal zebub*, dominus muscarum, seu earum abactor ὑπομύιος Apollo 2 Reg. I. Ascalon sub nomine *Derceti* colebat idolum, Veneris et maris Dei repraesentamen, erat enim mari proxima, Asdodi idolum erat *Dagon*, agriculturae praefectus. Sicut gens erat superstitiosa admodum, bellicosa et opulenta, teste historia, ita Israelis infestissima, quacum *aeternam* dicitur exercuisse inimicitiam Ezech. XXV: 15. Longa servitute oppressos Israelitas Simson liberare coepit, et ab eo tempore usque ad Davidis continuum fere fuit inter populos illos vicinos bellum, varia fortuna, Israeli passim sinistra, gestum, donec David eos fregit et subegit, 2 Sam. VII. et XXIII. De quo in superioribus satis egi.

§. DCXLVIII. Ortu non magis sunt Cananaei, quam Israelitae, sed in has oras Cananaeae aliunde migrarunt, adeoque pro *peregrinis* habendi, quare passim ἀλλόφυλοι adpellantur. Quo nomen פלִשְׁתִּים *Philistaeorum* etiam tendit, a rad. פלש proprie *quatere*, se quatere in itinere, seu *volutare* inde, uti in lingua AEthyopica et Samaritana *migrare*, ire de loco in locum, peregrinari. Originem vero traxerunt a Casluchaeis et Caphto-

 raeis,

faeis, populis adfinibus, Gen. X: 14. Deut. II: 23. Jer. XLVII: 4. Am. IX: 7. sive priores sint Colchi, et posteriores Cappadoces, quod Bochartus opinatur, sive illi Cyrenaei, et hi Cretenses, quod praeter alios contendit, majore eam verisimilitudine, Vitringa ad Jes., sive alii, nunc non dispuco, nec forte ad liquidum adduci potest. In Cananaeae partem, quam modo definivi, aeque translati sunt ac Israelitae, ita etiam, ut idem in eam obtenderint jus. Sic Deus ipse Am. IX: 7. *An non Israelitas ex AEgypto eduxi, et Philistaeos e Caphtor?* Eodem etiam fere tempore, vel potius paulo ante, patriis relictis sedibus, novas illas in Cananaea occuparunt, expulsis *Cananaeis*, Gen. XV: 21. memoratis, qui antiquitus oram maritimam, et maris Mediterranei et Jordanis, tenuerunt, Num. XIII: 29. Jos. XI: 3. Utique inter Cananaeae incolas ante ea tempora non occurrunt, (in lib. Genes. enim per anticipationem memorantur, uti c. XXI. fin.) et tempore exitus Israelitarum, recens eorum transmigrationis memoria erat, uti ex antiquo monumento Deut. II: 23. citato, colligi potest. *Et Avitas*, sic habent verba, *qui villas absque muro incolebant, usque ad Gazam, Caphtoraei, migrantes e Caphtor, exsciderunt, et locum illorum occuparunt.*

§. DCXLIX. Restarent Syri, in specie *Syro-Damasceni*, sed cum sequente periodo maxime in scenam prodierint, eo usque hanc tractationem differam. Pergo itaque ad populos paulo remotiores AEgyptios, Assyrios et Babylonios, eo scopo, ut, si pote, historia Israelitica inde illustretur. Quod fieri posset respectu AEgyptiorum, si modo Pharaones, qui Israelem adflixerunt, ex historia exotica monstrari possent. Consulamus itaque Herodotum, Diodorum Sic. et Manethonem, et exploremus, quid ex illis profici possit: recentiores supra suo loco jam citavi. Nomen ipsum *Pharaonis* nusquam sese mihi obtulit, nisi in nomine φέρων *Pheron*, quo filius Sesostris, secundum Herodot. l. II. fuit insignitus: sed illud tanti non est. Videtur nomen generale esse. et *regem*, seu *pastorem*, exprimere, ex praef. Copt. פי et רעה *pascere*, sive *ouro* ling.

Copt.

Copt. rege. Sed, misso nomine, rem ipsam investigemus. Characteres Pharaonis, Israelem dura servitute prementis, nullus regum, ab Herodoto memoratorum, expressit, nisi Cheopes, Rampsiniti successor, quippe qui, Deorum et hominum nulla habita ratione, populum tanquam servum tractasse, ac ad gravissimos labores, operaque servilia, damnasse legitur. Nomen Ramesis, רעמסס, cujus mentio est in historia sacra, Ex. I. aliquid quoque simile videri posset habere cum Rampsinito, sed tempora minus conveniunt, cum hi reges, secundum Herodot., excidio Trojae fuerint posteriores, adeoque a mora Israelis in AEgypto longe remotiores: nisi quis velit, tempora fuisse confusa, aut antiquiorum regum gesta ad recentiores translata. Utique negari nequit, ea, quae Herodot. de Sesostri, Ramesse, et Cheope tradit, multam habere convenientiam cum iis, quae historia S. de Pharaonibus et Israelitis habet; quae olim in lucem produxit eruditus Vir Daniel Szathmari Hungarus in disputatione Academica, meis sub auspiciis, publice hic defensa: quae recudi meretur, et legi. Ex Diodoro Sic. parum quoque lucramur; unus apud ipsum occurrit Amasis, a tempore Israelis morae in AEgypto non adeo remotus, qui violento inperio plebem oppressit, donec, rege Aethyopum ipsum invadente, multi ab eo defecerint. Sed hoc parum juvat. Plura nobis forte suppeditabit Manetho, cujus aliquod fragmentum conservavit Josephus, quod in ejus libr. I. contra Apionem exstat, et doctorum jam exercuit ingenia.

§. DCL. Tradit, Pastores, quos *Hycsos*, reges *pastores*, vel *captivos*, adpellat, in AEgypto per 511 annos fuisse dominatos, indeque tunc disceessisse in Palaestinam Syriae, et condidisse Hierosolymam sub Amosi, primo dynastiae XVIII*vae* rege: sed qui deinceps, post multos annos, a *leprosis*, et male adfectis hominibus, pessime ab Amenophi IV*to*, Sethosis nepote, Dynastiae XIX*nae* rege tertio, habitis, et ab ipso deficientibus, electo duce sacerdote quodam Heliopolitano *Osarsipho*, evocati sint, quando AEgyptum varie vexarunt, et spoliarunt, Amenophi cum exercitu discedente in Aethyopiam: donec,

 postquam

postquam in homines et Deos per 13 annos saevissent, ab Amenophi, qui eos magna adfecit clade, expulsi sint. Hanc traditionem Veteres Christiani, Josephum secuti, transtulerunt ad Jacobum ejusque familiam, descendentem in AEgyptum, quam *Joseph*, e pastoribus ortus, totam gubernavit sub Pharaone, sed recentiores alii eam rejecerunt, ut Jos. Scaliger, Bochartus, Marshamus, alii eam adstruere conati sunt, ut N. Abramus, Usserius, Perizonius, Vitringa, alii; licet vera mixta sint falsis, uti passim fieri solet. Sed posteriores eodem modo non instituunt. Sunt enim qui priorem tantum partem adsumunt, et adplicant: secundum quos Pharao foret Amosis, sub quo Israelitae sunt egressi. Sic Veteres Ecclesiae Doctores, et sic etiam Pezronus, et Perizonius, qui famosum Sesostrin propterea ad tempora Judicum referunt. Sed alii utramque partem recipiunt, qui de Pharaone faciunt Amenophin IV*tum*. Quam opinionem tuetur, et in luce collocavit N. Abramus, nec longe abit Usserius, nisi quod intelligat Amenophin III*tium*, Sethosis, seu Sesostris, Patrem. Dynastiae XVIII*vae* Diospolitanae, apud Manethonem, duo ultimi reges sunt Ramessis, et Amenophis III*tius*, Dynastiae vero XIX*nae* 1*mus Sethos* seu Sesostris, 2*dus* Rhapsaces, seu Ramessis, 3*tius* Amenophis. Usserii sententia consistere nequit, nisi, quae de Sesostri, ejusque victoriosis quaquaversum expeditionibus, narrantur ab Historicis, omnia habeantur ficta, ita ut ne probabilitatis species supersit, nihil quoque, quod fabulosis narrationibus ansam praebere potuit. AEgyptus enim si tanta fuerit adfecta calamitate, Pharaone cum exercitu aquis submerso, qui pater Sesostris fuisset, aliquid veri subesse traditioni de Sesostri, ejus successore, ab omni verisimili abhorret. Longe probabilior mihi videtur Abrami hypothesis, quae et Graecae, et sacrae historiae aliquid lucis adferre potest. Sic enim *Armais*, frater Sesostris, recte statuitur Danaus, qui fratrem, regem AEgypti, metuens, in Graeciam secessit, et regnum Argivum sibi rapuit sub egressum Israelis ex AEgypto; ut ad superiorem periodum vidimus. Nomen Ramesis quoque, quo Sesostris

etiam venit, et unde *Armais*, qui Danaus est, censeri potest originem habuisse, superest in urbe *Raamsis*, tunc exstructa. Denique *Osarsiphus* recte pro Mose habetur, ipso nomine teste: denotat enim secundum Cl. Jablonski in proleg. ad Pantheon AEgypt. *Osiris destructorem*, vel desolatorem. Fabulosa itaque Manethonis narratio 1. de pastorum dominatu in AEgypto tracta est, ut videtur, ex descensu Jacobi cum familia in AEgyptum, et Josephi principatu. 2. De primo eorum egressu ex magna Abrahamidarum, ac AEgyptiorum, multitudine in Cananaeam, ad sepeliendum Jacobum Gen. L. Denique 3. de *leprosis*, AEgyptum vastantibus, ex Mosis facinoribus tempore exitus Israelitarum, inter quae etiam est, quod *peste* fuerint omnes primogeniti in AEgypro exstincti. Sed quam plausibilia haec omnia sint, fidere tamen iis non ausim. De *Sesostri* pluribus adhuc disserere possem, sed, cum illud ad scopum parum faceret, missum facio.

§. DCLI. Vertamus itaque nos ad *Assyrios* seu regnum Assyriacum, hac periodo demum dominans factum in Asia, translatis eo quoque Chaldaeis, per Ninum, ejusque uxorem Semiramidem, adeo ut aera regni Assyriaci, ita fundati, figenda sit, secundum meliorem calculum, in primordiis Eglonis, Judicis Israelitarum: stetit enim secundum Herodot., ut supra suo loco notavi, 520 annos, quando Medi et alii populi defecerunt, factum illud si fuerit ann. 14*to* Hizkiae regis, uti postea suo loco videbimus, et inde retro supputentur 520 anni, ad initium Eglonis pervenietur. Annus enim 14*tus* Hizkiae incidit in Ann. P. Jul. 4004, initium Eglonis in an. P. J. 3484. Regnum Assyriacum in Asia, licet antiquissimis temporibus ab Assure fundatum, ut ad periodum II*dam* vidimus, et inde continuatum, serius tamen longe coepisse primas tenere, aliunde quoque firmatur. Utique *Xanthus* Lydius, vetustissimus autor, referente Laertio in proemio, a Zoroastre ad Xerxis expeditionem numerat tantum 600 annos, *Porphyrius* apud Euseb., Praep. Eu. l. I. c. 9. *Semiramidem* ait aut Iliacis temporibus superiorem, aut aequalem fuisse. Cum vero Chaldaei a Nino

fuerint collecti et in Babyloniam translati, ad regnum ejus firmandum, hic locus est de iis, eorumque origine, et situ differendi: sed in pauca contraham, cum Perizonius et Vitringa ad Jes. fusius de eo egerint. Ortum traxisse videntur ex Syria Mesopotamena, lingua etiam teste, quam cum Syris et Assyriis fere communem habuerunt, adeoque ex *Chesed*, Nachoris filio Gen. XXII. unde כשדים *Chasdim* adpellati sunt. Fuerunt bellicosi, vagabundi, et e raptu passim viventes, vitamque, pro more orientis, ducentes pastoriam; sicut Strabo lib. XVI. incolas illos Mesopotamiae adpellat Arabes *scenitas*, *λῃστρικὸς καὶ ποιμενικὸς latrocinalem* ac *pastoritiam* agentes vitam; adeoque per varia sese diffuderunt loca, dum alii loca septentrionalia occuparint, alii montes Armeniam a Mesopotamia separantes, alii Mesopotamiam, seu partem ejus meridionalem insederunt, in Arabiam etiam desertam, trajecto Euphrate subinde excurrentes. Quo facit, quod praeter Chaldaeos, Chaldaeam, infra Babelem, ut mox dicam, incolentes, alii adhuc memorentur Chaldaei, ut Chalibes, Ponti adcolae, teste Strabone Lib. XII., nec non in montibus Armeniae, apud Xenoph. exped. Cyri l. IV. Hos homines, per Mesopotamiam ita sparsos, collegit Ninus, et transtulit in agrum Babylonicum, maxime tractum ejus meridionalem, ut eum contra Arabes, similis instituti homines, a Nino inde expulsos, tuerentur. Quorum Chaldaeorum opera itaque munierunt et exornarunt Babelem. Quo Jes. XXIII: 13. respicitur, cum Assur terram Chaldaeam, respectu scilicet Babelis, *fundasse* dicitur. Fuerunt autem, sicut fortes, ita industrii, et arcanarum disciplinarum studiosi, uti astronomiae, et divinationis simul, Assyriae regibus subjecti, donec per Nebucadnezarem, ejusque Patrem, in libertatem fuerint adserti, et formidabile illud regnum Babylonicum constituerint. De quo postea suo loco.

§. DCLII. Ceterum Ninus quidem, secundum narrationem Diod. Sic l. II. ex Ctesia Cnidio, quem sequitur Justinus ex Trogo Pompejo, traditur, pacto cum Ariaeo, Arabum rege inito,

inito, spatio 17 annorum totam Asiam, praeter Indos et Bactrianos, sibi subjecisse, et dein Bactrianos cum rege Zoroastre quoque superasse, sed huic traditioni fidere non licet. Ne dicam Dionys. Halicarn Ant. Rom. l. I. adserere, exiguam tantum Asiae partem fuisse Assyriis obnoxiam, Judicum et Davidis historia clare demonstrat talem Monarchiam hac periodo non obtinuisse. Utique Rex Mesopotamiae, qui Israelem in principio oppressit, illi non fuit subjectus, nec Rex Assyriae sese iis rebus inmiscuit. Adarezer, tempore Davidis, primas videtur habuisse in Asia circa Euphratem 2 Sam. VIII. Ipse David regnum ad eum fluvium usque extendit 2 Chron. IX: 26. Progressu itaque demum temporis, et circa finem periodi sequentis, regnum Assyriacum longe lateque suum extendit dominatum: ut suo loco patebit. Ninus tantum Chaldaeos Babelem transtulit, et fundamenta jecit hujus regni, Semiramis vero Babelem traditur exornasse apud Herod. quae vulgo uxor Nini habetur, sed ab aliis mater Asaradini, ut Herod. lectio habet, quam defendit Bouhier in Diss. Herodotea: sed illud tanti non est.

§. DCLIII. Supersunt Aerae hac periodo natae, sive sacrae, aut Israeliticae, sive Exoticae. Ad *illas* pertinent duae revolutiones periodicae, Israeli praescriptae, sive anni Sabbatici et Jubilaei. *Prior* revolutio est *septem* annorum, cujus primus annus est *Sabbaticus*. Singulis enim 7 annis erat unus annus quietis terrae a cultura, et libertatis servorum Lev. XXV. Deut. XV. Quos annos licet Israelitae male observarint, uti Sabbata alia, testibus Prophetis, et 2 Chron. XXXVI. ipsa tamen numeratio et aera duravit. Historici quoque subinde annos Sabbaticos adnotarunt; uti annum obsessae Hierosolymae ab Antiocho Eupatore, Jos. Ant. l. XII: c. 14. et autor 1 Macc. VI: 53. Qui est an. P. Jul. 4551. unde reliqui anni Sabbatici facile possunt inveniri. *Posterior* revolutio est septies septenorum annorum, seu septem annorum Sabbaticorum, adeoque annorum 49, ita ut *quadragesimus nonus* sit et Jubilaeus et Sabbaticus. Adpellatur quidem Lev. XXV. *quinquagesimus*,

 quia

quia ab antecedente Jubilaeo talis est, utroque termino a quo et ad quem incluso, ita ut idem annus, pro diverso initio, sit 49*nus*, et 50*mus*. Alii quidem volunt, 50*mum*, proprie dictum, annum fuisse Jubilaeum, et a Sabbatico diversum: sed sine solida ratione, et cum haud una difficultate. De quo hic non est agendi locus: maxime cum haec revolutio nobis nullum praestet usum, propterea quod ab Historicis non fuerint anni Jubilaei adnotati. Quod vero ad *radicem*, ut loquuntur Astronomi, seu principium harum revolutionum, unde anni numerandi sunt, adtinet, recte, ut paucis absolvam, statuitur primus annus Josuae, ita ut annus 41*mus* exitus Israelis, et *primus* Josuae, ab autumno, qui mortem Mosis praecessit, usque ad autumnum anni 41*mi* habeatur pro anno Sabbatico ac Jubilaeo, unde supputatio fieri debet: quod legis litterae, Lev. XXV: 2. *quando ingressi fueritis*, et antiquae traditioni convenit: sed annus 7*mus* ingressus Israelis in Cananaeam, quem multi post Scaligerum *radicem* revolutionum illarum statuunt, fuit *Sabbaticus* primus, proprie sic dictus, sicut *primus* ingressus inproprie dictus Sabbaticus, quippe quo Israelitae fructibus terrae gavisi sunt sine proprio labore, uti anno Sabbatico fiebat. Plura qui de his omnibus velit, adeat Vignolium Chron. S. t. I. nobis dicta sufficiunt.

§. DCLIV. Cum inter aeras exoticas, de quibus aliquid superest dicendum, emineat *excidii* Trojae, seu potius belli Trojani, per *decennium* gesti, (de excidio enim, ejusque consequentibus non sine ratione post Dionem Chrysostomum dubitatur, de quo Vid. Bochartus) aera, in hanc periodum incidens, ejus brevis est danda notitia, postquam de expeditione *Argonautica*, insigni heroicae virtutis heroum Graeciae specimine, quo cladi Trojanae praeluserunt, verbum praemisero. Argonautae, quorum catalogum adcurate contexuit Cl. Burman Praef. ad Valerium Flaccum, praecipui fuerunt Hercules Alcmenae filius, Thefeus, Jason, Castor et Pollux, et Peleus: hanc expeditionem in Colchidem suscepisse traduntur, ad vellus aureum inde repetendum, eo a Phryxo ante 100 annos delatum,

delatum, et ab AEte, Colchidis rege, injuste detentum, quod ibi a duobus tauris et dracone adservabatur. Quae fabulosa narratio et ideo est memoranda, quod insigne praebeat specimen fabularum, ex ignorantia, vel ambiguitate, vocum Phoeniciarum et Hebraearum, ortarum. Navis dicta est *Argos*, ab ארך *longus*, quia, cum antea *rotundis* fuissent usi navibus, nunc *longis* sese commiserunt Graeci, ad exemplum Phoenicum, navem πεντηκόντορον 50 *remorum* adpellat Apollodorus. Habuisse dicitur *lignum loquens*, quod, quid facto opus esset, admonebat, ex ambiguitate vocum עץ *ligni*, et עצה *consilii*. Praeterea cum גז aeque *vellus* ac *thesaurum* denotet, hinc in locum thesauri, ibi reconditi, *vellus* aureum irrepsit: erat porro *duobus* muris inclusus, unde duo *tauri* orti sunt; vox enim שור, mutatis punctis, utrumque designat: denique ex *aenea porta*, aditum prohibente, finxerunt *draconem*, voce נחש, utrumque significante, decepti.

§. DCLV. Belli Trojani, cui hi Heroes praeluserunt, caussa, vel praetextus, fuit raptus Helenae, uxoris Menelai, fratris Agamemnonis, a Paride, filio Priami regis Trojanorum, patris jussu factus, ad Hesionis, sororis Priami, abductionem ab Hercule, sub Laomedonte, decessore Priami, vindicandam. Praecipui duces in hoc bello fuerunt, ex Graecis, Agamemnon, Menelaus et Nestor, (qui *tria secula* fingitur vixisse, fabula ex Homero nata, qui *tres* γενεὰς *aetates* memorat, seu annos 90, cum γενεὰ sit, ut ex Herodoto constat, 30 annorum; unde *tria secula* ficta sunt.) Adfuerunt praeterea Palamedes, Ulysses, Achilles, Ajax, alii. Trojanorum duces fuerunt Hector, ejusque fratres Paris, Deiphobus, Aeneas, alii. In historia belli, quam hic enarrare nihil adtinet, cum duo fuerint memorabilia, eorum tantum mentionem faciam. *Prius* est *palladium*, coelo delapsum, quo salvo, Troja censebatur salva, quod Ulysses et Diomedes furto abstulerunt: nihil vero aliud fuit, ac *Palladis* simulacrum; per commentum politicum pro tali habitum, uti *Ancilia* Romana a Numa Pompilio. *Posterius* est *equus* Trojanus, autore Epeo, quo Graeci fuerunt

 inclusi,

inclusi, et ita in urbem introducti. Quae fabula ex instrumento poliorcetico, in frangendis muris adhiberi solito, *equi* figuram habente, *ariete* etiam ob similem rationem dicto, orta est. Fuit vero Epeus teste Plinio H. N. VII. ejus inventor. Ceterum aera haec Trojana figenda est, secundum Marmor. Arundellianum, in anno Aer. Att. 374, qui est Per. Jul. 3505, adeoque secundum nostros calculos, supra traditos, in tempore servitutis Philistaeae, sed, secundum Herodot., contigit excidium Trojae 772 annos ante expeditionem Xerxis in Graeciam, quam conjicit Bouhier in Diss. Herodot. in ann. Per. Jul. 4234, qui aeram Trojanam figit in anno P. J. 3462.

§. DCLVI. Praeter hanc aeram, memoratu quoque digna est *reditus* Heraclidarum in Peloponnesum, unde erant expulsi: sed recuperarunt Herculis posteri 80 annos post excidium Ilii, anno Aer. Att. 454, adeoque tempore Eli Judicis Israelitarum. Post hanc epocham ann. 60 contigit ἡ ἀποικία Ἰωνικὴ seu migratio Graecorum in Asiam, ann. Aer. Att. 514, adeoque sub Saulo rege Israelitarum. Denique Sabaeorum, vel Homeritarum, migratio ex Arabia in Africam infra Aethyopiam proprie dictam, quando adpellati sunt Axumitae, et dein Habessini, in hanc periodum confertur. Vid. Ludolf. comment. ad Hist. Aethyopicam.

§. DCLVII. Alias aeras mitto, et paucis subjungo, ad historiae Israel. illustrationem, vestigia quaedam miraculosae liberationis Israelitarum, per mare Rubrum, reperiri apud Exoticos: quod suo loco notare omisi. Justinus l. XXXVI. tradit, AEgyptios fuisse ab Israelitis persequendis, *tempestatibus compulsos*, reversos. Propius accedit, quod Diodor. Sic l. III. tradit, fuisse apud Ichthyophagos, occidentalem maris Rubri oram incolentes, traditionem antiquam, *totam sinus regionem ingente quondam refluxu fuisse desiccatam, mari in opposita littera refuso.* Clarius adhuc est, quod ex Artapano, autore Graeco, in medium protulit Euseb. Praep. Euang. l. IX. c. 27. Nescio an huc etiam adplicari, et hinc repeti debeat, quod de expeditionibus *Bacchi* narratur, eum mare rubrum

transiisse,

tranſiiſſe, et Indos perſequentem, fluvium Hydaſpen *virga percuſſiſſe*, et ſic cum exercitu tranſiiſſe, hoſtibus inundatis. Vid. Nonnus Dionyſ. IV. Denique monumentum occupationis Cananaeae per Joſuam traditur ſuperfuiſſe in *columnis* Phoenicum in Mauritania, quippe quarum Inſcriptio habuiſſet, ut Procopius, Evagrius, hiſtorici ſec. VI. et Suidas in χανααν, referunt, *nos ſumus ii, qui fugerunt a facie Joſuae praedonis, filii Nave.* Denique Herodot. l. II. tradere ſubjungo, ex relationibus ſacerdotum AEgyptiorum inter Memphin et Arſinoem, *pyramidas exſtructas opus* fuiſſe *Philitionis paſtoris, qui eo tempore pecudes ibi paſcebat.* Praeterea, cum urbem רעמסס *Rameſſen* munierint et ornarint Iſraelitae, quae eſt *Heliopolis*, antea dicta און *On*, quae *lucem* denotat, uti רעמסס *agrum ſolis*, uti obſervavit Jablonſki Diſſ. IV. de terra Goſen, notandum eſt, Theodotum, et Artapanum, ſcriptores Graecos, ejus rei meminiſſe apud Euſeb. Praep. Euang. l. IX.

